
Acta eruditorum Lipsiensia, anno 1682 à 1776



Digitized by Google

Hi 9585

UNIVERSITEITSB
9000

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
ANNO
M DCC XI
publicata,

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Elect. Sax. Privilegiis.

LIPSIÆ,
Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCH & FIL.
THOMAM FRITSCHIUM
&
FRID. GROSCHUF.

TYPIS JOH. CASP. MULLERI,
A. M DCC XI.

Digitized by Google

Digitized by Google

N. I.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii, Anno MDCCXI.

MISCELLANEA BEROLINENSIA AD INcrementum ſcientiarum ex ſcriptis Societati Regiæ ſcientiarum exhibitis edita.

Berolini, ſumptibus Joh. Chriſt. Papenii, 1710, in 4.

Conſtat 2 Alph. 5 plag. & Tabb. æn. 32.

PRimum in ſcenam producimus Volumen, quod illuſtris Societas ad promovenda Scientiarum & Artium incrementa a Potentiſſimo Boruſſorum Rege fundata cum publico impertiri dignata eſt, unde inſtitutum ejusdem plenius intelligere datur. Scilicet non ſolum Phyſica & Mathematica, ſed litteraria etiam cordi habet. In tres enim partes diſtribuitur opus, quarum prima *Litteraria*, hoc eſt, hiſtorica & philologica, tam ſacra, quam profana, hiſtoriam inprimis linguamque Germanorum illuſtrantia; altera *Phyſica*, cum eorundem uſu Oeconomico & Medico; tertia denique *Mathematica*, hoc eſt, præter Matheſin puram, Aſtronomica, Optica, Muſica, Architectonica & inprimis Mechanica complectitur. Inſeruntur non eorum tantum ſuppeditata, qui *Societati* nomen dederunt, ſed & aliorum Virorum eruditorum aut experientia valentium.

Inter litteraria primo loco occurrit illuſtris Societatis Præſidis *Leibnitii* meditatio de Originibus gentium, ductis potiſſimum ex indicio linguarum. Cum enim remotæ gentium origines hiſtoriam tranſcendant, linguas veterum monumentorum vicem præſtare. Earum vetuſtiſſima veſtigia ſupereſſe in nominibus fluviorum atque ſylvarum, urbium item,

Digitized by Google

villarum aliorumque locorum, immo & hom^in^um. Pro axiomate quippe habet, *omnia nomina propria aliquando fuiſſe appellativa.* Monet autem per magnam continentis noſtri partem linguæ cujusdam antiquæ latiſſime fuſæ veſtigia ſupereſſe, ex qua natas in binas ſpecies, *Japeticas* & *Aramæas* dividit. Iſtas ſeptentrionem, has meridiem impleviſſe. Sed ad ſpecialiora cum Autore progredi prohibemur, quoniam adhuc alia dicenda ſuperſunt, eaque bene multa.


Idem *Leibnitius* ænigmata duo chymica ſolvit. Alterum verſibus Græcis in MSC. codice Græco, qui inſcribitur, *Stephani Alexandrini*, Oecumenici Philoſophi, Magiſtri magnæ & ſacræ artis, Praxes; alterum Germanicis apud *Baſilium Valentinum* continetur. Utrumque Latino verſu reddidit: ſed hæc magis ut curioſitati hominum ſatisfiat, quam ut ille cuiquam ſtudia Alchymiſtica commendet. Apparet autem, priore ænigmate *Arſenicon*; poſteriore *vitriolum* deſignari. Porro de quibusdam ludis, inprimis de quodam Sinenſi, differentiaque Scachici & veteris latrunculorum, atque novo genere ludi navalis nonnulla annotat. Cum ſcilicet nusquam homines quam in ludicris ingenioſiores ſint; ludos non per ſe, ſed artis inveniendi cauſa Mathematicorum curam mereri. Ludos eventus fortuiti inter alia prodeſſe ad æſtimandas probabilitates; miſtos ex fortuna & ingenio aptiſſime vitam humanam, ſed maxime res militares & praxin medicam repræſentare, ubi pars arti, pars caſui neceſſario danda; eos autem maxime ſcientiæ ſubſtare, qui unice arti eventum, nihil caſui debent. *M. V. la Croze* ſpecimen obſervationum hiſtoricarum in *Lucianum* profert, comprobaturus, haud pauca in ejus ſcriptis latere rebus hiſtoricis illuſtrandis idonea. *J. C. Schottus* in diſquiſitione antiquaria de numo Phidonis argenteo, in Regia Brandenburgenſi gaza aſſervato, a Cl. *Begero*, in Theſauri Regii Brandenburgenſis Tomo I. p. 279 evulgato, dubia de ejus fide mota removet, genuinam & eximiam ejus vetuſtatem adſtruit, ſimulque evincit, ut vetuſtiſſimum, ita ſummo jure pro ſingulari rariſſimoque eum habendum eſſe. *J. L. Friſchius* originem quorundam vocabulorum Germanicorum & cum alijs

aliis linguis affinitatem exponit & hinc generales quasdam linguæ Germanicæ leges Etymologicas deducit. Tandem *M. V. la Croze* librorum Sinenſium Bibliothecæ Regiæ Berolinenſis recenſionem aliquam exhibet, & inprimis P. *Emanuelis Diaz* Dictionarium commendat.

Quoniam ſcientiarum intereſt, ut hiſtoria inventionum memorabilium recte tradatur; Phyſicam in parte altera tractationem hiſtoria inventionis Phoſphori orditur illuſtris Societatis Præſes, præſertim cum ea in Gallico quodam opere male narrata extet, tanquam *Brandio* inventore extincto *Kunkelius* rem de ſuo iterum repererit: cum conſtet, *Brandium* verum inventorem huic rem omnem demonſtraſſe & re publicata multis adhuc annis ſuperſtitem manſiſſe. *Brandius* ergo, Chymicus Hamburgenſis, in Phoſphorum incidit, cum proceſſum quendam chymicum in libro typis edito extantem de parando ex urina liquore particulæ argenti in aurum (ſi credere fas eſt) maturandæ apto elaboraret. Narratur deinde, *Danielem Kraftium*, Conſiliarium commerciorum apud Electorem Saxoniæ, & *Johannem Kunkelium*, cubiculi ejusdem Principis miniſtrum, ſpe *Brandio* facta, poſſe arcanum apud Magnates magno pretio vendi, compoſitionem ab eo impetraſſe: quem in finem *Kraftius* Hamburgum profectus fuerit. Ex hujus ſermonibus multum profeciſſe *Johannem Joachimum Becherum*, variis ſcriptis, præſertim Germanicis notiſſimum. *Kraftium* phoſphorum Sereniſſimo Duci Brunſuicenſi *Johanni Friderico*, Regi Anglorum *Carolo II*, Sereniſſimo Principi *Roberto* & illuſtri *Boylio* oſtendiſſe: ſed *Brandium* invitante *Leibnitio* Hannoveram profectum eidem Sereniſſimo Duci arcanum aperuiſſe, remuneratum ut tanto Principe dignum erat. Poſtea *Leibnitium* ejus ſpecimen *Hugenio* in Galliam miſiſſe, & mox compoſitionem ipſam per *Tſchirnhuſium* cum Regia ſcientiarum Academia communicaſſe. Sub finem de phoſphoro barometri *Bernoulliano* quædam ſuperadduntur. *J. A. Schmidius* lapidem Ilmenavienſem cancri figuram in ſinu gerentem & *Chriſt. Maximil. Spenerus* crocodilum in lapide ſcisſili expreſſum aliaque lithozoa deſcribunt.

bunt. *Leibnitius* in Epiſtola ad poſteriorem data arbitratur in veri locum tanquam in modulum ſucceſſiſſe metallicas iſtiusmodi expreſſiones. Animantia autem, quorum figuram in lapidibus & metallicis mineris expreſſam deprehendimus, terris ſepulta non modo per diluvium *Noachicum*, ſed & alias mutationes Telluris iſta anteriores. Rationi enim ipſique Scripturæ conſentaneum arbitratur, totum terræ globum ante ortum hominis aliquando mari tectum fuiſſe & prius adhuc igne flagraſſe, aliasque poſtea ingentes mutationes ſubſecutas, de quibus hodie nihil ſuſpicamur. *J. Chauvinus* vapores veſicularum inſtar ab aere incluſo expanſarum & ab aere ambiente ſpecifice graviori elevatarum conſiderat: *Leibnitius* vero ea occaſione in cauſam elevationis vaporum accuratius inquirens, duplicem in aere vim expanſivam conſiderat, unam inſitam (quæ *elaſtica* vulgo vocatur,) alteram ſupervenientem, quæ eſt calor aut ipſi analogum quiddam in fermentatione, bullarumque originem inde derivat, quod aer ambiens in motu majore ſit quam bulla & diverſo a motu bullæ, unde contingat, novas ejus particulas calidas ad eandem bullam continuo fluxu appellentes novo ſemper contactu novum caloris gradum imprimere pelliculæ & per eam aeri incluſo, ut ambiente magis expanſus pelliculam inſigniter attenuet. Ipſam autem attenuationem calculo analytico definit & ſic generaliter de corporibus, quæ ob cavitatem incluſam in aere natare poſſunt, tractat, P. *Lanam* refutans, qui ſphæram exhauſtam parari poſſe ſperabat, quæ in aere nataret. *Conradus Bartholdus Behrens* in Epiſtola ad Præſidem data novam podagræ curationem, felici cum ſucceſſu ſæpius tentatam, deſcribit, quæ Gujaco, Saſſarapilla & radice China, certa quantitate polypodii & hermodactyli addita, in vino & dupla aquæ quantitate decoctis magniſque hauſtibus per triduum (quo curatio ſemper abſolvitur) ingeſtis, ita ut fere 24 libræ decocti abſumantur, peragitur. *Olaus Rœmerus*, *Chriſt. Matthæus Seidelius* & *Georgius Kirchius* lumen boreale deſcribunt, de quo in Actis A. 1709 p. 162 diximus, quodque *Leibnitius* idem phænomenon eſſe arbitratur cum aliis portentis, quæ in cœlo com-

Digitized by Google



E. Andre Sohn Sculpſ.

comparuiſſe hinc inde commemorant Hiſtorici. Recenſioni itineris Alpini *Scheuchzeri* excerpta ex ejusdem obſervationibus Meteorologicis A. 1708 ſubjunguntur & Dn. *Daglii*, ornamentorum palatiorum Regiorum Præfecti, modus quidam peculiaris cadavera condendi & picturas conſervandi prædicatur.

In Mathematicis præmiſſo monito de Characteribus Algebraicis denuo illuſtris Societatis Præſes memorabilem calculi Algebraici & infiniteſimalis in comparatione potentiarum & differentiarum parallelismum monſtrat. Præter ea enim, quæ jam paſſim in his Actis annotata ſunt, oſtendit, quod, quemadmodum formula generalis pro poteſtate binomii ſic ſcribi poſſit $p^{e}(x+y) = 1\,p^{e}x\,p^{0}y + \frac{e}{1}\,p^{e-1}x\,p^{1}y + \frac{e.\,e-1.}{1.\,2}\,p^{e-2}x\,p^{2}y + \frac{e.\,e-1.\,e-2}{1.\,2.\,3}\,p^{e-3}x\,p^{3}y$ &c. (ubi p eſt nota potentiæ), ita pro differentiando binomio ſit: $d^{e}(xy) = 1\,d^{e}x\,d^{0}y + \frac{e}{1}\,d^{e-1}x\,d^{1}y + \frac{e.\,e-1}{1.\,2}\,d^{e-2}x\,d^{2}y + \frac{e.\,e-1.\,e-2}{1.\,2.\,3}\,d^{e-3}x\,d^{3}y$ &c. *Philippus Naudæus* junior exemplo regulam prælibat, qua inveniuntur omnes cujuslibet producti Algebraici diviſores, dummodo in nullo diviſore terminus ſit incommenſurabilis. *Leibnitius* generali quadam & ſimplici admodum ratione rectas conſtruere docet, quæ tangunt lineas centrorum gravitatis. Regula generalis hæc eſt: *VG recta ex V centro gravitatis elementi ducta ad G centrum gravitatis ipſius magnitudinis; tangit lineam centrorum gravitatis AG in ipſo hoc centro G.* Nam in rectam VG jungentem V & G centra gra- TAB. I.
vitatis duarum partium CB (B) (C) C & A BCA cadit (G) Fig. I.
centrum gravitatis compoſiti ex ipſis, nempe ipſius A (B)

C) A. Ergo eadem recta VG, id eſt V(G) G tranſit per centra G & (G) duarum magnitudinum ABcA & A (B)(c)A elementaliter differentium, quæ adeo centra & ipſa elementaliter diſtabunt. Sed omnis recta jungens hæc centra, adeoque lineæ centrorum AG (G) puncta G & (G) nonniſi elementaliter diſtantia lineam tangit. Ergo recta VG tangit lineam AG. Ex *Joh. Bernoullii* ad eum Epiſtola exhibentur egregia hujus Geometræ inventa de appropinquationibus promtis ad metiendas figuras per motus repentis in his Actis A. 1705 p. 347 primum propoſiti conſiderationem exhibitis. Expendens nimirum *Bernoullius* ellipſium ſuper ellipſibus inceſſum, methodum proponit non modo lineas ellipticas, ſed curvas quaslibet alias intra limites duorum circulorum pro arbitrio coarctandos comprehendendi, quorum quidem alter majorem, alter minorem peripheriam data curva habet. Theorema ipſius univerſale hoc eſt: Eſto circumferentia A 4 B, cujus diameter AB compoſita ex ſemiaxibus alicujus ellipſis AC & BC. Sit circumferentia biſecta continuo in 2. 4. 8. 16 &c. quotcunque libuerit partes æquales, atque rectarum ductarum ex puncto C ad diviſionum puncta imparia 1.3.5.7. capiatur media Arithmetica (hoc eſt C1 + C3 + C5 + C7,: 4) quæ vocetur M & rectarum ductarum ex puncto C ad diviſionum puncta paria 2. 4. 6 auctorumque radio R ſeu $\frac{1}{2}$ AB ſumatur media Arithmetica (hoc eſt C2 + C4 + C6 + R,: 4) quæ vocetur N: dico, M & N fore radios duorum circulorum, quorum ille circumferentiam habet majorem, hic minorem quam ellipſis propoſita. *Sint* e. gr. axes ellipſis inter ſe ut 5 ad 4, erit M ad N in minore ratione quam eſt 6000001 ad 6000000. Idem *Bernoullius* in Epiſtola ad Dn. *Burnettum*, illuſtris Epiſcopi Sarisberienſis filium, data monet, Dn. *Craigii* ſolutionem alteram problematis de curva data in aliam differentem ejusdem longitudinis transmutanda (quam in Actis anni ſuperioris p. 352 exhibuimus, ut integra controverſia Lectori conſtaret) eandem curvam cum priore ad alium duntaxat axem accommodatam exhibere: quem paralogiſmum per litteras monitus agnoverit

TAB. I. Fig. 2.

Moi-

Moivraus, cum in eandem ſolutionem incidiſſet. *Anonymus* demonſtrat, manente eadem mortarii elevatione jactus eſſe viribus proportionales; & ita non eſſe opus in poſterum, ut elevationes mortariorum mutentur, modo vires varient. *Dominicus Gulielmini* in Epiſtola ad Præſidem data reſpondet objectionibus, quas *Dionyſius Papinus* in Epiſtola ad *Hugenium* data contra ipſius aquarum fluentium menſuram moverat. *J. Hermannus* methodum generalem proponit puncta ſtationum in orbitis planetariis determinandi, hactenus Aſtronomis deſideratam. *G. Kirchius* ſimpliciſſimum quoddam micrometrum communi lentis objectivæ & ocularis foco in tubo Aſtronomico applicare docet, quo jam olim alibi propoſito per plures annos in obſervationibus cœleſtibus feliciſſime uſus eſt. Annulus ſcilicet ferreus (a quovis fabro ferrario facile parandus) in duas æquales partes dividitur, ibique duobus foraminibus ſtriatis inſtruitur, quibus cochleæ, quarum ſtriæ ſtriis foraminum congruunt, inſeruntur e diametro ſibi oppoſitæ, ejus vero longitudinis ut verſatæ ſeſe contingere poſſint. TAB. I. Fig. 3. *Kirchii*, *Wurtzelbaueri*, *Hofmanni*, *Heckeri*, *Teuberi* obſervationes Aſtronomicæ ſelectæ de occultatione ſtellæ fixæ in cornu auſtrali Tauri a Saturno A. 1679 d. 7 (17) Jan. factas, de varia apparentia ſtellæ in collo cygni, *Miræ* in collo Ceti ſimilis, de Cometa anni 1702 & altero matutino anni 1680, de conjunctione magna Saturni & Jovis A. 1702, de Mercurio in Sole A. 1707 videndo, de eclipſi Solis magna A. 1706, eclipſi Lunæ totali A. 1707 & partiali A. 1708 recenſentur. *Alphonſus de Vignoles* de periodica cometæ annorum 1668 & 1702 revolutione diſquirit. *N. Hartſækerus* ſuadet, ſi vitra objectiva longitudinem 50 aut 60, immo plurium pedum excedant, ea includi quadrato ligneo baſi impoſito, in qua vitrum ita erigatur, ut radii planetæ aut ſideris obſervandi perpendiculariter vitro incidant, quod facillime fiat contemplando aſtrum per tubum ſimplicem quadrato ad angulos rectos applicatum. Vitrum iſto modo directum elevari ad altitudinem juſtam beneficio arboris, muri vel tecti anguli, cui applicandum lignum excavatum, quod commode capiat baſin, cui quadratum innititur.

titur. Si minora ſidera obſervanda, applicari jubet foco vitri objectivi vitrum lævigatum, at nondum politum, ut ſidere in eo expreſſo vitrum oculare debito in loco collocari queat: quo facto, illud rurſus amovendum. Idem methodum facilem præſcribit vitra concava & convexa omnis generis ſtanno obducendi. Deſcribitur quoque Hiſtoria cœleſtis, quam edere parat *Joh. Flamſtedius.* Pars ejus prima continebit obſervationes diametrorum Solis & Lunæ, configurationes & elongationes Satellitum Jovis a ſuo primario Planeta, diſtantias fixarum inter ſe & a planetis, eclipſes Solis, Lunæ & Satellitum Jovis, maculas Solis, Cometas & refractiones; ſecunda meridionales diſtantias a vertice & tranſitus fixarum ac planetarum per Meridianum, interſperſis obſervationibus aliis circa eclipſes luminarium, ſatellitum &c. tertia denique catalogos fixarum *Ptolemai, Illug-Beigi*, *Arabum*, *Tychonis*, *Landgravii Haſſiæ*, *Hevelii*, *Halleji* & præter alios quosdam Anonymorum *catalogum Britannicum* 3000 fere fixarum, & tabulis locorum Solis & declinationum pro annis 41 hujus ſeculi, una cum variationibus pro annis ſeculi reliquis, in uſum maxime navigantium. Accedent 60 circiter tabulæ figurarum, quibus conſtellationes novæ exhibebuntur, antiquæ reſtituentur. *Bayeriana* enim falſæ & a catalogis diſcrepant. *C. Henflingius* in Epiſtola ad Præſidem data novum ſuum ſyſtema Muſicum deſcribit. *L. C. Sturmius* impugnat, quæ de frictionibus machinarum in Commentariis Academiæ Regiæ ſcientiarum Pariſinæ propoſuit *Amontons:* qua data occaſione *Leibnitius* in naturam & remedia reſiſtentiarum in machinis, quæ a corporum ſuperinceſſu oriuntur, inquirit. Definit autem frictionem, quod ſit reſiſtentia ſuperficiei, per quam inceditur, & eam tum a ſuperficiei aſperitate, tum a corporis incedentis appreſſione petit. Hæc non modo pondere ſuperincedentis, ut cum trabæ plurimum onerantur; ſed & niſu ſuperinceſſus, dum directio ſuperincedentis in ipſam alterius ſuperficiem tendit, variatur. Remedia frictionis mechanica in modo ſuperincedendi quærit, quem *volutionem* appellat. Modum autem ſuperincedendi in *radentem*, *volventem* & *mixtum* diſtinguit.

Radens

Digitized by Google

Radens ſcilicet eſt, ſi idem punctum unius ſeſe tangentium corporum continue per diverſa puncta alterius incedit, quod obtinet in traha. Volvens eſt, ſi punctum contactus continue movetur, ut in rota. Mixtus denique eſt, ſi linea ſuperincedentis baſi applicata deſignat lineam in baſi, ſed non ſibi æqualem. Alterum remedium frictionis ſublationem ipſius ſuperinceſſus commendat, quale quid per axes curvatos præſtatur. Breviter quoque machinam Arithmeticam delineat, jam A. 1673 Societati Regiæ Anglicanæ exhibitam, vi cujus eodem tempore, ſive multarum, ſive paucarum notarum ſint numeri, omnes operationes Arithmeticæ ſine ulla attentione mentis, rota tantummodo mediante capulo circumacta (id quod ab infante fieri poteſt) abſolvuntur. Utut autem internam machinæ ſtructuram non prorſus aperuerit: figura tamen externa & operatio ſatis oſtendunt, toto cœlo differre hoc inventum ab aliis, quæ hactenus prodiere. Hic enim ſi numerum quantumvis magnum per notam aliquam v. g. per 9 multiplices, una opera omnes notæ multiplicantur, nec opus eſt additionibus auxiliaribus. *N. Hartſœkerus* libellam fabricæ hactenus non obſervatæ; *Hoſmannus* pendulum ſimpliciſſimum ſuas vibrationes numerans, una rota agitandum & facile parabile, cum horologia pendula apta ad manus non ſunt. *Anonymus* machinam trituratoriam Erzæ (quæ eſt præfectura ditionis Electoralis Brunſuicenſis) inventam ibique maximo commodo hactenus adhibitam deſcribit. Colophonem denique operi ſuperaddunt *J. Chunonis* de potentiis quibuscunque numerorum integrorum ex additione certorum terminorum ſeriei naturalis imparium concinnandis meditationes, quibus variæ numerorum proprietates deteguntur; & *Petri Dangicourt* ſpecimen Arithmeticæ Dyadicæ *Leibnitianæ*, non aliis characteribus utentis quam 0 & 1, numerorum arcanis detegendis aptioris quam decadica, aut aliæ hactenus adhibitæ, cum hæc per ſerierum periodos inprimis ſimplices progredi ſoleat. Hoc autem ſpecimine oſtenditur lex periodica numerorum progreſſionis Arithmeticæ cujuscunque. Hæc paucis perſtringere viſum eſt, nam ſi omnia me-

Digitized by Google

morabilia hujus Voluminis attingenda eſſent, prolixitas recenſionis menſuram nobis præſcriptam egrederetur.

EPHEMERIDES BAROMETRICÆ, Mutinæ olim editæ a BERNHARDO RAMAZZINI, in Patavino Gymnaſio Practicæ Medicinæ Profeſſore, nunc Patavii recuſæ cum tota controverſia, quam idem habuit cum D. C. GUNTHERO SCHELHAMMERO, in Kilonienſi Lyceo Medicinæ Profeſſore. Accedit nova Epiſtola ejusdem RAMAZZINI, cum ſolutione problematis inter ipſos agitati ex invento G. G. LEIBNITII.

Patavii, typis Joh. Baptiſtæ Conzati, 1710, 12.

Conſtat plag. 9 Tab. æn. 1.

Ex quo barometrum diligentius obſervari cœpit, pleriquemirati ſunt, aerem ſerenum deprehendi graviorem, pluvium vero leviorem; dum ille Mercurium attollit, hic deſcendere ſinit. Quam Vir Cl. *Ramazzinus* cauſam hujus phænomeni allegarit, in Actis A. 1696 p. 42 abunde diximus. Aliter ſentiebat Cl. *Schelhammerus* & rejecta hypotheſi *Ramazziniana*, mentem ſuam exponebat in Epiſtola ad Dn. *Schneckium*, Academiæ Naturæ Curioſorum *Leopoldinæ* Præſidem illuſtrem, data, & Ephemeridibus ejusdem Academiæ inſerta. Suſpicabatur ſcilicet, aerem pluvioſum ideo minus in baroſcopium gravitare, quod vapores in nubes coeuntes quandam aeris partem, tempore ſereno in Mercurium barometri gravitantem, nunc intercipiant, & Mercurium in vaſculo ſtagnantem in aere craſſiori, qualis eſt pluvius, altius eniti debere quam in rariori, qualis eſt ſerenus. Cum vero has rationes legibus hydroſtaticis adverſas judicaret *Ramazzinus*, alteram ipſe Epiſtolam ad Dn. *Schneckium* d. 7 Jun. 1698 perſcribebat, & ſententiam ſuam adverſus objectiones *Schelhammeri* tuebatur, ipſius autem hypotheſin inſufficientem eſſe docebat. Equidem *Schelhammerus* eodem ſtatim

tim anno Epiſtola ad Dn. *Schneckium* itidem data ad Objectiones *Ramazzini* multis reſpondebat; ſed hic nihil amplius regerebat, *quod* (ipſa Viri ingenui verba recitamus) *cognoſceret, nec Schelhammerum præjudicata illa ſua problematis ſolutione, neque ſe conjecturis ſuis ad tam grande ſecretum eſſe perventuros.* Enimvero poſtquam illuſtris *Leibnitius*, cujus de hac controverſia ſententiam per litteras requirebat, novum modum problema difficillimum ſolvendi communicavit, cujus veritas tanta extemplo luce oculos ejus perſtrinxit, ut eandem agnoſcere priſtinæque hypotheſi nuncium mittere cogeretur; e re orbis litterarii eſſe judicavit, ſi, quæcunque de hac controverſia tum ab ipſo, tum a *Schelhammero* edita fuerunt, ſcripta in unum volumen colligerentur & ingenioſiſſimi *Leibnitii* Epiſtola tanquam ſententia decretoria eidem collectioni ſuperadderetur. Et hæc ipſa Epiſtola atque Cl. *Romazzini* candor publicis encomiis inter eruditos dignus nos permoverunt, ut harum Ephemeridum Barometricarum denuo in his Actis mentionem faceremus. Ecce igitur, quæ *Leibnitius* hanc in rem diſſerit: Eſto, inquit, tubus AB, infra clauſus in B, aqua plenus, rectus, ex libræ extremo ſuſpenſus, cum pondere oppoſito in æquilibrio conſtitutus. Ibi in aquæ ſuperficie natet cavum aliquod corpus D ex materia gravi, caſurum ſi aqua intraret. Ponamus, obturatum eſſe foramen, ſed ita ut paulatim aquæ pervium fiat: ergo ubi intraverit, deſcendet corpus D verſus fundum B. His poſitis, durante deſcenſu corporis D ceſſaturum eſſe æquilibrium ajo, deſcenſurumque pondus C, ac totum tubum AB elevatum iri: *cujus rei ratio* eſt manifeſta, quod, quantum deſcendit D, in tantum ab aqua in tubo libra non ſuſtinetur & eatenus non reſiſtit ponderi oppoſito. Compara jam C cum hydrargyro, aquam tubi cum aeris columna, D cum guttis pluviæ. Nempe cum guttæ tam craſſæ fiunt, ut amplius ab aere non ſuſtineantur, deſcendere incipiunt & tota aeris columna levior eſt quam ante, Mercuriumque in tubo ſuſpenſum ad priorem altitudinem non ſuſtinebit, itaque deſcendet nonnihil Mercurius. Contra aere ſereno guttæ aquæ

TAB. I. Fig. 4.

Digitized by Google

ita comminuuntur & per aerem diſperguntur, ut per ſe deſcendere non posſint; non magis quam partes lactis butyraceæ ante ſeparationem, ita manifeſta videtur ſolutio nodi & ratio redditur paradoxi, cur aer ſerenus gravior ſit pluvio. Nam & prævenit aliquantulo tempore hydrargiri deſcenſus pluviæ apud nos caſum, quia guttæ formari incipiunt, antequam ad nos pertingant. Hactenus *Leibnitius*. Experimentum, cum tentaret *Ramazzinus*, libra initio non ſatis exacta & tubo nimis brevi uſus, ex voto non ſuccedebat (quod in eorum gratiam monemus, qui in eandem arenam deſcendere poſtea decernent) aſt cum idem, libra exacta & tubo longiori adhibitis, cum Dn. *Johanne Gratiano*, Philoſophiæ in Univerſitate Patavina Profeſſore, pluries iteraret, non ſine inſigni animi voluptate eundem conſtanter ſucceſſum expertus prorſus convincebatur, corpus grave, dum per fluidum aliquod deſcendit, gravitatem ſuam non exercere (ita ſcilicet ut presſionem, quam fluidum exercet, juvet) ſed ſolum, quando quieſcit. Loco autem vaſculi in aqua natantis & mox mergendi Dn. *Ramazzinus* adhibet pondus ex filo ſuſpenſum, quod filo abſciſſo durante caſu in bilancem non gravitat: id enim facilius præſtatur, & vis conſequentiæ eadem eſt.

PHÆNOMENON DIABETES ANTEA NON obſervatum.

R.P. *de la Roche*, e Societate Jeſu, diabeten ex vitro conſtruxit & in eo phænomenon ſingulare notavit antea non obſervatum, cujus deſcriptionem cum publico communicavit in Diario Trevoltienſi A. 1709 Art. 86 p. 1709 & ſqq. Vas ſcilicet A B, cujus fundo ſimiliter infixus erat tubus utrinque apertus C D, aqua implevit & tubo vitreo E F ſuperius in E clauſo alterum C D texit. Quo facto cum lumen inferius D tubi C D aquæ immergeret atque tubum E F elevaret, aqua primum tam in tubo C D ex vaſe H I quam in altero E F ex vaſe A B, utrobique ad æqualem altitudinem asſurgebat, pondere nimirum aeris aquæ in vaſis A B & H I G incumbentis adverſus elaterem in tubis C D & E F per hujus elevationem expanſi prævalente.

TAB. I. Fig. 5.

Enim-

Enimvero elevatione tubi E F continuata, donec ultra orificium C tubi C D aqua aſcenderet; non ipſa modo per tubum C D ex vaſe A B omnis effluebat, ſed aerem in ſuprema tubi E F parte reſiduum una ſecum ſucceſſive abripiebat. Equidem R. P. diabeten ſuum diverſum eſſe putat ab ordinario: ſed ſi experiri voluerit, idem phænomenon in diabete quovis alio obſervabit, utut tubi C D orificium D in fundo vaſis A B exiſtat. Tum vero (quod facile intelligitur) orificium D digito obturandum, dum tubus E F elevatur. Succeſſit experimentum, etiamſi diameter tubi fundo vaſis afferruminati eſſet fere $\frac{3}{4}$ unius digiti Rhenani: nec dubitamus, idem in quavis alia tubi amplitudine ſuccedere debere. Sed cum diameter orificii ſuperioris C 6 linearum ſeu dimidii digiti, diameter vero inferioris D unius ſaltem lineæ eſſet; aer tubum per ſuperius ingreſſus per inferius egredi nequibat & aquæ fluxum impediebat. Ut adeo jam pateat ratio, cur in iſtiusmodi diabetis aquæ fluxus interdum ſiſtatur, antequam omnis effluxerit, continuandus tamen aliquantiſper, ſi tubulus E F pauliſper elevetur; & ad perfectionem diabetis pertinere intelligatur, ut tubus C D eandem amplitudinem in ſummo & imo habeat. Ceterum nec in eo aliquid ſingulare notatur, quod orificio tubi C ultra vas A B prominente aqua ultra idem aſcendit: notum enim, in ordinario diabete id 30 pedum intervallo a libella aquæ removeri poſſe. Sed hoc particulare eſt, quod diabetes R. P. gravitati ſpecificæ fluidorum inveſtigandæ inſervire queat: etenim notum ex hydroſtaticis, ſi diverſa fluida in vaſis A B & H I contineantur, altitudines fluidorum in tubis E F & C D eſſe in ratione reciproca gravitatis ſpecificæ fluidorum. Nec negandum, conflictum aeris cum aqua, quem memorat, prope orificium C multo jucundiorem conſpici, ſi tubus C D admodum gracilis longiorque fuerit, quam ſi diabetes ordinarius adhibeatur.

TAB. I. Fig. 6.

Fig. 5.

CHRISTIANI WOLFII, IN ACADEMIA FRIDERICIANA Mathematum Profeſſoris Regii, Solutio dubiorum Aerometricorum in Diario Trevoltienſi A. 1710 Artic. 48 p. 588 & ſeqq. propoſitorum.

VIr doctus, qui in Diario Trevoltienſi Elementa mea Aerometriæ recenſuit, tria dubia movit, quorum diſcuſſionem tanto lubentius in me ſuſcipio, quanto certius confido fore, ut, quæ nunc prolaturus ſum, perpendens in ſententiam meam abeat. Primo reprehendit, quod in determinanda ratione aeris in vaſe evacuando poſt datas emboli in antlia agitationes reſidui ad primitivum, exemplo Geometrarum perſpicaciſſimorum *Jacobi Bernoulli* & celeberrimi *Varignonii*, ſolius elateris rationem habuerim, non vero una ad gravitatem aeris reſpexerim, aſſumens nimirum, embolo educto aerem ita expandi, ut in vaſe & antlia ejusdem denſitatis exiſtat. Arbitratur enim, moleculas aeris aliunde minime ſuffultas proprio quoque pondere in antliam ruere. Sed qui antliam exercent, rationes perſpiciunt prægnantes, cur in hoc negotio gravitatem aeris inſuper habeant. Eas in præſenti non commemorabo: ut dubium prorſus tollatur, experimentum crucis adduxiſſe ſufficiet. Fieri curavi tubum ex lamina metallica cochleæ afferruminatum, ut ad antliam firmari poſſet, atque fornicem vaſis evacuandi fere attingentem. Quantum per hunc tubum aeris facta qualibet emboli agitatione ex vaſe educeretur, maxima cum circumſpectione notavi: embolo enim intruſo, donec aer in antlia contentus eandem cum externo denſitatem haberet, numeravi dentes virgæ dentatæ extra antliam conſpiciendos. Mox tubo iſto remoto, evacuationem ejusdem vaſis denuo tentavi: quam eadem prorſus ratione ut antea contingere didici. Uſus autem ſum vaſis & majoribus & minoribus eodem ſemper ſucceſſu, eſtque diameter luminis in antlia mea 4 digitorum 6 linearum, longitudo cylindri duorum pedum Rhenanorum. Apparet adeo in æſtimanda quantitate aeris evacuati nonniſi elateris, nequaquam vero gravitatis rationem habendam eſſe.

Dum

Digitized by Google

Dum vero ſecundo Cl. Cenſor aſſerit, aerem corpus in ipſo pendulum magis premere in inferiore quam ſuperiore ſuperficie, atque hinc reprehendit, quod preſſionem utramque æqualem pronunciaverim; lubens fateor, me aſſerti ipſius rationem non capere. Non ad demonſtrationem provoco in Elementis meis allatam; ſed experientia clara Cl. Cenſorem veritatis indubiæ convincam. Tubi AB cochlea utrinque in C & D inſtructi alterum extremum C ad antliam firmavi, alterum vero D matrici in fundo catilli EF efformatæ inſerui. Catillo corium bubulum madefactum cum orbe cupreo unam circiter lineam craſſo admovi. Embolo ex antlia educto, firmiter adhæſit orbis. Eum igitur ſeparaturus circa trochleam G funem HI circumduxi, cujus alterum extremum H uncinulo orbi infixo, alterum vero F unco ſtateræ alligavi, & a quanto pondere ſeparatio orbis a catillo fiat, annotavi. Didici autem, eadem vi opus eſſe, ſi aer ſuperne orbi incumbit, quam ſi eum inferne impellit. Videtur Cl. Cenſor confundere vim, qua corpora in fluidis ſuſpenſa ab iis premuntur, cum altera, qua ſpecifice leviora in iis evehuntur. Diverſitatem tamen utriusque cum ratio, tum experientia loquitur. Hæc enim conſtans eſt, æqualis nempe exceſſui ponderis fluidi ſupra pondus ſolidi ad quamcunque profunditatem demerſi, ut dudum *Archimedes* prop. 6 lib. 1 de inſidentibus humido demonſtravit: illa vero variabilis æqualis nimirum ponderi columnæ fluidi, cujus eadem cum corpore immerſo baſis, altitudo autem eadem cum profunditate ejus ſub aqua. Experimentum in gratiam Cenſoris ſequens non ſine ſucceſſu commentus ſum. Fieri curavi capſulam AB, cujus fundo infixus uncinulus, cavitatem vero operculum CD exacte complet, ne aquæ in eam aditus pateat. Alterum extremum fili FE uncinulo F, alterum autem alteri E alligatur. Ita autem gravitas capſulæ ad gravitatem aquæ attemperata eſt, ut tota capſula cum ſuo operculo a gravitate aquæ tantillo deficiat, & ſubmerſa axem ad ſuperficiem ejus perpendicularem retineat, operculum vero CD ſolum tantillo gravitatem aquæ ſuperet. Quodſi operculum CD intra capſulam reponatur & hæc ſub aquis demergatur, dimiſſa

TAB. I. Fig. 7.

Fig. 8.

Digitized by Google

dimiſſa cum operculo deſcendit, donec hujus gravitas vim aquæ prementis excedit: tum enim operculum CD deſcendit & capſula AB aſcenſum continuat.

Dubium tertium antecedentibus ſpecioſius videtur: ſed paralogiſmus Cl. Cenſoris haud difficulter detegetur. Experientia docuit, ſi in fiſtula Torricelliana nonnihil aeris ſupra Mercurio relinquatur, eum ad minorem altitudinem ſuſpendi, quam ſi vacua fuerit. In Elementis Aerometriæ prop. 49 demonſtravi, eſſe altitudinem Mercurii in tubo vacuo ad differentiam altitudinis in tubo non vacuo ab altitudine priore ita ut volumen aeris dilatati ad volumen primitivi. In ſcholio monui, regulam experimentis *Mariotti* prorſus conſonam eſſe: unde miror Cl. Cenſorem mihi exprobrare, quod regulæ veritatem experientia non confirmaverim. Sed audiamus difficultatem, quam contra eam faceſſit. Sint duo tubi AB & CD

TAB. I. Fig. 9.

hermetice ſigillati in A & C, quorum longitudo 2″8, qualis eſſe ſolet Mercurii. Suſpendatur Mercurius in tubo AB ad altitudinem EB, in altero CD ad altitudinem DF, ſitque EB=2″4, DF=1″4. Erit per regulam meam aer primitivus in tubo AB $1\frac{3}{4}$; in altero DC 7. Quoniam in CF aer eſt quadruplus ejus qui in EA continetur, aer autem quadruplus nonniſi per duplum ſpatium Mercurium deprimit; id generali axiomati, quod effectus ſint cauſis proportionales, repugnare arbitratur Cl. Cenſor. Principium hoc admitto, utpote quod in ſchol. 1 ax. 3 Elementorum meorum p. 13 & 14 pluribus declaravi & corroboravi, & cum eo convenire debere regulam meam agnoſco. Ecquis vero dixerit, quod ei repugnet, ſi ad rem ſatis attentus fuerit? Dico enim in tubo EF cauſam duplam producere effectum duplum. Cauſa ſcilicet depreſſionis Mercurii non eſt maſſa, ſed elater aeris, ut in prop. 48. p. 149 demonſtravi. Elater vero aeris eſt in ratione compoſita ex directa maſſarum & reciproca voluminum, uti ex *Mariotti* atque *Boylii* experimentis facile deducitur. Jam ex hypotheſi aer in AE eſt 1, in CF eſt 4, volumen AE eſt 1, volumen CF 2. Quare elater in AE eſt ad elaterem in FC ut 1. 2 ad 4. 1, hoc eſt, ut 2 ad 4, ſeu ut 1 ad 2. Q. e. d. Evidens adeo, quod regula principio Metaphyſico

Digitized by Google

phyſico contradicere viſa fuerit, quia Cl. Cenſor falſo aſſumſit, depreſſionem Mercurii a quantitate aeris pendere. Profecto ſi in CF nonniſi aer duplus eſſet; foret ejus elater æqualis elateri alterius in AE. Aeris enim dupli in ſpatio duplo elater idem eſt qui ſimpli in ſimplo.

TITI LIVII HISTORIARUM QUOD EXſtat, cum integris JOHANNIS FREINSHEMII ſupplementis emendatioribus & ſuis locis collocatis, Tabulis Geographicis, & copioſo Indice. Recenſuit & Notulis auxit JOHANNES CLERICUS.

Tomi X.

Amſtelodami, apud Henricum Wetſtenium, & Trajecti ad Rhenum apud Guil. van de Water, 1710, 8.

Alph. 12 pl. 6 & fig. Tabb. æn. 6.

POſt elegantiſſimam Livii editionem, quam doctiſſimus Vir, Thomas Hearne, Oxonii A. 1708 adornavit, & nos menſe Junio A. M DCC IX memoravimus, ea nunc forma recuſus eſt in Belgio inclutus Scriptor, ut facile circumferri, & ab ambulantibus aut ruſticantibus legi poſſit. Vocatus in conſilium Cl. Clericus, ut ad Jo. Frederici Gronovii mentem accuratiſſime ederetur, operam dedit. Itaque non tantum editionem ejus, eliminatis prius typographicis mendis, ſecutus eſt: verum etiam veterum librariorum errores, ubi ſe manifeſte prodebant, e contextu Liviano ex ejus mente ſuſtulit, idque brevibus notulis infimæ paginæ ſubjectis monuit, Lectori faſtidioſum fore ratus, corrupti loci emendationem, abrupta lectione, in notis quærere. Notæ haud frequentes ſunt, & perbreves, modo ex adverſariis Cl. Editoris, qui ſemper Livium in delitiis ſibi fuiſſe affirmat, huc translatæ, modo ſub manu, dum recenſioni eſſet intentus, natæ. Emendant nonnullæ textum, aliæ mentem Autoris explicant, aut pecuniam Romanam ad calculum Belgicum reducunt. Subinde etiam Hiſtorici lapſus modeſte caſtigant. Copioſiores enim quod non adornaverit, quibusve perſpicuum fieret, quicquid in

Livio obſcurum eſt, editionis formæ, & aliis laboribus ſuis imputat. Ad paginarum latera, præter capita rerum narratarum, Conſulum paria annotantur, & quibus Urbis conditæ, ac ante Chriſtum natum annis ſingula geſta ſint. In quibus computandis chronologia doctiſſimi Dodvvelli utitur, cujus ille rationes cum ad calcem Dionyſii Halicarnaſſei, tum Diſſ. X de Cyclis Veterum Romanorum reddidit. Ut vero Johannis Freinshemii ſupplementa ſuis locis insereret, partim cupido iis ſerviendi perſuaſit, qui non Latinitatis tantum cauſa Livium legunt, ſed ut pleniorem quoque populi Romani hiſtoriam inde hauriant, partim quod ſua ſe raritate commendent, & præcipue quotquot ſuperſtes edidit, magna diligentia, nec minori judicio, ſermonis vero elegantia tanta ſcripta ſint, ut in illo genere nihil pulchrius elaborari poſſe judicet. Imo ipſa illa errorum Typographicorum multitudo popoſcit quodammodo, ut ex ſingulis ferme foliis vitiis aliquot ſublatis, correctius prodiret tam utile tamque elegans opus. Verum nomina ſcriptorum, ex quibus ſua depromſit Freinshemius, & in margine editionis Pariſinæ addita, deſiderantur. Accuſat hic chartæ anguſtiam & plurima menda in ſcriptorum nominibus, in libris, capitibusque deſignandis, quæ refingere & alieno adeo loco ſæpe poſita ſuo reſtituere non paſſa eſt otii ipſius ratio. Quippe qui ſatis ſibi negotii fuiſſe queritur, in capitibus, quæ parum accurate notata erant, melius diſtinguendis, & notulis in margine contrahendis emendandisve. Minores lacunas in poſtremis libris Freinshemio jactatas ex conjecturis Caroli Sigonii ſupplevit. Ubi latius hiabant, in lib. XLI, XLIII, XLIV & XLV ſupplementa Jo. Doujatii ex editione, quam Pariſiis A. 1679 vulgavit, accerſivit. Omnia minutiori charactere, minora etiam uncinis inſuper ab ipſius Livii verbis diſtinguuntur. Tomus X præter Indicem Livii, omniumque ejus Supplementorum, exhibet tabulas Geographicas ex Veteris Geographiæ ſcriptoribus optimis deſumptas, nimirum 1 Italiæ, 2 Galliæ Ciſalpinæ, 3 Italiæ mediæ qua Latium, 4 Campaniæ, 5 Græciæ magnæ, 6 Siciliæ, 7 Græciæ antiquæ, & vicinarum inſularum, 8 Aſiæ minoris, 9 Syriæ

riæ & Palæſtinæ, 10 Ægypti Cyrenaicæ, 11 Africæ proprie ſic dictæ, nec non Mauritaniæ & Numidiæ, 12 Hiſpaniæ, 13 Galliæ, 14 totius Imperii Romani.

C. CRISPI SALLUSTII QUÆ EXTANT: cum notis integris GLAREANI, RIVII, CIACCONII, GRUTERI, CARRIONIS, MANUTII, PUTSCHII, DOUSÆ, & ſelectis CASTILIONEI, C. & A. POPMÆ, PALMERII, URSINI, JO. FR. GRONOVII, VICTORII, &c. accedunt JULIUS EXSUPERANTIUS, PORCIUS LATRO, & fragmenta Hiſtoricorum Vett. cum notis A. POPMÆ. Recenſuit, Notas perpetuas & Indices adjecit JOSEPHUS WASSE, Coll. Regin. apud Cantabr. Socius & Nobiliſſ. Marchioni de Kent a ſacris domeſticis.

Cantabrigiæ, apud Cornelium Crovvnfield, 1710, 4.
Alph. 5 pl. 16.

QUi Veterum Scriptorum monimenta nobis reddidere, plerumque non omnes officii ſui partes rite impleverunt. Vulnera enim, quibus ſeculorum barbaries eos afflixerat, utplurimum auxerunt perverſe medendo, dum indomito ac ferocienti ingenio innumeris ſuſpicionibus indulgerent, adeoque lenocinante conjectura, præſertim ſi multum ſpirare eruditionis videbatur, in deterius abſtraherentur. Alii collatione exemplarium priſtinum nitorem reſtituiſſe contenti, errores tamen Autorum in nominibus propriis, temporum computo, rerumque geſtarum enarratione, adhibitis idoneis teſtibus emendandos, *non attigere*. Aut leges certe, mores ac locutiones paulo inſolentiores non ſatis copioſe atque ornate expedivere. Jam vero onus, quod carptim aggreſſi ſunt interpretes, integrum ſubire & provinciam editoris ubique ornare conatus eſt Cl. Joſephus Waſſe. Dignus illi hac opera ſua viſus eſt Salluſtius, quo nullum a ſciolorum manibus magis eſſe inquinatum dolet. Scilicet invitavit illas concitata in Autore hoc orationis pernicitas, cujus amputatæ periodi, ſubiti ictus ſententiarum & dictio ex inopinato præciſa effe-

 cere,

cere, ut librariorum gloſſæ linearum fere numerum exæquarent. Nec potuit altum malum frequentibus editionibus penitus tolli, quarum præcipuas accurata & gravi cenſura perſequitur. Ipſe itaque textum ad Gruteri editionem exegit, quem Virum acerrimi judicii vocat, diligentiæ vero plane ſtupendæ & quaſi in poſterorum ignominiam natæ. Contulerat ille Salluſtium cum XIV codicibus MSC. tantæ in iis tractandis fidei, ut a ſuperſtitioſo parum abeſſet. Ut vero hæc editio omnium epitoma ſit, notas, quæ acri delectu habito mereri id viſæ ſunt, integras fere & Autorum verbis ſubjecit, niſi ubi ipſe eandem rem fuſe deducit, aut illorum lapſus caſtigat. Nam & lectionem Gruteri paſſim contra ejus oppugnatores ex omnis generis Scriptoribus, dictionis Salluſtianæ æmulis, vindicat, & loca in quibus illos παρῳδεῖν Salluſtium credidit, diligentiſſime congerit, pari diligentia Græcos inveſtigans, a quorum fonte multa hauſiſſe Criſpum, conſtat. Illi cum plerumque ſermonis copia tantum non diffluant, ſenſa Noſtri, preſſiora licet, ſententias confragoſas, formulas loquendi, imo & verba ſolitaria præclare illuſtrant. Nec Geographiæ, Antiquitatum, Hiſtoriæ, aut moralium, ubi illa attingit homo ignava opera & philoſopha ſententia, oblitus eſt, allegatis in Præfatione locis, quæ ſpeciminis inſtar, quid in ſingulis præſtiterit, declarare queant. In variantibus lectionibus conſulto parcior eſt, quarum ingens ſylva deficere illum non potuiſſet, ni faſtidioſam Lectori fore prævidiſſet. Quippe præter antiquiſſimas editiones rariſſimasque A. 1470 & 1478 Venetiis excuſas, a Jo. Moro Elienſi Epiſcopo ſecum communicatas, aliasque præſtantiſſimas, octoginta circiter codices in conſilium adhibuit. Laudat officioſam humanitatem doctiſſimi nobisque faventiſſimi Viri, Jo. Laughton, Bibliothecæ publicæ Cantabrigiæ Præfecti, Jo. Poſtlethvvayt, Gymnaſii Paulini Rectoris, Hadriani Relandi, Jo. Hudſoni, nec non Richardi Bentleji. Ex ſeptem autem codicibus Bibliothecæ Guelpherbytanæ, quorum guſtum Ill. Leibnitius dederat, ne unico frui licuit. Poſt vitam Salluſtii, bellum Catilinarium, Jugurthinum, & ſat largam meſſem fragmento-

rum

rum, e VI libris Hiſtoriarum ſecundum illorum ſeriem ingenioſe digeſtam, duæ ejus epiſtolæ ad C. Cæſarem de Republica ordinanda ſubſequuntur, quæ male orationes paſſim inſcribuntur. Has declamatio ejusdem in M. Tullium Ciceronem, Julii Exſuperantii opuſculum de Marii, Lepidi ac Sartorii bellis civilibus, & Porcii Latronis declamatio contra *Lucium Sergium Catilinam* excipit. Inde ſiſtunt ſe fragmenta antiquiſſimorum Hiſtoricorum, N. Fabii Pictoris, Q. Fabii Maxumi, C. Acilii, C. Fannii, Vennonii, Libonis, M. Porcii Catonis &c. de quibus plerumque in notis non nulla conjiciuntur. Agmen claudit Index verborum formularumque loquendi oppido pulcher & omnibus fere præferendus, quibus ſe jactant Autores in uſum Delphini adornati; nec non alius Auctorum qui in notis aut emendantur aut illuſtrantur *notanturve*.

EXCERPTUM E LITTERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI JC. ad J.B.M.

VIrum Clariſſimum, Henricum Brenkmannum JC. non ſubſtitiſſe in MSti Bynckershoekiani evolutione, ſed ad ipſos Florentinorum etiam theſauros Juris Romani excutiendos properaſſe, fere ſupra vota plurimorum hactenus fuiſſe judicandum eſt. Videbant autem Statores Jurisprudentiæ univerſæ, quos Belgium habet, quosque, qua patet uſus legum Romanarum & totius Literaturæ, orbis cultior admiratur, non poſſe repræſentari genuinam Pandectarum Florentinarum, quam jactari ab omnibus notum eſt, editionem, niſi ab ovo inſpiciatur membrana illa Tuſca, in cujus fidem tot populi a multis ſeculis conſenſerunt, ſed eam oculis tantum alienis e longinquo ſunt venerati. Neceſſe eſt autem propius admoveri tandem, niſi aram veluti Dei ignoti nobis adorandam, diutius cuſtodire tantum velit dives opum harum Hetruria. Fiet etiam, ut nemine cogitante tunc non pauca inde diſcamus, ad quæ obhæſere Virorum doctiſſimorum meræ conjecturæ; dum ex ingenio ſuo volebant conſilium adhibere,

 bere,

Digitized by Google

bere, ubi ante omnia inſpectione fontium opus fuerat. Gaudebunt autem inſigniter illi, qui in iſtis fontibus deprehendent, quæ antea hariolando ac divinando certo ſciri a nemine poterant. Evaneſcent contra & in fumum ibunt multæ lectiones & emendationes, curioſæ magis quam felices, adeo ut tantum non vim pateretur melior ille Codex Florentinus. Fiet etiam, ut qui nunc ad oram magno ſtipantur apparatu, diſcordes verborum ordines maximam partem reſecentur, & ſola evidentia textus omnes tenebras antinomiarum vel diſpellat omnino, vel indolem mentemque Legis a ſtudiis Interpretum, ſæpe moleſte ſedulis, diſtinguat. Altera temporum felicitas verſabitur in revelatione ejus arcani, quod paucis ſolummodo e JCtorum ſchola cognitum fuerat. Si enim cujusq; libri capita hactenus diſperſa rurſum conjungantur, lucem ſane dabunt & interpretationem, non factam ſed natam. Et hanc inſtituti ſui ſpem valde requirent in Clariſſimi Brenkmanni ſpecimine, nunc quidem edito, omnes boni Lectores. Optabuntque, Alfenum Varum nunc demum ſuos textus enarrare uberius, & fructum hujus conjunctionis ex ipſis doctrinarum argumentis in oculos noſtros incidere. At illi magis congruum videbatur, ſervare iſtam œconomiam futuris laboribus, qui reſtant: atque tunc inſtabunt mentes erectiores, ut nucleum etiam porrigat, qui corticis frangendi auxilium dedit. Vitam Alfeni ex iis, quos habemus, auctoribus modernis contraxit utique Noſter. Dubitabunt autem eruditiores, an Horatio in mentem venerit, hunc JCtum ſutrinam exercuiſſe Cremonæ, tandem Romam ſe contuliſſe, ac Servio Sulpitio præceptore demum Carmina & Philoſophiæ artes & Juris ſcientiam hauſiſſe. Nihil de iſta ſutrina Cremonenſi apud Pomponium Gelliumque. Horatius autem, ſi vera ſubeſſe noverat, in laude poſiturus erat fatum iſtud Alfeni heroicum, & ſupra omnem invidiam facetiasque. Ille certe de neſcio quo ſutore perinde loquitur, ſicut de cantore & modulatore, quem Hermogenem vocat. Imo apud Horatium recitantur verba Chryſippi, principis Stoicorum: dives eſt, inquit, qui ſapiens. Et ſapiens crepidas ſibi nunquam, nec ſoleas fecit:

ſutor

ſutor tamen eſt ſapiens, etiam ubi artem non exercet. Nam eodem modo Hermogenes, quamvis taceat, Cantor tamen atque modulator eſt optimus: ſicuti Alfenus vafer ſutor erat, omni licet inſtrumento artis abjecto, clauſaque taberna. Et ſic omnis bonus ſolus eſt opifex, imo Rex. Perperam hic opinabantur interpretes Horatii, intelligi Alfenum JCtum noſtrum, & eum ſutorem fuiſſe Cremonenſem. Meliores probationes urgeo: quanquam multos deceperit juris magiſtros neglecta ab ipſis exactior Horatii inveſtigatio, *Libr. I Satyr. 3.* Putidum enim, illum irriſiſſe Virum ea ætate adhuc viventem, & nemini fama eruditionis gloriaque virtutis ſecundum. Quintilium Varum Euſebius Cremonenſem fuiſſe perhibet. De noſtro ſimile nondum eſt proditum. Virgilius etiam Vari meminit Ecloga IX:

Vare tuum nomen, ſuperet modo Mantua nobis,
(Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ)
Cantantes ſublime ferent ad ſidera Cygni.

Quis vero ex nominis convenientia ad JCtum noſtrum torquebit hæc omnia. Ipſe Horatius ad Quintilium Varum ſcripſit Odam 18 Libr. 1 Carm. Et Varum neſcio quem memorat Epod. V, 73. Alibi Varium Poetam cum eodem Hermogene Cantore jungit, *Lib. 1 Satyr. 9.* Et Satyra 10: *forte epos acer, ut nemo, Varius ducit, molle atque facetum Virgilio.* Cur non & ibi ſutrinam finxere interpretes? Et primus eorum, qui nunc ſuccurrunt, fabulam Acronis ſubeſſe conjiciebat Jo. Bertrandus: *Si Acroni credimus, qui de Noſtro putat intellexiſſe Horatium. Noſter autem JCtus P. Alphenum Varum patrem habuit, ut ex Dione colligere licet.* Argumentum credo libri LV ante oculos eum habuiſſe, ubi 755 Conſules, *P. Vinicius & P. Alfenus, Publii filius, Varus.* Putidum etiam, Horatium Noſtro imputare voluiſſe *Juris vafri* dedecus, quod fecit alibi, Lib. 2. Satyra 2. Et Rutilius perinde ſubdubitabat, *ut Horatianis interpretibus placuit. Alium* [illegible] *eſſe, de quo multa Cicero in Oratione pro Quintio.* Diſtinxit quoque Rutilius Alphenum Papiniani diſcipulum a Noſtro, quod mirum eſt non vidiſſe Guil. Grotium Lib. I c. 11, & Henelium c. 3

potuiſſe

potuiſſe de ſuo addere, Alphenum ætate jam provectiorem, cum diu ſutrinam exercuiſſet, Romam veniſſe. Denique ne iſtud quidem conſtat, eum Carmina compoſuiſſe, certe Catullo amiciſſimum fuiſſe. Mentio fit Alpheni apud Catullum: *Alphene immemor atque unanimis falſe ſodalibus*. Recte autem Muretus: *neſcio an JCtum Servii Sulpitii diſcipulum accuſat*. Scaliger etiam eundem dicebat, de quo ſupra: *Varus me meus ad ſuos amores*. Prorſus ergo aliena omnia. Nam & Servius nihil diſerte affirmavit. Eberlinus contra animadvertit, Catullum abuti nomine Noſtri: quod & Horatio forte accidit.

DISSERTATIO EPISTOLICA, QUA HIEROCLIS in Aurea Pythagoræ Carmina Commentarius partim illuſtratur, partim emendatur, ſcripta a JO. CHRISTOPHORO WOLFIO, Prof. Philoſ. Extraord. Vitteberg.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſch & Fil. 1710, 8 maj.

Plag. $4\frac{1}{2}$.

PRodiit ſuperiore anno Cantabrigiæ Hieroclis in Aurea Pythagoræ Carmina Commentarius novis V.C. Petri Needhami curis illuſtratus, quod vel ex Actis noſtris ſpecialiusque menſe Auguſto ſuperioris anni intelligitur. Quamvis itaque Cl. Editor in hac editione procuranda nullis nec ingenii nec doctrinæ nec Codicum denique præſidiis deſtitutus, feliciter fuerit verſatus, collationem tamen MSti Medicei, illiusque optimæ notæ, deſideravit, adeoque in illis obſervationibus acquieſcere coactus eſt, quas Cl. Dacerius per Epiſtolam ſecum Florentia communicatas ex hoc Codice notis ſuis inſperſerat. Cum autem hujus Diſſertationis epiſtolicæ Scriptor Clariſſ. illius, quem diximus, Codicis collationem, a B. Gudio Florentiæ olim inſtitutam, a Cl. Fabricio integram nactus eſſet, ejusque beneficio variis locis, ceu in Actis noſtris l. c. itidem admonitum eſt, medelam afferri poſſe intelligeret; Diſſertatione hac epiſtolica ad V. C. Jo. Burchardum Menckenium

nium perſcripta variantes illius lectiones ita expoſuit, ut, quid de præcipuis habendum eſſet, adhibitis Criticæ artis regulis conſtaret. Ex quo adeo factum eſt, ut interdum emendationes a Cl. Needhamo allatæ hujus Collationis auctoritate confirmarentur, præterea vero aliæ novæ eruerentur. Sic in Hierocle p. 14 v. 10 Mediceus pro *ποιητοῦ* legit *δημιουργοῦ*, quam lectionem Noſter ab Hierocle profectam ſtatuit, quod eo in loco Hierocles in explicatione *τοῦ δημιουργικοῦ νόμου* (ita enim in Epiſtola legendum eſt) verſatur, ac præterea hæc Dei appellatio Græcis Scriptoribus familiariter adhibetur. In eadem pagina v. 19 mavult legere cum Mediceo *θεῶν ὕπατον* quam *θεὸν ὕπατον*, cum ita ferat Græcorum Scriptorum mos, qui inter cetera Dei ſummi nomina, de quibus ſtrictim diſſeritur, hoc quoque iſta forma familiare ſibi eſſe voluerunt. Pag. 16 v. 3 pro *ὑποφορᾷ* legit cum Mediceo *ἀποφορᾷ*, quæ vox & ſenſui & uſui ſcriptorum magis accommodata ipſi viſa eſt. Pag. 22 v. 11 pro *ὑπόστασιν* cum Mediceo legit *ὑπόβασιν*, qua voce paulo ante uſus erat Hierocles. Pag. 28 v. 2 pro *στροφὴν* legit cum Medic. *ἐπιστροφὴν*, quia hoc in loco Hierocles per *θείαν ἐπιστροφὴν* idem innuere videtur, quod ſuperius p. 16 v. 16. dixerat *τὴν πρὸς Θεὸν ἐπιστροφὴν*, adde pag. 30 v. 5. P. 28 v. 16 poſt *νόμους* ex Medic. addit *προσαναγκάζων*, ut ſenſus ſit, *jusjurandum neceſſitatem imponere leges ab ipſo latas nunquam violandi*. Ibidem v. 20 Cl. Needhamus pro *μεταρρυθμίζει* legi juſſit *μεταρρυθμίζῃ*, quam conjecturam firmat Mediceus. Pag. 40 v. 8 legit: *πάντων οὖν ἀνθρώπων κατὰ τοῦτο χθονίων ὄντων λογικῶν*, hoc ſenſu, *cum igitur omnes homines ſecundum ea, quæ dicta ſunt, terreni exiſtentes, rationales ſint*: quam quidem lectionem in ipſo contextu fundamentum invenire legenti patebit. P. 46 v. 13 pro *ἢ βίου ἀλλοτρίωσιν* magis probat *ἢ κλήρου ἀλλοτρίωσιν*, quod *κλῆρος* proprie denotet opes, quæ hereditate ad aliquem pervenerunt, de cujus generis facultatibus Hierocli ibi ſermo eſt. Hanc autem propriam eſſe *τοῦ κλῆρος* notionem, Illuſtrem Spanhemium ad Callimachi hymnum in Delum v. 281 & Grævium p. 37 Lectionum Heſiodearum probaſſe monet. Pag.

134 v. 19 εἰ μὲν γὰρ πράττοιτό τι μεθ' ἡδονῆς αἰσχρὸν, ἡ μὲν ἡδονὴ παρῆλθε, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει, ita Mediceus recte, cum vulgati pro αἰσχρὸν poſteriori loco legant κακὸν contextu refragante. Atque hæc quidem ſpeciminis loco ſufficiant, ex quo de ceteris facile ferri poteſt judicium. Ceterum intelligimus, Auctorem non alienum eſſe ab hoc conſilio, ut Hieroclem integrum, in noſtris quidem oris perrarum, in lucem aliquando denuo proferat, notis præcipue ejusmodi illuſtratum, quæ miram ſtyli Hieroclei cum Novi Fœderis & Scriptorum Eccleſiaſticorum dictione convenientiam oſtendant.

JO. CONRADI SCHWARTZ EPISTOLA AD PERilluſtrem & Excellentiſſimum Virum, Dominum GODEFRIDUM GUILIELMUM LEIBNITIUM, de finibus veteris Helvetiæ longius, quam vulgo ſolet, protrahendis.

Coburgi, typis Jo. Nic. Monachi, 1710, 4
Plag. 4.

DUos lectores ex iisdem veterum ſcriptorum locis diverſas elicere poſſe & ſolere ſententias, dudum experientia teſtatur. Hoc ex hac quoque Epiſtola perſpicient antiquæ Geographiæ ſtudioſi. Autor enim ejus doctiſſimus ex eodem Cæſaris loco, unde Cluverius eum numerum paſſuum, quem Cæſar longitudini Helvetiæ tribuit, confutat, nunc ſtabilit. Negat enim Cæſarem fines Helvetiæ ponere ab ea Rheni parte, quæ a fontibus Rheni ad lacum Acronium pertinet: quia Cæſar *Rhenum, qui Helvetios a Germanis dividit*, pro limite nominat. At eam partem Rheni, quæ a fontibus ad Brigantinum lacum procurrit, non dividere Helvetios a Germanis, ſed ab Illyrico magno, certum eſt. Et ſane particulam *qui* in hujusmodi locorum definitionibus magis vim determinativam habere, quam explicativam, vix dubium eſſe Noſter credit. Nam, exempli gratia, Danubius qui Ungariam inferiorem a ſuperiore dividit, non eſt totus Danubius, quantuscunque eſt, ſed pars Danubii. Ergo ultra Rheni partem illam, quæ Illyricum magnum ſpectat, Cl. Autor Helvetiam in LXX paſſuum

millia

millia prolatat. Vocat in ſubſidium deinde Taciti locum de morib. German. cap. XXVIII ſect. 3, quem adhuc ab Interpretibus neglectum nec ſatis expenſum accurate examinat, & corruptum eſſe, indubiis argumentis demonſtrat. Ipſe cum parva correctione ita legit: *Rhenumque & Oenum amnes.* Denique ex Strabone argumenta quædam affert, quæ ex epiſtola ipſa rectius, quam ex brevi enarratione cognoſcentur, Ita enim omnia connexa ſunt, ut decerpi nihil queat.

APOLOGIE POUR LA VIEILLE CITE' d' Avenche &c.

h. e.

APOLOGIA PRO VETERI AVENTICO, VRBE Helvetiæ in pago Bernenſi & tractu Vrbigeno ſita, oppoſita novo cuidam tractatui de urbe Antrenſi detecta, cujus Autor contra fidem veteris & recentioris hiſtoriæ Aventicum ex Helvetia transfert in Burgundiam.

Bernæ, 1710, in 8 maj.

Plag. 17.

CUm Autor anonymus *Detectæ urbis Antrenſis*, cujus librum Anno ſuperiori M. Junio recenſuimus, in ruderibus p. 268. prope lacum Antrenſem Comitatus Burgundiæ repertis veſtigia veteris Aventici ſibi deprehendiſſe videretur, civitatem hanc non in Helvetiis, ſed in Sequanis, adeoque in hodierno comitatu Burgundiæ ſitam fuiſſe, urbem vero pagi Bernenſis, quæ hodie Aventicum dicitur, vero nomine Forum Tiberii nuncupandam eſſe, contra communem omnium modernorum Geographorum ſententiam aliquot diſſertationibus probandum ſuſceperat. Ea re permotus auctor hujus Apologiæ Marquardus Wildius, natione Helvetius, antiquitates urbis patriæ diligentius exquiſivit, eamque a veteri Aventico minime diverſam, Forum Tiberii autem in urbe Rhenana pagi Tigurini, quæ Germanis Käyſerſtuhl dicitur, ſuperſtitem eſſe, operoſe aſſeruit. Omnia ergo huc redeunt,

deunt, ut partim Anonymi argumenta refutet, partim firmio-
ribus rationibus ſuam atque communem ſententiam defen-
dat. Inter adverſarii argumenta præcipuum eſſe videtur-
quod e Ptolemæo petit, qui diſerte Avanticum inter Se,
p. 34-42. quanorum urbes memorat. Ad hoc reſpondetur 1 Ptole-
mæum, etſi principem veterum Geographorum, cum primus
in remoto Aegypti angulo ex aliorum relationibus Orbis ter-
rarum partes ac regiones deſcripſerit, ab omnibus erroribus
non immunem eſſe potuiſſe: quorum quippe a ſolo Surita,
ſcriptore Hiſpano, in Comment. ad Itinerarium Antonini ſu-
pra quinquaginta jam Seculo XVI notati fuerint. 2 Eum
floruiſſe ſub Hadriano Imp. quo tempore Occidentalis Hel-
vetiæ pars, ad quam ſpectat Aventicum, Maximæ Sequano-
rum provinciæ, ut Orientalis Rhetiæ annexa fuerit, ut adeo
vix nomen Helveticum apud horum temporum ſcripto-
res amplius occurrat. Qua occaſione ſimul mutationes, quæ
in diſtributione provinciarum Romanarum ſub Julio Cæſare,
Auguſto, Hadriano & Conſtantino M. factæ ſunt, ſatis lucu-
lenter ob oculos ponit. Pro communi autem ſententia con-
tra Anonymum præcipue urget teſtimonium Taciti, qui ipſe
Helveticos adiit, & Aventicum diſerte *caput gentis illius* no-
minavit *Hiſt. I, 68*, quem locum Cl. Wildius omni, in quam ab
Anonymo vocatus fuerat, *νοθείας* ſuſpicione vacare, mani-
feſto demonſtrat. Provocat præterea ad numos & inſcriptiones,
partim in ipſa urbe partim prope eam repertas, quarum non-
nullæ ipſum Aventici nomen exhibent, ad cultum Aventiæ
Deæ Helvetiorum tutelaris ac propriæ, a qua ſine dubio urbs
ſæpe dicta nomen trahat, ad teſtimonia Itinerarii Antonini,
Gregorii item Turonenſis, Fredegarii &c. imo ad conſenſum
omnium Geographorum a Tacito usque ad celeberrimum
176 ſq. Cellarium. His ita excuſſis, hiſtoriam & Chronologiam Aven-
tici exhibet, cum ex antiquis ſcriptoribus tum domeſticis mo-
nimentis concinnatam, in qua originem ejus ab anno 589
ante C. N. deducit. Subjungit etiam p. 209 ſqq. inſcriptio-
nes Romanas Aventici & in circumjacente regione repertas,
quæ ad hiſtoriæ hujus illuſtrationem pertinent, quibus hanc
unam

unam hodieque ſuperſtitem & a Grutero aliisque Inſcriptionum collectoribus omiſſam excerpimus: p. 239.

JUL. C. F. FABIO CAMILLO
AC. AUG. MAG. TRIB. MIL.
EG. IIII. MACED. HAST. PUR.
T CORONA AUREA DONATO
TI. CLAUDIO CÆSARE AUG.
IER. CUM AB EO EVOCATUS
N BRITANNIA MILITASSET
OL. PIA FLAVIA CONSTANS
EMERITA HELVETIOR.
EX VOTO D.D.

Hanc ita ſupplet atque exponit: *Julio Caji Filio, Fabio, Camillo, factionis Auguſti Magiſtro, Tribuno Militum Legionis Quartæ Macedonicæ, Haſta pura & corona aurea donato a Tiberio Claudio Cæſare Auguſto Germanico, cum ab eo evocatus in Britannia militaſſet, Colonia Pia, Flavia, Conſtans, Emerita Helvetiorum ex voto dedicavit.* Coloniam, à qua hoc monumentum poſitum eſt, eam ipſam eſſe exiſtimat, quam T. Flavius Veſpaſianus Aventicum deduxit, cum in alia inſcriptione huic prorſus gemina inter verba *Emerita* & *Helvetiorum* diſerte *Aventicum* interponatur. Denique appendicis loco ex Muſæo Bernenſi duo affert antiqua monumenta ænea rariſſima, in eadem regione eruta, & figuris ab Autore expreſſa. Alterum eſt lucerna ſepulchralis duplici effigie, altera Satyræ cujusdam, altera Fauni junioris, inſignis. Has effigies Autor Lares fuiſſe, partim ex unguibus caninis, quibus lampas ſuſtinetur, partim ex hirundine, quam Faunus dextra tenet, ave ſcilicet domeſticâ, conjicit, & illos tombis domeſticis interdum inſeri conſueviſſe oſtendit. Alterum monumentum, ex ruderibus ad Lacum Lemanum effoſſum, victimam refert Neptuno ex Autoris ſententia immolandam. Huic adſtat ſacerdos habitu Pontificiali libationis ritum exprimens, dum dextra manu ex ſimpuvio vaſe ſacrificali liquorem inter cornua tauri

Margin: 240. ſq. — 252. — TAB. I. Fig. 10.

tauri effundit, ſtrigili autem, quam ſiniſtra tenet, utrum victima ſacrificio idonea ſit, explorat, & præterea ore diducto, quaſi carmen ſolenne recitans, repræſentatur.

EMENDATIONES IN MENANDRI ET PHILEmonis Reliquias ex nupera Editione JOANNIS CLERICI: ubi multa Grotii & aliorum, plurima vero Clerici errata caſtigantur; Auctore PHILELEUTHERO LIPSIENSI.

Trajecti ad Rhenum, ex Officina Gulielmi van de Water, 1710, 8 maj.

Plag. 11.

RΕcenſuimus in Actis Anni ſuperioris p. 111 libellum Cl. Clerici, in quem hæ Emendationes ſcriptæ ſunt. Monitum ibi a Viro quodam Clariſſimo, *non pauca ſibi animadverſa in Notis Clerici, quæ corrigenda videantur:* & forte fore, *ut data opera perlecto Libro plura obſerventur, alio tempore aliaque occaſione cum Cl. Clerico communicanda.* Illa ſine dubio pleraque, & forte alia, quæ haud facile quivis ſentire potuiſſet, ab eruditiſſimo harum Emendationum Auctore occupata: & per Cl. Burmannum typis vulgata hic ſunt, qui etiam Præfationem præmiſit longiuſculam, in qua ſatis acerbe invehitur in Cl. Clericum, inſuperque errata quædam ipſe etiam notare conatur. Ipſe Auctor Emendationum nomen ſuum diſſimulavit, & pro eo fictitium adſcivit: quin etiam Patriam videtur nominare alienam, cum ſe Lipſienſem dicit, etſi minime erubeſcendus nobis foret civis; *ab extera* tantum *regione*, in Præfatione dicitur, Ultrajectum *miſſas fuiſſe* has Emendationes *ad typographum* ſine ullo indicio, niſi quod primæ paginæ iſta eſſent adſcripta: *Hæc edantur a Cl. Burmanno, qui Præfationem, & ſi velit, Dedicationem præmittat. Scriptæ hæ Emendationes Opera extemporali, & finitæ Idibus Decembribus Anno* M DCC IX. Etſi autem eruditiſſimus Autor hoc pacto latere ſtudeat, haud facile tamen latebit; cum pauci ſint, a quibus ſimilia ſperari potuiſſent. Et facile recordantur Eruditi

diti, ubi gemina iſtis legerint Autore nomen profitente, quæ tantam Linguæ Græcæ cognitionem, judicii acrimoniam & animi ſagacitatem præ ſe ferant. Multæ in hoc quamvis extemporali ſcripto ingenioſiſſimæ & feliciſſimæ Conjecturæ, certiſſimæ Emendationes. Nos hic duas tantum aut tres Viri magni Obſervationes afferemus, non inutiles futuras harum rerum ſtudioſis. Reprehendit merito Hugonem Grotium, qui hæc Fragmenta emendans & in verſus redigens, aliquoties Ioniſmos immiſcuerit, ut λαλέειν, de quo agit Num. CCXXVI (numeri Romani ſignificant Capita libelli) ποιέων Num. CCCIV ὁράω Num. CCXCIV, quod poſtremum & ſimilia ne Iones quidem facile ita proferunt. Recte autem obſervat, hæc Atticis perperam miſceri in Comœdia. Hinc nimirum apud Ariſtophanem cum quidam dixiſſet εἶ, *alius ſubjicit*: ἀλλὰ τοῦτό γ' ἐστ' Ἰωνικὸν τὸ ῥῆμα in Pace v. 929; etiam alterius formæ Jonica recte improbat, ut πουλὺς Num. CCLXXII & μοῦνος Num. CCXCI. Potuiſſet autem, ſi voluiſſet, monere, non omnes Ioniſmos exulare ex Comœdia; ut Dativos plur. in οισι, αισι, & in quibusdam ησι. Poetica etiam vocabula recte rejicit, tanquam in ſermone communi & Scena Attica nullum locum habentia; ut πέλεται Num. XLII, πέλει Num. CCXXVII, δίζειν Num. XCVIII, ὅσσα Num. CLXXV, ἐσσὶ Num. CCLXXXI. Alia eſt Obſervatio de Hiatu inter duas voces, inter quas nulla intercedit conſonans, illum nempe eſſe vitandum, ut τοῦτο ὅπως Num. LXXVII, ταῦτα ὅσσα Num. CLXXV, ἐθέλει εἰς Num. CCXCII, καὶ ἐχλήσεις Num. CCXCV, ubi hæc ſcribit: *Sæpe dixi ab hiatu illo concurrentium vocalium veteres maxime caviſſe.* Et id quidem apud Comicos atque Tragicos perpetuum, ſi heroica aut elegiaca non immiſceant; exceptis paucis quibusdam, ut τί; ſic in Avibus Ariſtoph. v. 3 τί ὦ πόνηρ' ἄνω κάτω πλανύττομεν; & v. 48. οὗτος; τί ἐστιν; & paſſim. Egregia etiam Obſervatio eſt, certas quasdam particulas non inchoare verſum; ut γάρ. Hinc Num. CX facile digerit Fragmentum, quod male ſic habebat:

—μετ'

—μετ' Ἀριςοτέλȣς
Γὰρ τέτ]αρας ὀϐολȣ̃ς τῆς ἡμέρας φέρων.

Digerit autem ſic: Μετ' Ἀριςοτέλȣς γὰρ τέτ]αρας τῆς ἡμέρας
Ὀϐολȣ̃ς φέρων—

Sed ne exemplis aliis adducendis longiores ſimus, quæ ſummatim de hac re dicit Num. CCXLVII, hic ſubjungemus. *Ut verbo dicam*, inquit, *vocabula illa, quæ ὑποτακτικὰ Græci magiſtri appellant, quæque ſententiam incboare non poſſunt, ut μὲν, γὰρ, δὲ, ἂν, πȣ & ſimilia, ea neque verſum incboare poſſunt. Hoc verum eſſe ſtudioſi experimento ſcient.* Hæc præclara ſunt, & ſæpe errores deprehendendi ac emendandi viam oſtendere poſſunt.

Quam multa præterea ex metri legibus rectiſſime corrigat, cognoſcere Lectorem ex libello ipſo malumus. Maxima pars reprehenſionis in eo fere conſiſtit, quia Cl. Clericus minus accurate metra tractaverit. Quamvis ipſe de ea re monuiſſet Lectorem in Præfatione, ubi inter alia, *Cave*, inquit, *credas omnia a nobis pro bonis & integris verſibus proponi.* Sed ecqua hic injuria Clerico fiat, aliis judicandum relinquimus. Illud jure quis miretur, quomodo rei metricæ callentiſſimus Autor Emendationum verſum quendam (nam omnes non examinavimus) recte habentem, mutatum voluerit. Nempe Num. CCCI ad hunc verſum:

Ἔξεςιν ἀποκτείνειν μὲν, ἀποθνήσκειν δὲ μὴ.

hæc annotat; *Ante duas conſonantes, quarum neutra liquida eſt, ſyllaba corripi non poteſt, repone igitur:* Ἔξεςʼ ἀποκ]είνειν— Nempe Tribrachyn ſecundo loco toleraſſet, ſit enim Tribrachys, ſi manente ἔξεςιν, ō in ἀποκτείνειν ponamus corripi poſſe; Anapæſtum autem non tolerabit? Atqui ipſe ſcribit Num. LIII: *Senarium quippe Comicum etiam in ſecundo loco Anapæſtum adſciſcere, vel primus ille Ariſtophanis verſiculus exemplo eſt:* Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμʼ ἐςὶν ὦ Ζεῦ καὶ θεοί. Alio etiam loco meminimus eum pro Anapæſto ſubſtituiſſe jambum; quia nempe id videbat ſine violenta mutatione fieri poſſe. Quamvis autem multi Senarii apud veteres mutandi ſint, ſi hanc rationem ſequi velimus; tamen hoc levius putemus præ

eo,

eo, quod non animadvertit ſe, in eo etiam a ſe ipſo diſcedere, quod immiſceret Poetica quædam. Tale autem videtur Articulum præpoſitivum ponere pro Pronomine, ut τὰ pro ταῦτα Num. CXCI, ubi verſum, qui apud Stobæum ſic habet, nec male:

Τὴν γὰρ ὁμόνοιαν τὴν πρὸς ἀλλήλους ποιεῖ

ſic emendat: Τὰ γὰρ ὁμόνοιαν τὴν πρὸς ἀλλήλους ποιεῖ, & vertit: *Hæc enim concordiam mutuam efficiunt.* Quaſi eſſet: ταῦτα γὰρ ὁμόνοιαν τὴν πρὸς ἀλλήλους ποιεῖ, aut neglecta metri lege: τὰ γὰρ ὁμόνοιαν τὴν πρὸς ἀλλήλους ποιοῦντα ταῦτα ἐστί. Tale etiam videtur τοῖον ponere pro τοιοῦτον, quod fecit Num. CCLXXVII, ubi cum Clericus non male edidiſſet:

—οἷος γέγονέ μοι
Οἷον παρατέθεικ' οὐ πεφαρμακευμένον

& ita vertiſſet, ut hæc ſint admirantis verba itidem bene; Auctor Emendationum corrigit:

—ὅιος γέγονέ μοι
Τοῖον παρέθηκεν καὶ πεφαρμακευμένον.

De τοιόνδε hic non loquor. Tale quid videtur & οἷ pro ἑαυτῷ ſive ἑαυτῇ· Num. CCLXXIII, ubi hujusmodi orationem format: ἔχει καρπόν οἱ τὰ δάκρυα, & vertit: *habet ſibi fructum lacrymas.*

Quoniam autem eo delapſi ſumus, ut cœperimus quædam velle notare in Emendationum Libello, monendos duximus Lectores, eum, qui hæc nunc ſcribit, non apologiam pro Clerico inſtituiſſe, qui iſto defenſore nihil indiget: nec in arenam velle deſcendere cum ejus Adverſario, cui ſe longe longeque *imparem ſentit*; ſed quia Emendationes has, & earum Auctorem, quisquis eſt, debita deprædicatione fraudare non potuit, durum & inhumanum putavit, ſi adverſario ignoto noti ſibi hominis & amici ita addictus eſſe videatur, ut eum non tantum dilaudet, ſed etiam nævos ejus, ſi qui ſint, diſſimulet. Bona igitur cum venia afferemus pauca, quæ ſe nobis in Emendationum libello minus probare potuerunt. Num. XCVIII in fine recte vidit Auctor, vocem, συνιδὼν de eo *qui conſcius ſibi eſt*, non poſſe accipi; ſed cum dicit, *corrigen-*

dum eſſe συνιὼν *aut* συνειδὼς, fallitur in voce συνιὼν putans eam a συνίημι (unde σύνεσις *conſcientia*) formari poſſe, cujus participium eſt συνιεὶς & συνεὶς, cum συνιὼν formetur ex εἶμι *eo, ibo*, quod hic nullum locum habet. Num. CVIII p. 47 lin. 4 ὐδέγ' οἶσθα σ' ἄθλιε; (ita enim ibi imprimendum fuiſſe docet index erratorum) reponit, pro ὐδέ μ' εἶσθα σ' ἄθλιε· paulo quidem melius, ſed non omnino bene; vertit enim: *Nonne res tuas noſti miſer?* ut, ſi quis miſſas facere eliſiones velit, ſcribendum ſit: ὐδέ γε οἶσθα σὰ ἄθλιε; duo autem inſunt incommoda: primo in σὰ elidit α, quod vix fieri poteſt, niſi articulus, aut ſubſtantivum ejusdem caſus adſit, unde dignoſci poſſit σὰ intelligendum eſſe non σέ· deinde σὰ omiſſo ſubſtantivo poſitum requirit articulum. Itaque neglecto metro ſic ſententia illa effertur: ὐδέ γε οἶσθα τὰ σὰ ἄθλιε; melius ergo emendaſſet hoc modo —ὐδὲν οἶσθ' ἄρ' ἄθλιε, *nihil ſcis ergo miſer.* Mirum cur Num. CXV, εἰς πάντα δυλέυειν *plane barbarum* dicat eſſe; cum εἰς πάντα idem ſit quod παντελῶς, & poſſit iisdem, quibus hoc, verbis jungi. Sic σωφρονεῖν εἰς τὰ πάντ' ἀεὶ apud Euripidem ἐν Βάκχαις v. 315: hinc etiam cum πάντως conjungitur apud Ariſtophanem in Pluto v. 273: πάντως γὰρ τοιῦτον εἰς τὰ πάντα ἡγεῖσθέ μ' εἶναι; nempe ut πάνυ πάμπαν conjunguntur apud eundem in Pace v. 120: ἔ δον δ' ἀργυρίυ μηδὲ ψακὰς ἢ πάνυ πάμπαν. Sic in ſingulari numero Æſchylus in Agamemnone v. 690: τίς ποτ' ὠνόμαζεν ὧδ' ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως; idem in Eumenidibus v. 291: πιςὸν δικαίως ἐς τὸ πᾶν τε σύμμαχον. Num. CXLIV p. 63 lin. 28, ubi de τύχη eſt ſermo, emendat

—Ταύτην καὶ φρένας
Δεῖ, καὶ πρόνοιαν τὴν θεῶν καλεῖν μόνην,

cum Clericus recte edidiſſet —ταύτην καὶ φρένας
Δεῖ, καὶ πρόνοιαν τὴν θεὸν καλεῖν μόνην.

Paulo ante commemoraverat Menander θνητὴν πρόνοιαν· cur ergo nunc inferretur θεῶν πρόνοια; Num. CLXVII p. 65 lin. 30 legi jubet: Πῦρ· ταῦτ' ἔτη σε κἂν ἑκατὸν ζῶν' ἔδει
Ὄψει παρόντα — & vertit: *Hæc, etiamſi annos centum te vivere oporteret, præſentia videbis,* Atqui

κἂν

κἂν βιῶναι ἔδει eſt *etiamſi vivere oportuiſſet.* Vide an melius ſit quod nos dabimus:

Πῦρ· Ταῦτ' ἔτη σε κἂν ἑκατὸν βιοῦν δέῃ

Ὄψει παρόντα — apud Stobæum ſic extat:

Πῦρ· Ταῦτ' ἔτη κἂν ἑκατὸν βιώσεται.

Ibid. p. 66 lin. 4 ingenioſe quidem pro ἐπιδημίαν ἀνθρώπου reponit τὴν ἐπιδημίαν ἄνω· nota enim eſt compendioſa ſcriptura ἄνος, ἀνου, ἀνῳ &c. pro ἄνθρωπος, ἀνθρώπου, ἀνθρώπῳ, unde error ortus poſſet videri; ſed format orationem parum Græcam; nam ἐπιδημίαν τὴν ἄνω ſive τὴν ἐπιδημίαν τὴν ἄνω, dicerent Græci, non τὴν ἐπιδημίαν ἄνω in tali loco. Quod & ipſe ſenſiſſe videtur, cum mox eadem verba repetens recte collocat. Non minus ingenioſe ibid. lin. 30 pro ἀπώλεσε· ſcribit ἀπέλασε· Sed nec levius errat, cum ita ſine augmento ſcribi poſſe putavit, cum deberet ἀπήλασε· Num. CXCI *Solæciſmum ſpiſſiſſimum* eſſe dicit in hac oratione:

Δύ' ἐσθ' ἃ κρῖναι τὸν γαμεῖν μέλλοντα δεῖ.

Ἤτοι προσηνῆ ὄψιν, ἢ χρηστὸν τρόπον.

Nempe quia ad δύο ἐστὶν ἃ non inferantur nominativi caſus; tum etiam quia verſus poſterior male habet, corrigit:

Ἤτοι προσηνὴς ὄψις ἢ χρηστὸς τρόπος.

Sed & accuſativi recte inferuntur; verum non ad δύο ἐστὶ, ſed ad κρῖναι δεῖ. & verſui conſultum facile eſt, ſi ſcribas:

Ἤτοι προσηνῆ γ' ὄψιν ἢ χρηστὸν τρόπον.

Num. CXCII refert hos verſus, ut a Clerico ſunt editi:

Καὶ τοῦτον ἡμᾶς τὸν τρόπον γαμεῖν ἔδει

Ἅπαντας· ὦ Ζεῦ σῶτερ ὡς ὠνήμεθα.

& pro Καὶ reponens Κ' εἰ vertit:

Si hoc modo nos uxores ducere oporteret

Omnes, o Jupiter ſervator, ut e re noſtra eſſet.

Non male quidem, quamvis præter neceſſitatem, corrigit primam vocem; ſed ultimum verbum non debebat intactum reliquiſſe: eſt enim pro ὠνήμεθα ſcribendum ὀνοίμεθα. Diximus

autem non neceſſariam fuiſſe correctionem, quia nihil incommodi habet prior lectio, maxime ſi ita ſcribas:

Καὶ τοῦτον ἡμᾶς τὸν τρόπον γαμεῖν ἔδει
Ἅπαντας. ὦ Ζεῦ σῶτερ ὡς ἐνοίμεθ' ἄν.
Atque hoc, quo dixi, modo ducere nos oportebat uxores
Omnes. O Jupiter ſervator, ut id e re noſtra foret!

Num. CXCIV refert ſequentes verſus, ut a Clerico ſunt editi & converſi:

Ἢ μὴ γαμεῖν γὰρ, ἂν δ' ἅπαξ λάβῃς, φέρειν
Μύσαντα πολλὴν προῖκα καὶ γυναῖκα δεῖ,
Ἐκπυνθάνεσθαί τ' ἀρσένων πέρι μηδεέν.
Τὸ μὲν μέγιστον οὔποτ' ἄνδρα χρὴ σοφὸν
Λίαν φυλάσσειν ἄλοχον ἐν μυχοῖς δόμων.
Etenim aut non ducere uxorem, aut ſi ſemel duxeris, ferre
Muſſantem magnam dotem & mulierem oportet,
Nec de maribus quicquam percunctari.
Quod vero maximum eſt, nunquam oportet virum ſapientem
Nimium cuſtodire uxorem in penetralibus ædium.

Ubi recte vidit hæc eſſe verba *dotatæ* mulieris, adde & libertatem foras eundi affectantis. Sed quia tertius verſus commodum ſenſum non habet: & illud *τ' ἀρσένων πέρι μηδεέν* Grotii eſt *παραδιόρθωσις*· cum apud Stobæum habeatur *τ' ἀρσένων δ' ἡμᾶς σέθεν*, quod etiam corruptum eſt, ſed viam ad veram lectionem oſtendit; ipſe ſic emendat:

Ἢ μὴ γαμεῖν γὰρ, ἂν δ' ἅπαξ λάβῃς, φέρειν
Μύσαντα πολλὴν προῖκα. Καὶ γυναῖκα δεῖ
Ἐκπυνθάνεσθαι τἀρσένων Δημόσθενες.

quorum tantum poſteriorem partem vertit:

—Etiam mulierem oportet
Inquirere de rebus virorum, o Demoſthenes.

Senſu

Senſu quidem bono; ſed videndum, an leviore mutatione vera lectio inveniri poſſit. Nos illud τάρσένων δ' ἡμᾶς σέθεν mutamus in τάρσένων δ' ἡμᾶς δέον, & totum locum ita conſtituimus:

Ἢ μὴ γαμεῖν γὰρ, ἂν δ' ἅπαξ λάβῃς, φέρειν
Μύσαντα πολλὴν προῖκα καὶ γυναῖκα δεῖ.
Ἐκπυνθάνεσθαι τάρσένων δ' ἡμᾶς δέον·
Τὸ μὲν μέγιστον οὔποτ' ἄνδρα χρῆν σοφὸν
Λίαν φυλάσσειν ἄλοχον ἐν μυχοῖς δόμων.

Aut enim non ducere uxorem, aut ſi ſemel duxeris, ferre
Connivendo, magnam dotem & mulierem oportet.
Cum autem inquirere in res virorum nos oporteat;
Ante omnia quidem nunquam oportebat virum ſapientem
Nimium cuſtodire uxorem in penetralibus ædium.

Num. CCXIII p. 96 lin. 22 rejicit Grotii emendationem γυναῖκας ἔπλασεν pro γυναῖκας ἔπλασσεν, quod apud Lucianum eſt, & ſuam γυναῖκ' ἔπλασσεν ſubſtituit ὐδὲν δέον. Num. CCLIV pro Οὐδ' ἐςι πρώτη· ἀλλὰ μετὰ τῶν σωμάτων corrigit: Οὐδ' ἐςι πρώην· ἀλλὰ — Sed illud πρώην in tali acceptione me offendit. Dum aliquid melius offeratur, lego: Οὐδ' ἐςι πρότερον· ἀλλὰ — Num. CCLXXIV, p. 117 lin. 23 corrigit verſum, qui apud Plutarchum ſic habet:

Τί οὖν πλέον ποιῦμεν; ὐδέν· ἡ λύπη δ' ἔχει &c.

Corrigit autem ſic: Τί οὖν πλέον ἔχομεν; ὐδέν· ἡ λύπη δ' ἔχει &c. Deinde ἔχομεν, inquit, *apud Plutarchum reponimus pro* ποιῦμεν· *Græci enim* πλέον ἔχειν *pro proficere dicunt, non* πλέον ποιεῖν. Quid ergo ſignificant hæc verba apud Demoſthenem, qui credo Græcus Auctor eſt? παύσεσθ' ἀεὶ περὶ τῶν αὐτῶν βυλευόμενοι, καὶ πλέον ὐδὲν ποιοῦντες. quæ habentur I. in *Philippum* paulo poſt πόρυ ἀπόδειξιν. Sed forte verſui uno pede longiori aliter ſuccurri non poterat? en quam facile:

τί οὖν πλέον ποιοῦμεν; ἡ λύπη δ' ἔχει &c. Omiſſo ſcilicet illo οὐδὲν quod aliunde irrepſerat. Num. CCLXXX ad hæc verba: Πλεῖον γὰρ οὐδὲν ἄλλο ἢ ζητεῖν ἔχεις. *Mirabar*, inquit, *e quo Barbariæ ſpecu prodiret illud* ἄλλο ἢ, deinde dicit hoc *Cl. Clerici facinus eſſe*, cum in aliis eſſet ἄλλο τοῦ, melius ſcilicet. De iſto jam parco dicere, ſed illud ἄλλο ἢ ſi barbarum eſt, barbare jam & Ariſtophanes loquitur in Eccleſ. v. 395: τί δ' ἄλλογ' ἢ ἔδοξε — γνώμας καθεῖναι; & Herodotus IV, c. 131: ὁ δὲ οὐδὲν ἔφη οἱ ἐπεστάλθαι ἄλλο ἢ δόντα τὴν ταχίστην ἀπαλλάττεσθαι. & Æſchylus in Perſis v. 209: οὐδὲν ἄλλο γ' ἢ πτήξας. Quod ſi modo metri cauſa ita ſcripſiſſet Clericus:

Πλεῖον γὰρ οὐδὲν ἄλλο γ' ἢ ζητεῖν ἔχεις,

poſſet, ni fallo, jam videri ex penu Poetæ Attici eſſe hic verſus. Num. CCXCIII verſiculus iſte:

Ὅστις πένης ὢν ζῆ, παραζῆν βούλεται.
Pauper quisquis vivit, vult male vivere.

Iſte inquam verſiculus, nulla indigens emendatione, tres experitur παραδιορθώσεις, quæ in Libello ipſo videantur, ubi Auctor inter alia: *Quis ſodes* βούλεται παραζῆν *cupit miſere aut fœde vivere?* Ille ipſe, inquam, qui cum ſit pauper, tamen vivit: & non Theognidis potius conſilium ſequitur:

Χρὴ πενίην φεύγοντα καὶ εἰς μεγακήτεα πόντον
Ῥίπτειν, καὶ πετρῶν Κύρνε κατ' ἠλιβάτων.

Hæc ſunt quæ in Emendationum Libello notare viſum eſt; cetera, ſi quæ ſuperſunt, Clariſſ. Clerico relinquemus, uti & Præfationem totam.

INFAMIA EMENDATIONUM IN MENANDRI Reliquias, nuper editarum Trajecti ad Rhenum, Auctore PHILELEUTHERO LIPSIENSI. Accedit Reſponſio M. LUCILII PROFUTURI ad Epiſtolam C. VERATII PHILELLENIS, quæ extat in Bibliothecæ Choiriæ Parte IX.

Lugduni Batavorum, apud Joh. Arnold. Langerack, 1710, 12.

Plag. 8.

VIx proxime antecedentia impreſſa erant, cum in manus noſtras pervenit hic Libellus, cujus mentionem continua ſerie facere libuit, propter affinitatem. Tangit enim priori ſui parte Auctorem Emendationum in Menandri Reliquias, ut titulus ipſe indicat, factus ut videtur, ad imitationem Scioppii, qui *Infamiam* Famiani Stradæ ſcripſit: poſteriori autem parte, licet in alio argumento, tangit Editorem illarum Reliquiarum, qui ſcripſiſſe illam Epiſtolam hic affirmatur, alio ſumto nomine; ſcribitur enim p. 135 hujus Libelli: *Johannes Clericus non auſus Comœdiam veterem ſequi ingreditur Scenam, ſumto Veratii Philellenis nomine.* Nimirum inſcriptio illius Epiſtolæ in Bibliotheca Selecta Cl. Clerici Tom. IX p. 187 hæc eſt: *C. Veratius Philellen M. Lucilio Profuturo S. P. D.* hinc etiam Reſponſio ſub ficto nomine M. Lucilii Profuturi peragitur. Quis autem videatur ille Phileleutherus Lipſienſis Auctor Emendationum, apparet cum aliunde in hoc Libello, tum p. 67, ubi ſcribitur: *Satis video eſſe hæc ſimillima notis illis ad Fragmenta Callimachi formulis*, & p. 69 ubi: *Agnoſce has — plane pares eſſe & germanas illis ad Tuſculana Ciceronis, ut eundem aerem hauſiſſe ſcias:* item ubi περιβόητος illa ad Millium Epiſtola commemoratur.

In *Infamia Emendationum* nullum eorum locorum attingit, quæ nos in Emendationum Libello animadvertimus, non quod parum ſentiret illa, ſi quæ nos forte non perperam ſenſimus, abſit ut nobis tantum arrogemus: ſed quia ad illa feſtinat, & in illis moratur quæ ipſum ferire videntur, Ὅπου τις ἀλγεῖ κεῖθι καὶ τὴν χεῖρ' ἔχει. Nimirum cum Auctor Emendationum Num. XXVIII ex Fragmento Stephani Byzantini de Dodone longiuſculam Menandri ῥῆσιν, a Cl. Clerico omiſſam, recenſens atque emendans, nonnihil offendiſſe videretur Celeberrimum Fragmenti Dodonæi Editorem; multus eſt in hac Infamia Emendationum, ut illa omnia labefactet inde a p. 34 usque ad p. 80. Nos neque de his, neque de ceteris judicium noſtrum hic interponimus. Hoc tantum monemus, uno alterove in loco neglectam eſſe metri legem.

In *Reſponſione ad Epiſtolam* agitur de aliquot locis Arriani ex Editione noviſſima, quam omni laude qui fraudare velit, Telchinum vitio affinis eſt; item de quibusdam ex Suidæ illa recentiſſima & præclara Editione; nec non de loco quodam Libanii, ubi γραμματεῖον δίθυρον occurrit. Nos hic etiam ἐκ βελέων eſſe volumus. Tantum liceat qualem qualem conjecturam de primo Arriani loco afferre, qui eſt Lib. VI apud Arrianum, & ſic legitur in Edit. Baſ. ὑπὸ μένους τε τοῦ ἐν ταῖς μάχαις καὶ τοῦ ἔρωτος τῆς δόξης καθάπερ οἱ ἄλλης τινὸς ἐξηπλωμένος, οὐ καρτερὸς τὴν ἀπέχεσθαι τῶν κινδύνων. Sermo eſt de Alexandro M. intrepide pericula ſubeunte propter gloriæ cupiditatem & pugnandi fervorem. Sed illud οἱ — ἐξηπλωμένος conſtructionem corrumpit. Deinde editum: καθαπερεὶ ἄλλης τινὸς ἐξηπλωμένος, ubi ſenſus minus commodus; qui erit non ineptus, ſi legas: καθάπερ ὁ Ἡρακλῆς ἐξηπλωμένος.

DISSERTATIO DE GERMANIÆ MIRACULO optimo maximo, Typis literarum eorumque differentiis, qua ſimul Artis Typographicæ univerſam rationem explicat PAULUS PATER.

Lipſiæ, apud Io. Frid. Gleditſch & Filium, 1710, in 4.

Plag. 12.

ARtis Typographicæ laudes explicare uti viſum eſt multis, ita de ratione illius & incrementis, quæ per tot elegantiſſimorum typorum genera admirabili invento acceſſere, heic differentem prætermittere haud poſſumus. Abſolvitur Diſſertatio Capitibus V, quorum primum artis primos in Germania & autores & inventores laudat, *Joh. Regiomontanum* & *Gutenbergium*, quos ſecuti *Fauſtus*, *Mentelius*, *Coſterus*. Alterum de priſcorum novorumque characterum typographicorum materia, forma, præparatione, atramento, prelis
p. 13. chartaque typica differit. Ubi hæc tantum de atramento annotare placet, conducere ad illud oleum lini bonæ antiquitatis, a Sole defæcatum, cui omnis per ignem ſubtrahenda ſit & flavedo

flavedo & pinguedo, ne flaveſcat-ſcilicet & deformitatem pariat. Ut igitur bene illud coloratum fiat, modernos typographos pane ſiligineo, ferventi oleo immiſſo, hanc deformitatem tollere inquit. Quia tamen ſæpius etiamnum optato careat effectu, longe meliorem & arcanam quandam rationem, quam a Bruxellenſi quodam pictore didicerit, nobiſcum communicat: depurgato ſcilicet oleo admiſcendam fuliginem melioris notæ, ex fumo reſinæ, (Theer) ſub caminis, fumum non emittentibus, modica flamma exuſtæ, præparatam. Tertium varias characterum inventorum differentias exponit. Uti namque inventis facile eſt aliquid addere, ſic typis repertis characterum numerus auctus fuit adeo, ut hodie in bene conſtitutis officinis, quas inter *Amſtelodamenſes*, *Lipſienſes*, *Noribergenſes*, *Francofurtenſes*, *Hafnienſes* & *Holmenſes* habet, ultra quatuor & viginti differentes typorum formæ inveniantur. Literas autem, & primo quidem Latinas, dividit in *majores*, quas vel *apices*, vel *quadratas*, vel *unciales*, appellare quibusdam ſolenne ſit; & in *minores*, quas vel *Longobardicas* vulgo, vel *Barbaras* vocitent. Et minores Longobardicas iterum in *verſales* diſpeſcit, & in *æquialtas*, ſive *capitales*, quod propriis & ſubſtantivis rerum notabilium nominibus capita eſſent, & in *curſivas*, ab expedita ratione ſcribendi inventas. Varia ergo & ſelectiora Romanorum priſcorum, Longobardorumque modernorum, Germanicorum recentiorum, quos in *fracturam* & *Suabacenſes* dividunt, Græcorum item & Hebraicorum, aliarumque linguarum Orientalium typorum, & nomina & genera ſuis cum figuris apte diſpoſitis ſiſtit. Capite quarto de impreſſis primum libris agit, in quibus præſertim Bibliorum Latinorum quasdam editiones & libros Ciceronis de officiis habet. Quinto Viros literarum & typorum gloria claros extollit, quos inter celeberrimmos numerat ex Italis *Manutios*, e Gallis *Stephanos*, *Morellios*, *Steph. Doletum*, e Baſileenſibus *Io. Frobenium*, ex Heidelbergenſibus *Hier. Comelinum*, Pariſienſem, *Rutg. Reſcium*, *Io. Oporinum*, e Belgis, *Chriſtoph. Plantinum*, *Franc. Raphelengium*, *Io. Moretum*, Plantini generos, & e Gal-

p. 18.

16.

74 ſq.

lis adhuc *Simonem Melangium.* Coronidis tandem loco quæſtiones miſcellaneas, ut de ſumtibus in rem typographicam impendendis, de fructu hinc redundante & reliqua ſubnectit. Nec omittendum, quod in hoc opuſculo omnium typorum, qui in noſtris officinis extant, tum & quorundam recens inventorum ſpecimina pulcre diſpoſita exhibentur.

Kirchen-Hiſtorie des XVI und XVII Jahr-Hunderts.

HISTORIA ECCLESIASTICA SECULI A N. C. XVI & XVII; Autore M. ERDMANNO UHSEO.

Lipſiæ, apud Thomam Fritſchium, 1710, 4.

Alph. 3. plag. 12.

EDitas ante ſemeſtre ſpatium *Vitas Celeberrimorum Doctorum Seculi a Nato Chriſto* XVI & XVII, a nobis Anno ſuperiore pag. 220 memoratas, tanquam Prodromum aliquem, excipit ipſa Hiſtoria Seculorum horum Eccleſiaſtica. Diviſa eſt illa juxta numerum Seculorum in duos Libros, horumque ſinguli in tria Capita, quorum primum continet Vitas Imperatorum Romanorum tunc temporis regnantium, alterum Pontifices Romanos iſtius ævi & tertium ipſa Acta Eccleſiaſtica exhibet. Ultimum illud caput porro diviſum eſt in nonnullas ſectiones, in quibus pertractantur primo res Eccleſiaſticæ, quæ contigerunt in Germania, poſtmodum eæ, quæ acciderunt in aliis regnis & provinciis Europæ, Aſiæ, Africæ, atque Americæ, allegatis ubique Autoribus, qui de his rebus uberius perſcripſere.

REPONSE A L' AVIS AUX REFUGIEZ, &c.

i. e.

RESPONSIO AD ADMONITIONEM AD EXULES de propinquo ipſorum reditu in Galliam, auctore M. D. L. R.

Roterodami, apud Reinerium Leers, 12 maj.

Plag. 21.

MUltum negotii in re litteraria, & tantum non in publica, fecit libellus Gallicus Admonitionis ad Exules A. 1690 editus, atque a nobis A. 1691 M. Februario p. 49 ſq. recenſitus.

tus. Huic nunc demum reſpondet Autor,atque in Præfatione,poſtquam de auctore ſcripti illius, num Celeberrimus quidam Polyhiſtor eo nomine accuſari debeat, diſſeruiſſet, conqueritur, neminem illud hactenus refutaſſe, excepto Abbadio, qui in Apologia Britannicæ nationis nonnihil ad criminationem Anglicæ Cataſtrophes repoſuerit. Sed in Actis his noſtris Cl. Jurii liber recenſitus eſt, l. c. p. 54 ſeq. qui altero poſt anno prodiit, & Admonitionem preſſim ſequitur refellitque. Non autem eapropter ſupervacaneus habebitur hic labor, qui ſua ſe ſoliditate ac elegantia commendat. Autor inſtituta comparatione inter Admonitionem iſtam & Petri Carpentarii virulentam Pariſienſis lanienæ defenſionem, & exploſa Adverſarii gloriatione quod annus cIↃ IↃc CXXCIX Fœderatis contra Galliæ Regem fauſtus non fuerit, duo præcipua accuſationis capita amoliri ſtudet, quorum primum conſiſtit in ſatyrico ſpiritu Exulibus imputato, quodque acerba in Galliæ Regem ſcripta maximo numero publicent, atque iisdem delectentur, non ſecus ac Hugonotæ in Valeſiam familiam injurias chartas incredibili copia & impetu produxerint. Autor & poſterius hoc & prius negat, oſtenditque, Fœderi potius Romanenſium, quod *Liga* vocabatur, ſchedas iſtas eſſe adſcribendas, provocans ſimul ad Poncetum, Mezeræum ipſumque Maimburgium. Deinde ex Claudii aliorumque probatis pro Exulibus ſcriptis demonſtrat, quam modeſte illi de Rege, quam amanter de ingrata patria locuti ſint, monetque, Lactantium ac ceteros oppreſſæ Eccleſiæ Apologetas durius aliquanto, ſed juſte omnino ac inculpate de paganis Imperatoribus eorumque vexationibus ſcripſiſſe, verſoque ad jactationem Adverſarii de Gallorum ceterorum & Britannorum cum Iacobo exulum modeſtia ſtylo, de Bartholomæi Linerii, quem Grandivallium nominabant, aliisque hujus generis diris conatibus exquiſite diſſerit. Alterum criminationis caput, quod ſeditioſo animo Reformati præditi ſint, hypotheſesque Monarchomachicas alant, non minus copioſe refellitur. Nam Buchanani, Goodmanni & Paræi ſententias, velut exterorum opiniones, a ſuis non probatas, Autor

miſſas fieri vult, mediamque eligi ſententiam, quæ nec Tyrannidi faveat, nec Principes dependere a populo jubeat. Ceterum populo competere ſuum jus libertatis contra tyrannum aſſerendæ, exemplis ex omni Europa petitis probatum it. Hic Petrum Crudelem ab Arragoniis throno motum commemorat, Tribunal Juſtitiæ Arragonicæ, Rege majus, Carolum V Imp. a Caſtellanis ſolenni pacto obſtrictum, Petrum a Luſitanis imperio excluſum, Joannem ſine Terra ab Anglis repudiatum, Catalaunicos Ordines Gallo imperium offerentes, Luſitanos Gallorum ope Hiſpanicum dominatum excutientes, tum vetuſta exempla Carolingicæ & Capetingicæ gentis, jus illud populi extra dubium collocantia. Præterea diligenter inculcat, principia Romanenſium de Papæ imperio in Principes, etiam qua ſecularia, longe majori eſſe periculo obnoxia, quam illa, quæ populo nimium tribuere videntur. Tum rebelles Hungaros a Galliæ Rege defenſos aliaque id genus citat, cumprimis vero Childerici exauctorati exemplum a Zacharia Pontifice ſolenniter approbatum. Caroli I vero cædem Britannicam nec Epiſcopalibus, nec Presbyterianis, ſed fanaticæ factioni adſcribendam exiſtimat, Societati denique Jeſuitarum Regicidia atque alia hujus generis facinora copioſe exprobrat. Et hac ratione objectam Jacobi II Britanniæ Regis exauctorationem excuſat, allatis idoneis magno numero argumentis. Tandem Valdenſium fata enarrat, armatumque eorum ad patrios Lares reditum defendit, expenditque, quæ Antagoniſta de Maccabæorum expeditione & prælio Druſiacenſi attulerat. Ampla Autoris noſtri eſt reſponſio ad Monitoris Epilogum, in qua non ſolum quæ hactenus dicta erant, recapitulantur, ſed multa quoque recens adduntur. Digreditur enim Auctor ad ſerviles & ad idololatriam prope accedentes Regis Gallici deprædicationes, narratque inter alia, Jeſuitas Claromontanos, ſublato Jeſu nomine, Ludovicum M. ejus loco poſuiſſe, ſequenti eapropter caſtigatos diſticho:

Suſtulit hinc Jeſu poſuitque inſignia Regis
Impia gens: alium non habet illa Deum.

Occaſio-

Occaſionem vero illi dederat Monitoris aſſentatio, qui illud Ieſaiæ de Meſſia dictum Gallico Regi adſcripſerat: *Ego ſolus turcular calco, &c.* Inde Gallicam ceterasque Reformatorum vexationes cum prioribus illis Chriſtianorum, quæ ſub Imperatoribus Romanorum acciderunt, perpeſſionibus comparat, Dodvvelliq; inſiſtens veſtigiis, his illas præfert: Neronis vexationem Romæ ſubſtitiſſe, ſub Domitiano vix quinque aut ſex Martyres occiſos, vix plures ſub Trajano, Hadrianum cædes mox inhibuiſſe, de ceteris multum decedere, ſi res diligentius examinetur. Reformatorum autem Martyres, ſi a Valdenſibus computandi initium fiat, longe plures fuiſſe. Revocationem quoque Nannetenſis Edicti graviter exaggerat, allatoque Chriſtinæ Svedorum Reginæ teſtimonio, triplicem ejus noxam, famæ, conſcientiæ & potentiæ Regiæ deſcribit. Sed præter hæc, quæ enotavimus, multa hinc inde obſervantur commemoratione digna. Sic Petrum Suavem, Tridentini Concilii enarratorem, Noſter a Monitoris inſultu, qui ſatyricam rabiem animumquè omnis expertem pietatis ipſi adſcripſerat, *p. 45* vindicat, Amelotique judicium illi opponit. Legerii ſententiam, qui Valdenſes non a Petro Valde, ſed a vallibus, in quibus habitant, dictos cenſet, *p. 230* ſuo calculo confirmat.

ELOGIUM DOMINICI GULIELMINI.

INſignem jacturam ſuperiori anno fecit non modo Italia, ſed univerſus orbis eruditus in Viro de Rep. litteraria multis nominibus bene merito, *Dominico Gulielmino.* Natus is eſt Bononiæ d. 27. Sept. A. 1655, nec erraveris, ſi ad ſtudia natum eſſe dixeris. Naturæ igitur dotibus cum indefeſſam jungeret operam, fieri non potuit, quin in ſcientiis multum proficeret. In Matheſi præceptore uſus eſt *Geminiano Montanario*, Profeſſore Mathematum Bononienſi, qui ejus ingenium multum commendavit. Sub ejus præſidio *de flamma volante* publice diſputavit A. 1677 & ſequente a *Malpighio* in Doctorem Philoſophiæ & Medicinæ

promotus, occaſione Cometæ, qui A. 1681 comparebat, de cometarum natura & ortu epiſtolicam Diſſertationem emiſit: mox A. 1684 Eclipſis Solis obſervationem addidit, quæ d. 12 Iul. ejusdem anni contigit. Cum autem hydrometriam ſingulari ſtudio excoleret, anno 1686 aquarum Bononienſum Superintendens conſtitutus eſt. Hoc tamen munus non impediebat, quo minus Scientiis Philoſophicis excolendis ſe traderet: unde & in patriam Academiam Phyſicam experimentalem a Dn. *Marſilio* inſtitutam, immo eodem tempore A. 1687 in Societatem Regiam Londinenſem, poſtea quoq; in Academias Regias ſcientiarum Pariſienſem & Berolinenſem, nec non in Collegium Naturæ Curioſorum Leopoldinum receptus eſt. In prima A. 1689 diſputationem de figura ſalium defendit & 29 d. Octob. ei Profeſſio Mathematum & eodem ferme tempore cura Calendarii Aſtrologico-Medici commiſſa. A. 1690 & 1691 aquarum fluentium menſuram nova methodo inquiſitam propoſuit, in his Actis quoq; commemoratam: quibus contra *Dionyſii Papini* objectiones, in his Actis obvias, duas Epiſtolas hydroſtaticas ſuperaddidit, alteram ad *Leibnitium*, alteram ad *Magliabechium* perſcriptam. A. 1694 nova Profeſſio Hydrometriæ conſtituta, quam ipſe multum ornavit. Maximam quoque famam conſecutus eſt egregio de Natura fluminum Tractatu, de quo diximus in Actis Anno 1698 pag. 297, & in quo multa nova ac ſingularia ad Architecturam aquarum ſpectantia leguntur. Neque vero ſolum theoria, ſed & praxi polluit. Hinc paſſim per Italiam ad reparanda littora & dirigendos curſus aquarum adhibebatur. A. 1686 Patavium ad obeundam Profeſſionem Mathematicam evocabatur, & A. 1702 ad primariam Profeſſionem Medicinæ theoreticæ evehebatur. Ab eo igitur tempore ſcripta Medica edere cœpit, non minore applauſu, quam Mathematica. Prodiit nimirum anno 1701 Exercitatio ejus de natura & conſtitutione ſanguinis, A. 1705 de ſalibus Diſſertatio epiſtolaris Phyſico-Medico-Mechanica, A. 1707 Exercitatio de idearum vitiis, correctione & uſu ad ſtatuendam & inquirendam morborum naturam

turam

turam & A. 1710 de principio Sulphureo. Non commemoravimus prælectionem ejus pro theorica Medica adverſus Empiricam ſectam, quæ A. 1702 prodiit. Verſabatur adhuc in adornando Tomo ſecundo Tractatus de natura fluminum; editurus quoque erat unum de febribus, alterum de methodo medendi: ſed mors præmatura impedivit. Obiit A. 1710 hor. 23 d. 12 Julii, anno ætatis 54, menſe 9 & d. 15.

NOVA LITTERARIA.

IN tertia Parte Diarii Veneti Anni 1710 nuntiatur, Mediolani de Lacu Verbano, poſt Dominicum Macagnium, qui jam tum A. 1490, Paulum Morigiam, qui A. 1603, & Lazarum Auguſtinum Cottam, qui ſub anagrammatico nomine Statii Trugi Catalauni in Macagnium commentatus A. 1699, de eo ſcriptis ſatis eruditis egere, Johannes Joſephus Vaglianus novum opus edidit anno ſuperiore ſub titulo: *Rive del Verbano, Deſcrizione Geografica, Idrografica e Genealogica*, in 12, idemque Vitas Archi-Epiſcoporum Mediolanenſium & Epiſtolas Academicas edere molitur. Eodem anno Patavii Celeb. *Ramazzini*, exemplo, ut videtur, Ludovici Cornari, qui de Vita ſobria, Marſilii Ficini, qui de tuenda ſalute Litteratorum, & Johannis Prevotii, qui Medicinam Pauperum ſcripſit, *pro tuenda Principum valetudine Hygiaſticon* vulgavit. Parmæ, Franciſcus Ariſius in eo eſt, ut *Cremona Litterata*, (cujus primum Tomum, A. 1702 editum, in Actis A. 1706 p. 134 ſſ. memoravimus, ſecundi vero, qui A. 1705 prodiit, pariter, cum primum ad nos venerit, mentionem faciemus) Tomi tertii Partem primam, in qua Parmenſes eruditos usque ad medium ſeculi ſuperioris claros percenſebit, in lucem emittat. Sub finem quoque anni ſuperioris Scipio Maffeus, Veronenſis, librum elegantiſſimum Romæ vulgavit ſub titulo: *Della Scienza Cavallereſca Libri tre*, in 4. Ibidem Franciſcus Maria de Comitibus di Campello *Conſtitutiones Ducatus Urbini* una cum Patris ſui, Solonis, Annotationibus & Deciſionibus nonnullis Rotæ Romanæ, quæ huc referri poterant, ſpiſſo volumine in fol. publicavit. Prodiere & Romæ *Sacra Stromata*

Theo-

Theologico-Dogmatica, *Scholaſtica & Moralia*, *ſelecta a P. D.* Chryſoſtomo Scarfò, & Franciſci Nicolai Ep. *Diſſertatio Hiſtorico-Canonica de Epiſcopo viſitatore*, *ſeu de antiquo regimine Eccleſiæ vacantis*, in 4. Venetiis Romualdus Riccobaldi, Benedictinus, Bernardum Montfauconium contra Franciſcum Ficoronium (cujus Obſervationes in Diarium Italicum Montfauconii in Actis A. 1710 p. 114 recenſuimus) tuendum ſuſcepit, & prelo ſubmiſit Apologiam ſub tit. *Apologia del Diario Italico* &c. *contra le Oſſervazioni del Sig. Fr. Ficoroni.* Reliqua, quæ minoris ſunt momenti, prætermittimus.

Gluckſtadii *Nicolaus Petrus Sibbern* Bibliothecam Bibliothecariorum, ſive de claris Bibliothecariis Syntagma parat. Quadringenti circiter Bibliothecarii jam ab ipſo ſunt notati. Cum vero accuratiorem indicem Chronologicum adjicere decreverit, quo cujuslibet Bibliothecæ præfecti ordine ſucceſſionis enarrari debent, omnes omnium ordinum eruditos obſervanter rogat, ut, ſi quem accuratum unius vel alterius Bibliothecæ præfectorum catalogum collegerint, eum benevole ſibi communicare non dedignentur. Trasmitti ea poſſunt Gluckſtadium in Holſatis, aut ſi commoda illuc mittendi deerit occaſio, Viro maxime Reverendo atque clariſſimo *Johanni Alberto Fabricio* Hamburgi tradi poſſunt, qui, ut ad ipſum perferantur, haud gravatim curabit. Idem Celeb. *Fabricius* non tantum Partem ſecundam Libri IV *Bibliothecæ Sacræ* & *Memoriarum Hamburgenſium* Tomum III prelo ſubjecit, verum & Leonis Allatii *Apes Urbanas* & Johannis Imperialis *Muſæum Hiſtoricum*, junctim recudenda, Typographo tradidit; quæ cuncta intra paucarum ſeptimanarum ſpatium proditura ſperamus.

ERRATA.

Pag. 10 lin. 21, 30 & pag. 11 lin. 1 lege *Schrœckium*; pag. 13 lin. 28 dele *ſimiliter*; pag. 16 lin. 1 pro *deſcendit* lege *aſcendit*.

N. II.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii, Anno MDCCXI.

GENEALOGIE DE LA MAISON DE la Tour.

i. e.

GENEALOGIA FAMILIÆ PRINCIPUM de Turre, ex antiquis monimentis collecta per ENGELBERTUM FLACCHIUM, Fecialem Regium in Provincia Limburgenſi. Tomi III.

Bruxellis, apud Antonium Claudinot, 1709, fol. ch. auguſtiſſ. Alph. 12 Tabb. æn. 152.

AUtorem habet ſplendiſſimum hoc opus, qui in titulo commemoratur, Nobiliſſimum *Flacchium.* Ille vero cum poſt collecta quidem omnia, quæ huc pertinebant, ante tamen, quam a ſe poſſent edi, moreretur; *Claudinotus,* qui Genealogicas nactus erat tabulas *a Lamiraldo Taſſio* curante confectas ærique impreſſas, Flacchianos etiam labores ſibi comparavit. Hos vero, quos nondum ſatis digeſtos Autor reliquerat, amicorum conſiliis ita diſpoſuit, ut totum opus *tribus Tomis, quatuor* autem *partibus* diſtinguatur, quarum diviſionum illa ligaturæ commoditati, hæc argumentorum diſcrimini ſubordinatur. *Prima parte,* quæ *Tomum* ſimul *priorem* abſolvit, introductio ſiſtitur in *Principum de Turre originem, diverſa* inde pro variis temporibus *inſignia, bella cum Vicecomitibus* (Viſconti) & aliis, *Deſcriptio Comitatus Valſaſſinenſis,* quem poſſederunt in Italia, demumque *paterna* illorum *origo,* qua per *Eriprandi de Turre* cum Valſasſinenſis Comitis Filia conjugium, a *Martino*

Digitized by Google

inde procreato deſcendunt, explicatur. *Pars ſecunda*, *Tomum* quoque *ſecundum* conſtituens, in *maternarum* hujus gentis *familiarum γενέσεις* inquirit ſtudioſe. *Parte tertia* monſtratur, quomodo Principes hi per matres ſuas, ab omnibus prope Græcis Latinisque *Imperatoribus*, Europæque *Regibus* & *Principibus* aliis deſcendant. In *quarta* denique *parte res* quædam *ſingulares* & memoratu maxime dignæ recenſentur, quas iſtorum Principum aliqui geſſerunt, additis & *dignitatibus*, ad quas ſunt elevati, & *matrimoniis*, quibus ſe gentibus aliis copularunt. Ultimo quoque loco *diplomata* quædam & *decreta* Imperatorum ac Regum Hiſpaniæ, gloriam hujus familiæ promoventium vel teſtantium, comparent. *Genealogicæ tabulæ*, quarum magnus eſt apparatus, æri ſunt inciſæ omnes, ſic ut nominibus inſignia ſemper jungantur.

Quantum ad *originem* horum Principum attinet, incerta ſunt omnia, præterquam antiquiſſima nobilitatis proſapia, quam prodit hæc ipſa incertitudo. Etenim, quod a *Carolo M.* progenies eorum ducitur, cum *Arnolphi* Imperatoris filii dicantur *Aliprandus* & *Eriprandus*, filiarum Valſaſſinenſium mariti ab Arnolphi ſucceſſore, ne quid novi molirentur, in exilium acti, non nimis eſt firmum. Quemadmodum nec illud, quod nomen *Turrianorum* a ſocero demum acceperint, Valſaſſinenſibus Comitibus jam inde a S. Ambroſii temporibus proprium, ſub cujus auſpiciis turrim quandam Mediolanenſem adverſus Arianos defenderint. Certior videtur *Juſtelli* conjectura & *Baluzii*, qui a *Turrianis Pineis* (du Pin) ex Gallia originem eorum repetunt. Quicquid tamen hujus ſit, eſt *Eriprandus* certe is, qui *Tacii Valſaſſinenſis Comitis* filiam duxit in matrimonium, autor generis. Ab hujus filio *Martino Siganto* Hiſtoriam orditur Autor, cujus ratione pars quarta, quæ vitas Heroum quorundam prolixius exponit, cum prima ſemper a nobis conjungetur.
P. IV p. 5. Martini hujus nepos *Paganus* occaſionem primus dedit immortalibus inter ſuam & *Vicecomitum* (Visconti) familiam odiis. Sciſſis enim diſcordia populo & equitibus Mediolanenſibus, ille huic *Pagano*, hi *Peregio* urbis Archi-Epiſcopo ſupremam

mam poteſtatem deferebant. Mortuo *Pagano* ad nepotem p. 8.
ejus *Martinum II* rerum ſummam plebis favore tranſlatam vo-
lebat, defenſoris & patris patriæ nomen ipſi tribuens, verum
non niſi in *Philippo*, qui fratri Martino ſuccedebat, anno 14.
1263 hæc dignitas Turrianis fuit confirmata, quippe cui
perpetuum in ſe Dominium jurato etiam obſtricta fide conceſ-
ſere Mediolanenſes. Huic ſucceſſit A. 1265 (ſic enim legen- 17.
dum pro 1262) *Napus* vel *Napuleo* Pagani II filius, quem
Rudolphus I Imperator procuratorem & Vicarium Imperii
apud Inſubres conſtituiſſe narratur. Is anno 1277 inſidiis
vincitur ab inimicis equitibus, nocturno prælio captis vel oc-
ciſis Turrianis propemodum omnibus, Napi autem filius *Con-* 25.
radus cum patre captus, a Comenſibus poſtea, quos læſerant
Vicecomites, liberatus, anno 1295 paternam dignitatem vi re-
cuperat. Neque ſic tamen diu Mediolanum tenuerunt Turri-
ani. Anno enim 1311 *Vicecomites*, reconciliatam cum *Gui-*
done Turriano gratiam ſimulantes, ad ſeditionem contra 35.
Henricum Imperatorem, qui tum erat Mediolani, moven-
dam eum excitant. Ipſi vero, cum eſſet permotus, eum ad
Henricum deferunt, eo rem redigentes, ut ditione pelleren-
tur Turriani, reſtituta *Vicecomitibus* Mediolanenſis Reip. ad-
miniſtratione. Quanquam *Caſſoni* potius Turriano, quem 48.
Guido excluſerat, reſtitui debebat, quod tamen, cum morere- 36.
tur Imperator, a Vicecomitibus impediebatur. Sic ejecti
Turriani partim in *Valſaſſinenſem* Comitatum ſe contule-
runt, partim, quas *Vercellis* & *Alexandriæ* reliquerat pater, hæ-
reditates adierunt, partim ad urbem *Bergomenſem* delati,
montis Taſſonis ditionem poſſederunt. Agnati reliqui hinc
inde diſperſi ſunt, in *Pedemontium*, *Foro-Julienſem* ditionem,
Neapolitanum Regnum &c. concedentes; unde ſunt adhuc
plures ejus gentis familiæ, quæ *Oenipontem*, *Viennam*, *Belgii*
civitates &c. inhabitant, vel in *Mediolanenſi* etiam Ducatu re-
cuperarunt poſtea *S. Pauli Marchionatum*. Ad nos jam illi ſo-
lum ſpectant, qui a *Taſſonis monte* gerunt nomen & in *Belgio*
imprimis florent. Inter hos *Johannes Baptiſta* cum fratribus P. I p. 185.
Maphæo ac *Simone* per omnes Caroli V & Reginæ Johannæ

provincias civis factus, curſuum publicorum in Imperio, Hiſpania & Belgio præfecturam eſt adeptus. Ejus inſignibus Maximilianus I Aquilam Imperii bicipitem addiderat, quam in ſimplicem mutavit Carolus. *Lamoraldus II* a Ferdinando II primus ex Taſſiis Imperii Comes, *Eugenius Alexander* vero a Leopoldo Princeps primus creabatur.

In gratiam eorum, qui nexus familiarum noſſe cupiunt, ex Tomo II nomina huc transferemus gentium, ex quibus uxores ſibi legerunt Turriani, & quibus partim & ipſi dederunt, quarumque γενέσεις ab Autore repræſentantur. *Acunna y Portugall*, *Arco*, *Baden-Durlach*, *Eſte*, *Furſtenberg*, *Gonzaga*, *Goritz*, *Guevarra*, *Hardeck*, *Hohenlohe*, *Hornes*, *Lichtenſtein*, *Lobkowitz*, *Mendoza y la Cerda*, *Munſterberg*, *los Ryos*, *Savorgnano*, *Scale*, *Schlick*, *Sfondrati*, *Viſconti*, *Zimmeren.* Harum omnium datur a Noſtro conſpectus, præter quas tamen & aliæ ſunt plures, quibus matrimonio juncti fuere Turriani. Harum aliquas *parte quarta* recenſitas & quodammodo delineatas videre poſſis a p. 75 ad 169, ſub Titulo: *Alliances illuſtres des Seigneurs & Dames de la Maiſon de la Tour.* Nomina denique familiarum *Regiarum* & *Principalium*, ex quibus deſcendere quocunque modo Turriani P. III monſtrantur, hæc ſunt. *Imperatores* e gente *Habsburgica*, *Suevica*, *Saxonica*, *Franconica*, *Suplenburgenſi*, *Luxenburgenſi.* *CPlitani* e gente *Flandrica*, *Valeſia*, *Cortenæa*, (Courtenay) *Comnena*, *Angelia*, *Tarentina.* *Reges Caſtellæ* & *Legionis*, *Franciæ*, *Arragoniæ*, *Neapolis*, *Navarræ*, *Portugalliæ*, *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Angliæ*, *Poloniæ*, *Siciliæ*, *Hieroſolymorum*, *Cypri*, *Arelati*, *Obotritarum*, (vel Duces Megalopolitani) *Magni Duces Lithuaniæ*, *Duces Burgundiæ*, *Lotheriæ* & *Brabantiæ*, *Lotharingiæ*, *Limburgi*, *Brunſuici*, *Meraniæ*, *Britanniæ*, *Carinthiæ*, *Glogoviæ* & *Sileſiæ*, *Teci*, *Comites Palatini ad Rhenum*, *Marchiones* & *Duces Auſtriæ*, *Marchiones Badenſes*, *Eſtæi*, *Principes Slavoniæ*, *Pomeraniæ*, *Anhaltini*, *Veronenſes* e Scaligeris, *Comites Flandriæ*, *Hannoniæ*, *Duces Zaringhiæ*, *Comites Maurianæ & Sabaudiæ*, *Hollandiæ*, *Campaniæ*, *Landgravii Thuringiæ*, *Leuchtenbergi*, *Comites Arverniæ*,

Digitized by Google

verniæ, *Droci* (Dreux) *Barcinonæ*, *Arteſiæ*, *Vicecomites* (Viſconti) *Comites Cliviæ*, *Foxi* (Foix) *Bononiæ*(Boulogne) *Principes Mantuani*, *Comites Marcæ & Luſignani*, *Toloſæ*, *Chartrenſes*, *Kiburgi*, *Genevæ*, *Bari*, *Rhetelenſes*.

ATLAS NOVUS EXHIBENS ORBEM TERraqueum per naturæ opera, hiſtoriæ novæ ac veteris monumenta, artisque Geographicæ leges & præcepta; Autore R.P. HENRICO SCHERER, Societatis Jeſu.

Auguſtæ Vindel. Dilingæ & Francof. apud Joh. Caſp. Bencard, 1710, 4 maj. ch. auguſtiſſ.

Alphab. 12 & tabb. Geogr. ac figg. prope 200.

HIc vaſti ſatis corporis Atlas non ſolum multis Geographicis tabulis exornatus eſt, &, quod vulgo in libris Geographorum fieri ſolet, Orbem univerſum in certas partes diſtributum ſiſtit, harum ſitum indicat, & ad diverſas cœli plagas refert, quasque provincias, urbes pagos & reliqua, contineant, enumerat, verum & omnia in eum conferre voluiſſe videtur Cl. Autor, quae ad plenam creati mundi cognitionem pertinent. Hinc in principio de Orbis terraquei prima origine, interna ſtructura, externo ornatu, & quæ huc faciunt rebus aliis egit, deinde quæ hominum eum incolentium conditio cum in eccleſia, tum in civitate, qui ſtatus ſit, exponit, & demum, quæ ad Geographicam ejus delineationem proprie ſpectant, adducit. Ut vero paulo accuratius de toto opere conſtet, monere neceſſe eſt, illud diviſum eſſe in ſeptem Partes, quarum *prima* mundum exhibet prout ab Architecto infinite ſapiente Deo fabrefactus eſt. Vocatur autem hæc pars Geographia naturalis, & agitur pluribus in ea de conditi mundi ſublunaris fine, principiis, forma, & quæ huc faciunt, de ſtructura ſuperioris & inferioris: ut nimirum in hoc inferiore ignes ſubterranei, aquæ, aer, & ejus varia attributa, & effectus, mineralia, metalla, & ſub terra viventia producantur; atq; ſubterranei mundi diſtributio inſtituitur. Superior in tres contigna-

tiones di[illegible]guitur, in quarum infima ſunt aquæ ſalſæ & dulces; ſalſæ in Oceano, cujus tota natura exhauritur; dulces in lacubus, ſtagnis, paludibus, & fluviis, quorum potiſſima & notatu maxime digna recenſentur, atque incolæ aquarum & ſalſarum & dulcium enarrantur. Mediam contignationem terra conſtituit, cujus naturalem deſcriptionem Autor ita perfecit, ut omnia attigiſſe videatur, quæ in ea pleniori tractatione digna ſunt, quam ne quidem per compendium hic ſiſtere rerum ubertas patitur. Tertia contignatio atmoſphæra eſt, ſive aer inter globum terraqueum & Lunæ cavitatem expanſus variisque exhalationibus permiſtus, cujus naturam propriam, varietatem, triplicem regionem, altitudinem, motum, & hinc oriundos ventos, ac horum varias affectiones, & in atmoſphæra viventia Autor exhibet, & tandem de globi terraquei diſpoſitione, fine, neceſſitate, & utilitate diſſerit. *Secunda pars* Geographia Hierarchica dicitur, quam & Paradiſi ſtationem appellare placuit; pertractat hæc ſtatum eccleſiaſticum Romano Catholicum, per univerſum Orbem, uti hic aſſeritur, diſperſum. Hæc porro in duas ſectiones dividitur, in quarum prima adumbratur ſtatus veteris eccleſiæ, ejusque gubernatio per viſibile caput adſtruitur, quique hunc ordinem introduxerit, quæ paſſim officia, & qui honorum tituli obtinuerint, oſtenditur; præterea Patriarchatus recenſentur, inter quos primatum ſemper Romanus Pontifex tenuerit; ſingulorum autem Patriarchatuum fines & eccleſias ſubordinatas tabulæ Geopraphicæ exhibent. In ſecunda tractatione proponitur facies modernæ Romanæ eccleſiæ primariaque ſummi Pontificis ſedes, & ejus eligendi ritus, temporale dominium, ſpiritualis poteſtas, eccleſiaſticum regimen, & ad utrumque pertinentia officia, Romanæque fidei per Orbem univerſum propagatio, ſectæ, & ſuperſtitiones deſcribuntur, tum in quibus provinciis ſola catholica religio caput efferat, vel ſectæ permixtæ ſint, atque ubi etiam Judæis ſynagogas habere conceſſum ſit, enarratur, quin & religionis Romanæ propagandæ ſubſidia, ordines ſancti, eorumq; confeſſores illuſtres, ordines item equeſtres, academiæ & eruditorum ſeminaria, prærogativæ porro Romanæ eccleſiæ, quæ in templorum magni-

magnificentia, turrium miranda ſtructura campanarumque magnitudine atque aliis ad pompam Romanæ eccleſiæ pertinentibus ſpectatur, exhibentur, admixtis pluribus tabulis æri inciſis, iisque ita adornatis, ut provinciæ, in quibus Rom. Pontificis nulla eſt auctoritas, fuſco colore quaſi tenebris obductæ ſint, catholicæ vero luce ſua radient. *Pars tertia* Geographia *Mariana* Noſtro appellatur, ideo quod ſtatuas & imagines magnæ Dei Matris univerſo orbe beneficiis & prodigiis incluſtas ubivis præfert. Hic p. 56 narratur, Lugaviæ in Carinthia ſtatuam B. Mariæ conſpici, ad quam ferantur ante baptiſmum mortui, qui, ſi altari imponantur, & vitæ adhuc quidquam ſit reliquum, frequentia ejus ſigna præbeant, ſin autem revera exſpirarint, tantiſper in vitam redeant, dum ſacro fonte lavati ſint. Nec minus portentoſum videbitur, quod p. 78 de veteri monaſterio in Bavaria, cui Pollingen nomen eſt, narratur, quod cum juxta illud ſacellum B. Virgini de Victoria extrui curaret ruſticus, ejus gallinæ eodem tempore, quo fundamentum jaceretur, anno 1631, ova pepererint, in quibus delineata quaſi fuerit imago Deiparæ capite radiato, dextro brachio filiolum ſuſtinentis, & pedibus Lunam calcantis. *Quartam partem* Geographia Politica conſtituit, magna pars operis, in qua ſtatus orbis civilis proponitur, atque agitur de diverſorum Imperiorum, in quatuor majoribus mundi partibus, forma & regimine, de provinciarum juribus, de civium moribus, & viris ingenio vel arte claris, de artium progreſſibus, populorum divitiis, robore & reliqua. Ex hac multa liceret decerpere præcipua, quæ faciunt ad illuſtrandam hiſtoriam virorum doctorum exterarum gentium, eorumque ſcriptorum, imprimis eorum, qui Pontificis ſacra colunt, & ad ſacros ordines pertinent: ſed brevitatis legum memores ad ipſum Autorem evolvendum Lectorem remittere cogimur, id ſolum monentes, luculento indice hanc Partem exornatam eſſe, qualem rerum in illa varietas poſtulat. In *parte quinta* tractatur Geographia artificialis, & omnia illa deſcribuntur, quæ ad Artem Geographicam abſolvendam requiruntur. Hic itaque deſcriptos videas meridianos, tum meridiani primi inveni-

endi

eadi methodum, cum ſecundum antiquos tum recentiores, longitudinis & latitudinis indagationem, ſphæræ terreſtris & armillaris conſtituendæ rationem, globi terraquei in plano ichnographiam Opticam & Geometricam, & tandem varios modos delineandi Tabulas Geographicas, atque ipſam quatuor mundi partium ideam chorographicam & hydrographicam. *Parte ſexta* omnium provinciarum loca in tabellis exhibita ſunt & ſecundum literarum alphabeti ordinem diſpoſita, ſimul additis vernaculis locorum nominibus. In deſcriptionibus illa tantum adferuntur, quæ maxime digna notatu viſa ſunt; longitudinis quoq; & latitudinis initur ratio, non ex propriis obſervationibus, ſed doctorum Virorum fide; unde nec pro norma eſſe vult Autor, ſed aliorum diligentiæ commendat, ut errores forte admiſſos emendent. *Critica quadripartita* finem imponit toti operi, labor Autoris poſthumus, eoque in multis imperfectus, obſervationibus quippe, quas Autor per continuos quadraginta annos in ſubſidium aſtrologiæ naturalis circa aeris & tempeſtatum mutationes, vel a ſe ipſo notatas, vel ab aliis acceptas habuit, fruſtra poſt illius mortem quæſitis. Interim Editor, quicquid eſſet reliquum, in quatuor partes diviſum ſubjunxit, quarum prima eſt criſis Geographica, quæ in ſynopſi illa exhibet, quæ in Geographia artificiali de methodo delineandi exactiſſimo chartas Geographicas ſparſim dicta fuerant: ſecunda eſt criſis hiſtorica, de religionis chriſtianæ per Orbem diſſeminatæ moderno ſtatu, de cohærentia partium globi terraquei, & de partibus circumpolaribus recens detectis: tertia criſis technica dicitur, & verſatur in planisphærii, inſtrumentorum ad Geographiam pertinentium præcipui, explicanda fabrica, & uſu ejus per varia problemata: quarta demum eſt criſis Aſtrologica, in qua arcana tam judiciaria, quam naturalis Aſtrologiæ evoluta ſunt, paſſim quidem ob Autoris mortem mutila.

JOHANNIS ADLZREITTER A TETENWEIS, Arcani conſilii Cancellarii, Annalium Boicæ gentis Partes III, quibus Hiſtoria a prima Bojorum origine uſque

que

que ad A. M DC LI, quo Maximilianus Elector Bavariæ deceſſit, continetur. Acceſſere ANDREÆ BRUNNERI, *e Soc. Jeſ. Annalium Boicorum a primis initiis ad annum M CCC XI Partes III. Editio nova, ad Monachicas accurate recuſa, novoque Indice locupletiſſimo inſtructa. Cum Præfatione* GODEFRIDI GUILIELMI LEIBNITII.

Francof. ad Mœnum, impenſis Joh. Friderici Gleditſch & Filii, 1710, f.

Alph. 10 pl. 15.

AMbo iſti hiſtoriæ Boicæ ſcriptores, nitidiſſime ac emendate recuſi, fortunam hanc Ampliſſimi Viri, Ferdinandi Ludovici de Bresler & Aſchenburg, Senatoris Wratislavienſis, conſilio debent. Nec exiguum iis ornamentum addidit Ill. Leibnitii Præfatio. In ea primum de hiſtoriæ Bavaricæ præcipuis Scriptoribus agit, quibus meliores nullam Germaniæ ſuperioris partem inveniſſe judicat, ſive res ſacras, ſive civiles ſpectes. Johannem Aventinum, a patria Avensberga ita dictum, a familia Thurmaierum, laudat, quod, præter antiquiſſima nonnulla ex ingenio aut fabulatoribus deprompta, cum fide & judicio, nec ineleganter ſcripſerit. Et iidem quibus ob libertatem, qua Eccleſiaſticorum vitiis paſſim ſuccenſet, inviſus eſt, vel ideo ignoſcere poterunt, quia primus forte Johannam Papiſſam exploſit, quæ antea Scriptorum conſenſu pene conſecrata habebatur. Cum de Marco Velſero agit, ei libellum Italicum, qui *Scrutinii libertatis Venetæ* titulo prodiit, vindicat, adverſus alios, qui Marchionem de Cueva Legatum Hiſpanum ſubſtituunt, qua de re conf. Acta A. 1710 p. 253. Agnoſcit tamen, eum, dum Venetos Imperatoribus noſtris ſubjectos fuiſſe contendit, nimium cauſæ ſuæ ſerviiſſe. Ceterum mortem ejus ait Rebus ipſius Boicis maximam ſpem intercepiſſe, cum editæ in caſu Thaſſilonis deſinant. Ipſe vero Maximilianus, Bavariæ Dux & poſtea Elector, conficiendæ hiſtoriæ Bavaricæ curam Andreæ Brunnero S. I. deman-

mandavit, qua in tribus voluminibus, Monachii in forma, ut vocant, octava editis, defunctus eſt. Primum A. 1624, ſecundum A. 1629, tertium A. 1637 excuſum eſt, quod fere periiſſet, Autore Suecica irruptione turbato, & obſidis nomine per triennium Auguſtæ Vindelicorum retento. Sed non ultra A. 1314 produxit opus, cui per ſuperiores hiſtoriam Ludovici Bavari ex ſua Principisque ſui ſententia pertexere non licebat, ne Roma offenderetur, cujus ſtudio peculiari voto ſuos iſta Societas adſtringit. Juſſu tamen Maximiliani, qui omnino vindicari Ludovici cauſam volebat, Brunneri laboribus uſus eſt Nicolaus Burgundus. Et alia peculiari opera contra Abrahamum Bzovium eum tuitus eſt Joh. Georgius Hervvartus. Poſtea Jacobo Balde, ejusdem Societatis & elegantiſſimi ingenii Viro, continuandæ hiſtoriæ negotium datum eſt, cujus quædam vidiſſe ſpecimina, ſed ad noviſſima tempora pertinentia, Ill. Leibnitius meminit. Quanquam is longo & laborioſo opere a carminibus, quibus ſummopere excellebat, abſtrahi impatiens, aulæ convictum illi prætulit. Quod aliquis luſu hoc feſtive ultus eſt:

Hic ſitus eſt, Boiam qui bibit hiſtoriam.

Tandem qui congereret, quicquid ad res Boicas pertinebat, plenamq; ejus hiſtoriam a primis inchoatam initiis ad ſuam ætatem produceret, delectus eſt Jo. Adlzreitterus. Et hunc quidem ſtylo cujusdam Warfuſæi, quem Balbinus Johannem Ferveaux vocat & Jeſuitam Lotharingum facit, multi affirmant, & ipſe Ill. Boineburgius Autori noſtro aliquando teſtatus eſt. Qui nihilominus illi ſatis in ſua eruditione præſidii fuiſſe cenſet, inſigni rerum uſu fulta: labore tamen ſuperſedere potuiſſe in iis, quæ Brunnerus jam dederat: nec ubi hic deſeritur, in melius iri. Altera præfationis parte in initia gentis inquirit, & primo in nomen. Monet, ad conſenſum nominum & ſimilitudinem non ſatis tuto provocari, in conſtituendis antiquorum populorum originibus. Wendos idem pene nomen habere cum antiquis Vandalis, ſucceſſiſſe etiam in eorum ſedes. Hos autem Germanam gentem fuiſſe cum e Veterum

terum teſtimoniis, tum e Regum nominibus conſtare: illos ad Sarmatas vel Slavos referendos eſſe, ipſam linguam arguere. Tum ſupponit, vetera gentium nomina interdum origine ſua nihil aliud ſignificare, quam gentem hominemque in univerſum, eodem modo quo propria montium, fluviorumque vocabula, nihil aliud quam montem, fluviumve aut abſolute, aut circumſtantiis quibusdam deſcriptum denotant. Itaque Boiorum nomen derivari a voce *Boy* veriſimillimum credit, quam majoribus noſtris juvenem ſignificaſſe, ex hodierno Anglo Saxonico conjicit, & voce vernacula *Bube*, ſeu ut ſuperiores Germani loquuntur, *Bueb*, idque nomen perinde ac Gallorum vocem Garçon, non primæ pueritiæ ſaltem, ſed adultiori etiam juventuti hæſiſſe. Boii habitaverunt initio in Boiohemo, quod Boiorum patriam interpretatur, intra Hercynias ſylvas, in quam regionem imperante Auguſto Maroboduus, cum alios populos, tum præcipue Marcomannos ſuos, qui in Moravia ad Marcam fluvium hactenus egerant, induxit, Boiis non tam ejectis prorſus, quam ſubactis & in Marcomannorum nomen ac Rempublicam adſcitis. Nec tamen Boiohemo tota gens Boiorum fuit concluſa. In Noricum etiam, Pannoniam, Italiam, Galliamque colonias ſuas diffudit. Nam cum Helvetis, quibus tum fuit contermina, expeditionem in Gallos facientibus, triginta duo capitum millia, quorum quarta pars armata, emiſit, victisque Helvetis & domum remiſſis, Boii Arduis petentibus ad finium ſuorum præſidia conceſſi ſunt. Eos vero, qui a dextra Danubii ripa usque ad Alpes habitabant, Colonias in Italiam duxiſſe credibile eſt, cum Latini ſub appellatione Gallorum tam Gallos proprie dictos, quam Germanos comprehenderent, gentes lingua tum & moribus ſibi ſimillimas. Itaque Livius gentes Alpinas ſemigermanicas vocat, & Galli a citeriori Rheni ripa ad Pannonas usque diffuſi veteribus memorantur, qui revera Germani fuere. Vnde infertur, Gallos, qui in Græciam ipſamque Aſiam progreſſi feruntur, ex Boiis aliisque Germanis profectos fuiſſe. Recenſeri enim inter Galatas Toliſtoboios;

Tectoſages autem, qui itidem inter eos memorantur, a Tectoſagibus, qui longe remoti in Gallia Narbonenſi vixere, non derivandos eſſe, ſed diverſis gentibus, ut fit, idem nomen fuiſſe. Hinc etiam illorum conjectura exploditur, (quam utrumque Hiſtoricum noſtrum ſequi videmus) qui primos Boios ex Gallia (Lugdunenſi) accerſunt, cujus Regem Ambigatum circa A. C. 150 juventutis partem Duce Belloveſo in Italiam, Sigeveſo in Herciniam emiſiſſe tradunt, ſortis arbitrio utrique Duci terrram ſuam deſtinante. Poſt Auguſti tempora in Germania Boiorum nomen abſorptum eſt, præcipue a Marcomannis, qui celeberrimum bellum cum Marco Antonino geſſere. Velſeri ſententia eſt, adventantibus Czechis Slavonicis populis, Bohemia pulſos Boios in Nariſcis, Palatinatu ſcilicet ſuperiore & vicinis locis, ac deinde trajecto Danubio, in Vindelicis, quas nunc habent, ſedes fixiſſe; & Theodonem quidem Ducem, Theodorico Oſtrogothorum Rege in Italia regnante, Boiis præfuiſſe. Qui ut commentitius ſit, Noſter veretur, & Boios iſtos tractus coluiſſe diu ante Slavorum irruptionem, imo antequam Maroboduus Boiohemum occuparet, veroſimilius cenſet. His itaque exploſis ponit partem Boiorum veterum ſubalpinorum, reliquis pene oppreſſis, in mediocri aliquo tractu, tametſi Hiſtoricis & Geographis non memorato, ſe conſervaſſe, atque ex eo deinde felicibus armis diffuſos priſcam celebritatem recepiſſe. Nomen vero Boiorum Germanica terminatione Bojer, vel Bajer, in Baioarios, vel Bajobaros lenta pronuntiatione producere, tandemque Bavaros inde extorquere facile fuiſſe. Ultimo loco fines veteris Bavarorum Regni attingit, & Noricum ei ſubjicit. Quod licet olim a Vindelicia OEno fluvio, a Pannonia monte Cætio ſepararetur, poſterioribus tamen illis temporibus Vindeliciam complexum, & ad Lycum fluvium extenſum fuit. Imo ad mare Adriaticum & Italiæ fines procurrit Bavarorum imperium. Sed quod Auſtriam ab eo avulſit Fridericus I, eamque Stiria, Carinthia, Carniola, & Meraniæ vel Tirolis regio ſecuta eſt, hodiernus Bavariæ circulus veteri regno multum factus eſt anguſtior.

IOHAN-

Digitized by Google

JOHANNIS MARCKII SCRIPTURARIÆ Exercitationes ad XXV ſelecta loca Novi Teſtamenti.

Amſtelodami, apud Iacobum Borſtium, 1710, 4.
Alph. 4 pl. 8.

INter celebres hac ætate interpretes Scripturæ S. non poſtremum nomen eſt Cl. Lugdunenſium Theologi, Jo. Marckii, cujus ſcripta pleraque magno numero edita, quorum catalogum huic Volumini ſubjectum deprehendimus, in exponendis vel integris Sacri Codicis libris vel difficilioribus locis verſantur. Poſterioris generis complures diſſertationes, quatuor collectas Voluminibus, edidit, quorum *primum* titulo *Exercitationum Textualium* ad L Selecta loca Veteris & Novi Teſtamenti A. 1694 editum in Actis hiſce ejuſdem anni p. 234 recenſitum eſt. *Secundum* A. 1697 evulgatum totidem utriusque Teſtamenti dicta ſub titulo *Exercitationum exegeticarum* enucleata exhibet. *Tertium*, A 1706 p. 483 a nobis recenſitum, pari numero utriusque Teſtamenti loca obſcuriora enodat, præſcripto *Exercitationum Biblicarum* titulo. *Quartum Exercitationum Scripturariarum* inſcriptione inſignitum in duos diviſum eſt tomos, quorum priore XXV Vet. Teſt. loca explanantur, edito A. 1709. Poſterior tomus nunc luci publicæ fuit expoſitus, quo N. T. totidem loca illuſtrantur, ea ſervata ubique methodo, ut Autor aliorum ſententiis magna cum diligentia conquiſitis ac præmiſſis, quin & ſub examen vocatis, ſuam ſtabiliat ſententiam, quæque opponi poſſe viſa ſunt, refellat ac diluat.

Exercitatione I ad *Matth. II, 23* inquirit in prædictionem Prophetarum de Ieſu vocando Nazareno, tandemque ſtatuit, Evangeliſtam mente reſpexiſſe ad multiplex nomen *germinis*, Meſſiæ paſſim in monumentis Veteris Teſtamenti tributum, ac præcipue *Zachar. VI, 12. Secunda* ad *Matth. III, 11* de *baptiſmo in igne* diſſerit, ejusque ſe ſententiæ patronum præbet, qua hoc loco ſtatuitur ἓν διὰ δυοῖν, quaſi dictum ſit: *ille vos baptizabit ſpiritu igneo*, vel *igne Spiritus Sancti. Tertia* ad *Matth. XI, 11* agit de *minore in regno cælorum*, *majore præ Joanne.* Ubi Cl.

 Mar-

Marckius ſuam facit eorum ſententiam, qui per τὸν μικρότερον intelligunt *minimum* quemvis Ecleſiæ N. T. poſt Chriſti glorificationem collectæ ſeu Apoſtolum, ſeu miniſtrum, ſeu etiam membrum. Verum non dubitamus, veriorem eſſe receptam & ab ipſo quoque Cl. Marckio §. VII commemoratam interpretationem, qua Chriſtus de ſemet ipſo loqui creditur. Si namque recordamur, paulo ante, quam Chriſtus hæc locutus eſt, eum a Ioannis diſcipulis, jubente magiſtro, rogatum eſſe, an ipſe ſit verus & tamdiu exſpectatus Meſſias, iisque reſponſum ad ſe pertinens dediſſe: non immerito colligimus, Chriſtum hanc occaſionem arripuiſſe, idem quoque reliquos tum congregatos auditores tacite ac perplexe docendi. Poſtquam enim eximia laude Baptiſtam decoraſſet, tandem *v. 10* diſerte dicit, hunc eſſe *præcurſorem Meſſiæ.* Ac ſtatim *v. 11* hinc concludit, Ioannem Paptiſtam omnibus hominibus aliis dignitate majorem eſſe: niſi quod ille, qui in regno Dei de novo reparando junior eo ſit, & poſt illum veniat, illo ſit major: quippe cujus annunciandi gratia Ioannes fuerat a Deo miſſus. Μικρότερος igitur hoc loco ſignificat *Juniorem*, ut Iacobus vocatur ὁ μικρὸς *Marc. XV, 40.* Nec aliter Joannes ipſe de Meſſia locutus eſt, quam hoc modo: *Is, qui poſt me venit. Exercitatione IV* ad *Matth. XI, 12* agit de βιασμῷ καὶ ἁρπαγμῷ *regni cœlorum a diebus Ioannis.* Id Cl. Autor capit de perſecutoribus præ aliis vim inferentibus regno cœlorum, id eſt, Eccleſiæ Chriſti, & potentia ſua abutentibus ad regnum cœlorum ferarum inſtar diripiendum: quorum tamen conatus promotionem doctrinæ Chriſtianæ plane impedire aut ejus orientis & perrumpentis progreſſum ſiſtere haudquaquam poſſit. *Quinta* ad *Matth. XV, 3-6* dilucidat traditionem Judæorum adverſam divino mandato de parentibus honorandis. Hic iſte confirmatur ſenſus: *Quocunque ex me* ſive *ex meo juvari poſſes, id conſecratum Deo eſt, adeoque te juvare, mi parens, non poſſum.* Sacrilegum hoc dogma inter Judæos receptum fuiſſe, contra quosdam, qui dubitandi cauſas afferunt non leves, doctiſſime evincitur. Ac tandem cum Phariſæorum illa doctrina confertur Pontificiorum de Votis filiorum mona-

ſticis

ſticis placitum, olim jam in Gangrenſi Synodo condemnatum. *Sexta* ad *Matth. XXIII, 6-22* contemplatur juramenta per creaturas. Hanc exercitationem pereruditam cum breve in compendium redigere non liceat, Lectori perluſtrandam relinquimus. *Septima* ad *Marci XIII, 32* oppoſita eſt *Matthæo Hofmanno*, Chronotaxis Apocalypticæ autori, durationem mundi definire auſo. Probat igitur Cl. Marckius, poſtquam contra Hammondum ac Lightfotum demonſtravit, citata Chriſti verba non de vaſtatione urbis Hieroſolymitanæ, ſed de extremo illo judicio capienda eſſe: *diem & horam* non ſtricte & propriiſſime dici, quaſi annus quidam, ac fortaſſe menſis quoque ac ſeptimana, non autem ipſe dies diei que illius hora præfinite ſciri poſſit, ſed locutione proverbiali ſignificare tempus curatiſſime determinatum. Quando autem & ſibi extremi judicii notitiam denegat Chriſtus, Cl. Autor judicat, non id eſſe intelligendum ſecundum Deitatem, ſed ſecundum humanitatem, ipſi perſonaliter unitam. Nam, inquit, *humanitas perfectionum divinarum in ſe non erat capax, & imperfectiones noſtras eſſentiales & miſerabiles quoque ante glorificationem accepit: atque cum profecerit ſapientia æque ac* ἡλικίᾳ, *neutiquam ab omni ignorantia fuit exemta.* Oſtendit porro, eo dicto angelis & hominibus ſcientiam extremi judicii denegari in perpetuum, non quaſi illo tantum tempore, quo Chriſtus id dixit, illud ignorarint: & ceteris quoque Hofmanni exceptionibus ſatis facit. *Octava* ad *Luc. II, 14* angelorum hymnus Chriſto nato decantatus illuſtratur. Hic illud ſingulare eſt, quod Cl. Marckius putat, per εὐδοκίαν ἐν ἀνθρώποις intelligi Chriſtum ipſum, eo tempore per incarnationem ſuam ad homines delatum. *Nona* ad *Luc. XXIII, 44 & 45* expendit extraordinariam illam Solis obtenebrationem, Chriſto cruci affixo obſervatam: ubi vero ſimilius eſſe docet, quod illæ tenebræ Iudæam & vicinas illi regiones tantummodo preſſerint, quam quod per totum Orbem terrarum fuerint diffuſæ. *Decima* ad *Ioan. I, 52* conſiderat aſcenſum deſcenſumq; angelorum ſuper Filium hominis. Quo loco Cl. Autor exiſtimat intelligi miniſterium angelorum in ipſius nati-

vitate

tivitate, tentatione, agone in horto, reſurrectione & aſcenſione, immo & in extremo judicio exhibendum. *Undecima* ad *Ioann. II, 20* tuetur hanc ſententiam, quod per 46 annos ædificationis templi ſint intelligendi tot anni in exſtruendo templo conſumpti, ita ut anni diſtincti ſtructuræ ſub Zorobabele & ſub Simone atque aliis minus notis temporibus conjungantur. *Duodecima* ad *Ioan. V, 26* contendit Cl. Autor, per datam Filio a patre vitam in ſe habendam reſpici ad generationem Filii æternam, hancque inde probari poſſe. *Exercit. XIII* ad *Ioan. VIII, 56* agitur de Abrahami ἀγαλλιάσει ad videndum diem Domini, hujusque viſione læta. Hoc autem de mentali viſione exponit, qua Patriarcha viderit tempus Chriſti, ſeu viventis in his terris, ſeu etiam regnantis in cœlis. *Exercit. XIV* ad *Ioan. XIII, 30* diſputatur, an Judas proditor Cœnæ Dominicæ fuerit particeps? Cl. Marckius loco citato potiſſimum nixus id negat, & argumentum ex Lucæ hiſtoria opponi ſolitum uberius ſolvit, nec non rationes diſſentientium alias levioris ponderis. *Exercit. XV* ad *Ioan XVIII, 31* diſſeritur de ſuppliciorum capitalium jure apud Judæos tempore Chriſti patientis. Confutatis iis, qui ſublationem ejus juris reſtringunt vel ad certum genus criminis, vel ad certum ſupplicii genus, vel alia commenti ſunt, accurate demonſtrat, verba illa loco citato generali ſenſu capienda eſſe de jure gladii Judæis prorſus ablato per Romanos, ſolutis, qui a pluribus contra nectuntur, nodis. *Exercit. XVI* ad *Actor. I, 12* de itinere Sabbathi & loco Dominicæ aſcenſionis agitur. Oſtendit in ea Cl. Autor, iter Sabbathi fuiſſe ſpatium bis mille cubitorum ſeu mille paſſuum. Simul Ioannis ac Lucæ loca de eo agentia explicat, & in concordiam redigit. *Exercit. XVII* ad *Actor. II, 1* inquirit tempus ac locum donati Apoſtolis S. Spiritus. Vt omittamus doctam curioſamque de tempore tractationem, locum fuiſſe putat eadem in domo, eodemque ὑπερῴῳ, in quod poſt Chriſti aſcenſionem Apoſtoli ſe contuliſſe dicuntur *Act. I, 13*. Eos perinde, qui locum illum conſtituunt intra templi ambitum, refellit, ac privatam fuiſſe domum, quatuor propugnat rationibus, quarum hæ ſunt præcipuæ:

cipuæ: 1 a ſilentio de templo in hiſtoria & paſchatis ultimi & effuſionis ſpiritus; 2 quod minime conſtet, iſtiusmodi domos & cœnacula ampliſſima in templo fuiſſe. *Exercit. XVIII* ex *Actor. XV, 18* contra Socinianos diſputat pro decretorum & præſcientiæ divinæ æternitate. *Exercit. XIX* explicat dictum Pauli *Rom. II, 4*, idque contra Univerſaliſtas, quos vocat, ſpeciatim Curcellæum vindicandum ſuſcipit. Probare nimirum conatur, hoc dictum ad Judæos eſſe prolatum ab Apoſtolo, non ad gentiles, id quod confirmat 1 ex ampliſſima divinæ benignitatis hoc verſu facta deſcriptione, 2 ex initio capitis hujus, quo Paulus alloquitur Judæos, 3 ex eo, quod Apoſtolus diſſerit de cordis duritie & graviore damnatione, inprimis de judicio DEI in Judæos ἀπροσωπολήπτως, 4 ex v. 17, ubi Paulus manifeſte ſermonem ad Judæos convertit. His ſuppoſitis, quod ſcilicet Apoſtolus hic Judæos compellet, plane concidere putat argumentum pro ſufficientis gratiæ univerſalitate, hoc ex loco petitum. De iſthac diſſertatione ſi breviter, quid ſentiamus, dicere liceat, (quamvis alias ab ejus generis diſputationibus prorſus potius abſtineamus) fatemur, Cl. Marckium dilucide probaſſe, Paulum ea verba direxiſſe ad Judæos, atque adeo locum iſtum ad confirmandam divinæ gratiæ univerſalitatem minus docte a quibusdam afferri, ſed hinc tantum illud conficitur, quod inter tot alia argumenta, ad dogma iſtud probandum produci ſolita, hoc minus firmum ſit, non autem, quod ipſum dogma idcirco vacillet, cum ſatis dilucidæ ſuppetant rationes aliæ, quibus qui non moventur, ſe adhuc præjudicio ex falſa capitis IX Epiſtolæ ad Romanos explicatione hauſto teneri, manifeſto produnt. *Exercit. XX* agitur ex *Rom. IV, 13* de promiſſione hereditatis mundi Abrahamo & poſteritati ejus facta. Nam nulla ejusmodi Abrahamo facta in Veteri Teſtamento legitur promiſſio. Exiſtimat igitur Cl. Autor, reſpici a Paulo locum *Geneſ. XVIII, 2, 7, 8*. Cum enim hic DEUS polliceatur Abrahamo, ſe ipſi ejusque poſteris futurum eſſe Deum, non poteſt, judice Noſtro, ille ſe ipſum alicui in fœdere addicere ut Deum in ſenſu pleniſſimo, niſi & jus

fœderale ac teſtamentarium ei largiatur in omnia ſua bona, quorum ſic ipſe conſtituitur heres legitimus. Adeoque putat Cl. Marckius, his verbis Abrahamo per tacitam conſequentiam promiſſam fuiſſe hereditatem omnium in hoc mundo, tum in futuro. *Exercitatio XXI* verſatur in exponendis illis verbis, quæ *Rom. V*, 12 occurrunt: ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Significatum *eo quod*, quia Pelagianis faveat, rejicit, licet approbatum a Calvino, Martyre, Piſcatore, Pareo. Ipſe ita exponit: *in quo*, ſcilicet Adamo, omnes ad unum homines, etiam peccati nullius actualis proprii & perſonalis rei, peccaverunt & vere peccaſſe cenſentur. Dicta plura adfert, quibus ἐπὶ poſitum reperiatur pro ἐν. Sed ea magis Auctoris cauſæ obſunt, quam proſunt. Quæcunque enim exempla adducit, ſi quis evolvere velit, deprehendet, in iis ἐπὶ ſignificare vel *ſuper*, vel *in* cum accuſativo, vel *propter* vel *objectum* actionis. Contra potius ἐφ' ᾧ ſignificat *cauſam*, *Matth. XXVI*, 50, 2 *Corinth. V*, 4, *Phil. III*, 12. Eodem ſenſu a profanis ſcriptoribus illud ἐφ' ᾧ uſurpatur, obſervante ac teſtimonia producente Matthæo Devario lib. *de particulis Græcæ Linguæ* p.143,144. Neque adeo Cl. Marckius cauſam habet mirandi, cur præter alios & Piſcator ſcripſerit: *Nec puto, ἐπὶ pro ἐν reperiri hoc ſenſu. Exercitatio XXII* indagat ſenſum loci 1 *Corinth. XV*, 19, & diſquirit, quo ſenſu Paulus negaverit, Chriſtianos in hac vita ſperare in Chriſto ſolum. Putat, non male a quibusdam voculam μόνον jungi cum vocibus *in hac vita*, non tanquam deſignantibus durationem actus ſpei, (nam, inquit, ſpes illa fidelium utique cum hac vita finitur, & in conſummatam rei antea ſperatæ poſſeſſionem convertitur,) ſed tanquam ſpectantibus ad ſpei objectum. Ipſe tamen tres novas proponit explicationes, quarum *prima* hæc eſt, ut *in hac vita* non intelligatur vita noſtra, qui ſperamus in Chriſto, ſed vita Chriſti ipſius, in quo ſperamus, & quidem vita ejus, quam egit olim in terris triſtem, ignominioſam & mortalem. Ut ſenſus ſit: *Spes Chriſtianorum neutiquam eſt in illa terreſtri Chriſti vita, aut in Chriſto vivente in his terris fundata, ſed etiam & multo magis in ipſius glorioſa reſurrectione ac, quam nunc vivit, vita immortali. Altera* hæc eſt: *Si in hac*

hac vita noſtra nos, qui ſperamus, dum ſperamus, & eo quod ſperamus, ſumus tantum in Chriſto, communionem ſic & eo usque habentes cum eo, absque communione feliciſſima poſt hanc vitam miſeriores omnibus hominibus ſumus. Tertia, quam ſibi maxime placere ait, exegeſis particulam μόνον refert ad totam enuntiationem hoc ſenſu: *Si in Chriſto ſperamus durante hac vita absque fructu optato & læto iſtius noſtræ ſpei poſt hanc vitam, uti res ſe habebit, ſi dormientes in Chriſto perierunt, miſerrimi ſumus omnium hominum.* Verum videtur Vir Cl. fruſtra laborare in exponendis hisce verbis, nec recordatus eſſe, eam eſſe Paulini ſtyli indolem, ut non arcte inhærendum ſit verbis ejus, ſed ſensus potius debeat reſpici & ex ſcopo erui. *Exercit. XXIII* inveſtigatur mens Apoſtoli, jubentis *1 Tim. III 2*, Epiſcopum unius eſſe uxoris maritum, ac adverſus eos, qui ſucceſſivam etiam polygamiam prohiberi ſtatuunt, defendit, ſolam polygamiam ſimultaneam ſine vel cum divortio a Paulo notari. *Exercitatio XXIV* disquirit, quomodo *1 Tim. IV, 1, 2, & 3* ad doctrinas dæmoniorum referatur interdictum conjugii & ciborum. Vulgo enim contra Pontificios urgetur hîc locus, quaſi in eo interdictum conjugii & ciborum ab Apoſtolo proponatur ut doctrina dæmoniorum. Id quod etiam fit in Auguſtana Confeſſione & aliis Reformatorum Confesſionibus. Noſter repudiata eorum ſententia, qui *doctrinas dæmoniorum* exponunt objective pro doctrinis de *dæmoniis*, recte ſtatui putat, Apoſtolum intelligere doctrinas ab impuris ſpiritibus tanquam autoribus profectas. Non tamen pro certo admittit, Paulum hoc loco in numerum doctrinarum dæmoniorum referre interdictum conjugii & ciborum. Nimis ait ſibi durum videri judicium, quo quis Chriſtianæ fidei præcipua dogmata tenens ceteroquin, ſed in caſtum cælibatum pronus & a cibis quibusdam ſuperſtitioſe abſtinens, hoc ipſo diceretur apoſtata a fide Chriſtiana, ſecundum diſertam Spiritus prædictionem per Apoſtolum factam. Igitur interdictum conjugii & ciborum connectendum putat cum verbis proxime præcedentibus, ut tantum indicetur, doctores illos falſos ad decipiendum facilius alios uti ſimulatione ſanctitatis, dum a conjugio & cibis quibusdam abſtineant,

ceteroſque item abſtinere jubeant. Concludit his verbis *Sic vero nos ſcopo & contextui Apoſtolico credimus aptiſſime eſſe ſatisfactum, nec minui tamen invidiam dogmatum hæreticorum & papiſticorum, quæ, ſi non ad ipſas doctrinas dæmoniorum, utique ad fœdam & damnabilem hypocriſin cum iis junctam ex eodem magiſterio, refert ſapientiſſime per Spiritum Paulus. Exercitatio XXV* eademq; ultima agit de vera notione vocis τῶν κλήρων *1 Pet. V, 3*. Cl. Dodvvellus diſſert. Cyprian. I exponit per hereditates Eccleſiæ dicatas in uſus pauperum: quem ſenſum omnium alieniſſimum ſibi videri ſcribit Marckius, ac propterea hanc interpretationem refellit. Deinde & Pontificios refutat, qui per τὰς κλήρους capiunt profectos Eccleſiæ Epiſcopis inferiores. Tertio eorum producit ſententiam, qui τὰς κλήρους exponunt de vocatis fidelibus omnibus Eccleſiam conſtituentibus, in oppoſitione ad ſuos præfectos. Cujus ſententiæ firmamenta Clariſſimus Autor adducit, nominatis quoque ex Pontificiorum cœtu non ignobilibus ejuſdem ſententiæ patronis. Denique Cocceji quoque & Hammondi explicationes hujus dicti deſtruit, ſuisque nudat præſidiis.

In fine hujus Voluminis apparet quoq; Cl. Marckii Oratio in obitum *Hermanni Witſii* A. 1708 d. 29 Octobris habita. In qua cum vitam hujus Viri perſequatur celeberrimi, non ingratum erit Lectori eam perluſtrare in compendio. Nimirum Witſius ille patre Nicolao Witſio natus eſt, de quo id memoratu dignum, quod, cum Eccleſiæ primum Diaconus, deinde Presbyter fuiſſet, poſtea Quæſtura & Conſulatu functus eſt. Vidit autem Hermannus ille lucem Enkhuſæ anno 1636 d. 12 Febr. Poſteaquam in Academia Ultrajectina & Groningenſi litteris operam dediſſet, anno ætatis vigeſimo primo, anno 1657, factus eſt paſtor Eccleſiæ in pago Weſtvvuda, qua in ſtatione etiam anno 1660 uxorem duxit. Sequenti, nempe anno 1661, Paſtor Eccleſiæ Wormeranæ conſtitutus eſt, & anno 1666 Eccleſiæ Goeſanæ apud Zelandos. Verum nec hoc quidem ſatis amplum tanto Viro theatrum fuit. Igitur anno 1668 in Friſia Leovardienſis Eccleſiæ conſtitutus Paſtor eſt. Rurſus hinc migravit anno 1675, factus in Academia Franequerana

Theolo-

Theologiæ Profeſſor Ordinarius & ibidem ſimul Eccleſiæ Paſtor. Anno 1679 in Academiam Groningo-Omlandicam vocatus eſt, ſed ſequi vocantes tum recuſavit. Statim vero anno 1680 Trajectinæ & Academiæ & Eccleſiæ Doctor renuntiatus. Quanquam & hinc eum diſcedere fatum juſſit, anno 1698 Lugdunenſis Academiæ factum Theologum, quo in loco a ſuggeſtus laboribus fuit exemtus. Ibidem anno 1699 ei etiam demandata eſt Directio Collegii Theologici, in quo Reipublicæ Trajectenſis alumni ad Eccleſiæ commoda præparantur. Sed tamen ob ætatem ingraveſcentem anno 1707 altero hoc munere ſe abdicavat, ſimul etiam eodem tempore donatus immunitate a publicis in Academia exercitiis Profeſſorii muneris. Tandem diem ſuum obiit anno 1708 d. 22 Octobr. ætatis anno 73.

DE ACHTBAARHEIT VAN GODTS Woort &c.

hoc eſt

DIGNITAS VERBI DIVINI, AUTORE PETRO DINANT, V.D.M. Roterodamenſi.

Roterodami, apud Reinerum van Doesburg, 1709, 4.
Alph. 5 pl. 21.

Cum per aliquod tempus libri non pauci prodierint, quibus autoritas Sacrarum Litterarum vel in univerſum vel ſaltem aliqua ex parte oppugnatur ac labefactatur, Cl. Autor periculum animarum inde metuendum ſecum perpendens, dignitatem Verbi Divini hoc libro vindicare conſtituit. Capite primo oſtendit, quam neceſſaria ſit revelatio divina poſt lapſum. Fatetur quidem, natura hominibus omnibus lumen quoddam eſſe inſitum, cujus ope permulta ad ſalutem ſuam pertinentia cognoſcere poſſint, id quod adductis teſtimoniis variorum ſcriptorum Gentilium confirmat: hoc ipſum tamen lumen nimium debile eſſe docet, nec ſufficere ad comparandam tantam ſcientiam, quanta ad veram felicitatem requiratur. Eſſe enim multa ad hanc conſequendam ſcitu neceſſaria, quæ tamen abſque revela- p. 26 ſqq. 41 ſqq.

tione innoteſcere minime queant, quo refert, eſſe tres perſonas in una eſſentia, mundum conditum eſſe ſex diebus, Adamum e terra, Evam ex Adamo eſſe procreatam, Chriſtum induiſſe naturam humanam, mortuumque eſſe pro nobis, & quæ ſunt ejus generis alia. Ob has igitur cauſas
p. 60. omnino veroſimile eſſe concludit, Deum verbo ſcripto voluntatem ſuam hominibus manifeſtaſſe: naturam tamen de exiſtentia hujusmodi libri penitus certam eſſe non poſſe, cum ſit res facti, neque abſolutæ neceſſitatis, ſed a libera vo-
67. luntate Dei dependens. Poſtea Cl. Autor ſigna quædam recenſet, quibus liber revelationem genuinam Dei continens cognoſci poſſit: primum ut conveniat cum lumine naturæ & huic ſuperſtructus ſit, neque enim ullo modo credi poſſe, lumen ſemel inditum a Deo ab eodem iterum eſſe extinguendum; deinde ut plura contineat, quam natura ſola docere poſſit; porro ut modo decenti de Deo loquatur; ut ſtatum generis humani & media ad ſalutem neceſſaria probe exponat; ut virtutem inculcet, vitia deteſtetur; ut vera ubique contineat; utque poſteriora non contradicant prioribus.
73. Cumque hæc requiſita neque in oraculis Gentilium neque in Alcorano Muhammedanorum neque in placitis Fanaticorum reperiantur, infert inde, non his libris, ſed ſolo S. Codice revelationem Dei veram contineri. Capite ſecundo probatur S. Litterarum divina origo ex autorum ſimplicitate ac ruditate, e præceptis eorum ſanctiſſimis, nec ſolum actiones externas, ſed ipſos etiam motus cordis reſpicientibus, e vaticiniis, myſteriis, mediisque oſtenſis, ad ſalutem ſufficientibus, e miraculis quibus hoc libro comprehenſa omnia fuere, e virtute atque efficacia ejus omnem vim humanam ſuperante, ex antiquitate ejus, denique ex ipſis teſtimoniis adverſa-
243. ſqq. riorum. Poſtea exponitur, quodnam ſit circa percipiendam veritatem S. Litterarum negotium rationis, Spiritus S. atque Eccleſiæ. Rationis miniſterium non contemnendum quidem eſſe, dum ea, quæ in S. Litteris dicuntur, apprehendat, inter ſe comparet, & de pondere argumentorum judicet, ſed ſolam tamen absque accedente colluſtratione Spiritus S.

non

non ſuffieere. A Spiritu S. intellectum ad credendas veritates ſacras reddi idoneum, animumque ita perfici, ut ea, quæ in S. Litteris traduntur, re ipſa ſentiat & experiatur. Evenire etiam interdum, ut Spiritus S. hac in re faciat aliquid extraordinarium, neque in omnibus fidelibus, neque omni tempore fieri ſolitum. Nimirum filios Dei interdum tantum ſplendorem & gloriam incomparabilem in ſe ſentire, ut pleniſſime reddantur perſuaſi, a Deo eſſe, quæ in S. Litteris continentur. Tale quid expertum eſſe Paulum, qui de ſe ipſo teſtatur, ſe non ab hominibus accepiſſe Evangelium neque edoctum eſſe, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. Atque hoc modo Deum videri & cum reliquis Apoſtolis ac Prophetis egiſſe, quando voluntatem ſuam ipſis revelavit, ut characteres Divinitatis in ſe ſentirent adeo claros, motusque adeo efficaces atque ineffabiles, ipſo etiam corpore interdum una commoto, ut ne minimum quidem amplius dubium ſupereſſet, quin hoc eſſet opus ſupremi Numinis. Inprimis poſt graves tentationes piis hominibus ſæpe tale quid accidere ſolere, quod prorſus ſit mirabile, quodque omnem dubitationem eximat, ut cum Jobo exclament: *Auditu auris audivi te, Domine, & nunc videt te oculus meus: quapropter deteſtor me ipſum, & pœnitentiam ago in pulvere ac cinere.* Adducit hanc in rem Cl. Autor teſtimonium Franciſci Junii, celebris illius inter Reformatos doctoris, *Lego*, inquientis, *partem capitis & ita commoveor legens, ut repente Divinitatem argumenti & ſcripti majeſtatem autoritatemque ſenſerim, longo intervallo omnibus eloquentiæ fluminibus praeuntem. Horrebat corpus, ſtupebat animus, & totum illum diem ſic afficiebar, ut qui eſſem, ipſe mihi incertus viderer eſſe. Recordatus es mei, Domine Deus mi, pro immenſa miſericordia tua, ovemque perditam in gregem tuum recepiſti. Ex eo tempore, cum in me Deus tam potenter Spiritus ſui virtute irruiſſet, alia frigidius negligentiusque legere & tractare cœpi: de his vero, quæ ad pietatem pertinent, cogitare amplius & attentius in eis verſari.* Simile quidpiam etiam ſibi ante annos viginti poſt diuturnam & gravem p.265 ſqq.

gravem tentationem contigiſſe, Cl. Autor modeſte com-
memorat, ſubjungitque, eſſe id opus ſpiritus, quod non ſit
rejiciendum tanquam inane phantaſma, licet hæc res aliis
explicari ita non poſſit, ut intellectu ſuo eam capiant: Deum
enim multa dare ſuis, quæ nemo cognoſcat, niſi is, qui
p. 302. accipiat, teſte Joanne in Apocalypſi. Eccleſiæ autorita-
tem circa S. Litteras non majorem eſſe probat quam mulieris
Samaritanæ circa Meſſiam: hanc quidem nuntiaſſe civibus
ſuis, ſe inveniſſe Meſſiam, ſed cives in eum credidiſſe non ob
teſtimonium mulieris, ſed quod re ipſa animadverterent, ipſum
vere eſſe Servatorem mundi. In reliqua parte capitis ſecun-
305 ſqq. di dogmata Spinoſæ ejusque aſſeclarum, quibus divinita-
tem verbi impugnant, fuſe refutantur. Tertium caput con-
345. tinet argumenta varia ex ipſis S. Litteris petita, quibus in-
fallibilitas autorum ſacrorum tam Veteris quam Novi Teſta-
408. menti defenditur. Quamvis enim omnes credentes docti
ſint a Domino, habeantque unctionem & ſciant omnia, uti
Joannes loquitur, tamen ſcientiam illorum multo profun-
diorem fuiſſe & clariorem nullique errori obnoxiam. Qua
occaſione dogmata recentiorum quorundam, imprimis Au-
toris Judiciorum de Hiſtoria Critica Richardi Simonii lin-
gua Gallica editorum, quibus infallibilitas ſcriptorum ſa-
crorum in dubium vocatur, prolixe refutantur. Mul-
ta etiam loca S. Codicis, quæ ſibi mutuo contrariari
videntur, conciliantur. Stylus S. Litterarum capite quarto
362. expenditur. Eſſe eum dicit ſimplicem & non affectatum,
clarum, gravem, nervoſum, aptumque ad commovendos ani-
mos, & reprehendi aut meliorem reddi nullo modo poſſe.
Sub finem capitis de intempeſtiva criſi, qua nonnulli in ſty-
lum librorum ſacrorum utuntur, ita judicat: uti abſurdum
ſit de ſtylo invitationis aut ultimæ voluntatis multum diſcepta-
re, & de eo, quod non eleganter ſatis litteræ ſint conſcriptæ,
conqueri, modo clare & diſtincte nos ad epulas aut ad
hereditatem vocent: ita longe abſurdiſſimum eſſe, de
natura ſtyli, quo S. Litteræ utantur, multum litigare,
cum in iis ad nuptias Agni, ad adeundam hereditatem
regni

regni cœlorum clare ſatis ſimus vocati. Ultimum denique p. 742 ſqq.
caput de canone ſeu conjunctione librorum ſacrorum in
unum corpus diſſerit. Ubi Cl. Autor ex antiquiſſimis ſcriptoribus hiſtoriam ejus rei evolvit, ſententiamque communem, quod Esdras codici Veteris Teſtamenti, Joannes Apoſtolus vero codici Novi Teſtamenti ultimam manum admoverit, defendit, ea vero, quæ a Benedicto Spinoſa, Richardo Simonio & Autore anonymo Judiciorum de hujus Hiſtoria Critica contra ſententiam communem circa canonem Veteris Teſtamenti prolata ſunt, refellit. Statuit, ante 860.
diluvium ſola verba promiſſionis de benedicto ſemine mulieris ſufficientia fuiſſe ad inſtituendos homines ad ſalutem æternam, tractu temporis autem neceſſitatem plura ſciendi creviſſe, atque adeo tempore Prophetarum longe majorem ſcientiam fuiſſe requiſitam, hanc ipſam vero non amplius hodie ſufficere ſub Novo Teſtamento: præterquam enim, quod credendum ſit in Meſſiam, credendum etiam eſſe, Ieſum filium Mariæ eſſe Meſſiam, & qui id non credat, eum damnatum iri & in peccatis ſuis moriturum, quem in finem allegat dicta
Marc. XVI, 16 & Joh. VIII, 21. Libros Apocryphos a Catholi- 872.
cis Romanis nequicquam in canonem referri, prolixe oſten- 904.
ditur. Denique S. Litteras a falſariis non eſſe corruptas, & firmitati fidei noſtræ per multitudinem variarum lectionum nihil decedere, contra recentiores nonnullos probatur.

D. GOTTLOB FRIDERICI SELIGMANNI Exercitationes Academicæ Hiſtorico-Philoſophico-Theologicæ, e muſeo HENRICI PIPPINGII, D.

Dresdæ, apud Godofredum Leſchium, 1711, 8.
Alphab. 3 plag. 15.

AD implenda nonnullorum deſideria de ſelectioribus Eruditorum opuſculis, & diſſertationibus Academicis argumenti amœnioris, Theologici, aut Hiſtorico-Critici ſacratioris, ab interitu vindicandis, lubens hanc ſymbolam

conferre voluit Summe Reverendus Pippingius noſter, quando B. Soceri, Viri ſummi, cujus elogium extat in Actis A. 1708 p. 191, Exercitationes, in Academia Lipſienſi & Roſtochienſi habitas, in unum volumen collegit. Quæ tametſi omnes non unius ejusdemque ſortis & conditionis ſunt, quia nonnullæ earum in juvenili ætate ſcriptæ, reliquæ autem virili debentur ætati, cum Doctorum cathedræ jam admotus eſſet, omnes tamen ita comparatæ ſunt, ut ad poſteritatis memoriam propagari mereantur. Exercitatione I Friderici fortis ſeu admorſi vitam politicis quibusdam annotationibus illuſtrat, ejusdemque natales, educationemque & inſtitutionem, itinera, bella, res ſecundas & adverſas, ac mortem denique docte ornateque deſcribit. In II diſſerit de *Fide*, quam præeunte Cicerone per conſtantiam & veritatem dictorum conventorumque definit, omnibusque hominibus, ne hæreticis quidem exceptis, ſervandam eſſe præcipit. Licet enim hi ſatis pravæ alias ſint conditionis in ſtatu civili, hæc tamen non extendi debere cenſet ad ea, quæ de Jure Naturæ vel Gentium illis competunt, ut eſt fides rerum promiſſarum. Itaque laudat Carolum V, qui anno 1521 in Comitiis Wormacienſibus Luthero pro hæretico habito promiſſam fidem inviolatam ſervavit, iis qui duriora ſuadebant, reſpondens, *fidem rerum promiſſarum, etſi toto mundo exulet, tamen apud Imperatorem conſiſtere oportere*. In III Johannis Georgii, Saxoniæ Electoris & Luſatiæ Recuperatoris, enarrat vitam, ſimili fere ratione, qua Friderici fortis Thuringiæ Landgravii & Marchionis Miſniæ, Luſatiæ Conſervatoris, res geſtas deſcripſerat. In IV Campanam Urinatoriam, ejusdemque phænomena & ſolutiones ſiſtit. In V de iis, qui in pacificationem ſe interponunt; in VI vero de dubiis hominibus agit, in quibus forma hominis & bruti mixta fertur. VII ſequitur Apologia pro B.D. Valentino Alberti ſcripta, qua contra Samuelem Strimeſium tuetur, notitiam ſtatus integri naturalem non eſſe. Cumque magna prudentiæ pars ſit, occaſione quacunque, ubi ſe obtulerit, bene uti poſſe, ac caſus quoque fortuitos ad ſuum ſcire commodum

dum accommodare, hinc Diſſertatione VIII egit de caſu oblatis in ſapientiam verſis vertendisque, anſam diſſerendi ſuppeditante Taciti Druſo. In IX virtuoſæ hominis actiones ex amore, velut ſcaturigine, deducuntur, & moralia in compendio exhibentur. X de hominibus ἐνυδροβίοις, *in undis viventibus*, agit, quorum nonnulla exempla ex unanimi hiſtoricorum fide dignorum conſenſu recenſet, & rationibus phyſicis confirmat. XI vires imaginationis conſiderat, XII contra ea diſputat, quæ ſub initium Philoſophiæ in dubium vocari poſſe credidit Renatus Carteſius. XIII Cunctatorem bonum ſiſtit. In XIV Autor de iis diſſerit, in quibus Philoſophia dormitare, vel hærere videtur. XV ideam ſtudioſi politices compendioſe deſcriptam exhibet. XVI Fallacias politicas & vetus illud dictum exponit: *imperare eſt legitime fallere populum*, quod cum eo convenire cenſet, cujus autoritatem quotidiano uſu ſummi jam olim Principes corroborarint, ſcil. *qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare*, quod ſymbolum fuit Friderici I, unici Imperii vindicis adverſus Italos ab Italico ſcriptore Sigonio dicti. XVII nonnulla Carteſii placita examinat atque refellit. XIIX Philoſophum ſiſtit conciliatorem, in quo requirit animum ab altercandi libidine alienum, & immunem a cœcis affectibus ac præjudiciis, eundemque in ſectis atque autoribus, quos inter pacem tentat, probe verſatum eſſe vult, nec proletariam poſtulat notitiam eorum, ſine quibus haud adiri Philoſophia, haud ſuſcipi certum judicium poteſt. Sequitur in XIX idea ſtudioſi πολυμαθεστέρου, ad altiorem ſapientiam adſpirantis. XX de baroſcopiis diſputat. XXI Libertiniſmum ſentiendi, & credendi, ejusdemque εὑρήματος antiquitatem exponit, idoneaque irruenti malo media opponit. XXII contra Atheos Divini Numinis exiſtentiam probat. XXIII Theologum ἀπορητικὸν h. e. *male dubitantem* ad ſtudium πληροφορίας excitat. XXIV receptam de Sabbatho doctrinam, a non nemine impugnatam, defendit. XXV ſub examen vocat cultum defunctorum, uti viget inter Pontificios, & eum imprimis enarrat, de quo apud & ob Chinenſes controvertitur.

titur. XXVI precum efficaciam deſcribit, tandemque XXVII, auctoritatem librorum ſymbolicorum non repudiandam eſſe, docet.

SELECTA DIÆTETICA;
ſeu
DE RECTA AC CONVENIENTE AD SAnitatem vivendi ratione Tractatus; Autore CONRADO BARTHOLDO BEHRENS, Philoſ. & Med. Doctore, inque Leopoldina Naturæ Curioſorum Societate Eudoxo.

Francofurti, apud Ludolphum Schröder, Bibliop. Hildesheim. 1710, 4.

Conſtat Alphab. 2 plag. 2.

CUm ea ſit corporis humani conditio, ut ſanitas ejusdem ſalva conſiſtere ac vita longa ſperari nequeat, niſi continua reſtauratione tam partium ſolidarum vigor, quam contenta fluida reficiantur, atq; hæc in perenni motu ſuo conſerventur; id ipſum autem ſola diæta mediante fiat; poſt *Selecta Medica*, nuper in Suppl. T. IV Sectione IX commendata, nunc etiam *diætetica* cum Orbe literato non minus, quam cum omnibus, quibus corporis ſui integritas atque ſalus curæ cordique eſt, impræſentiarum communicare conſultum duxit Autor Clariſſimus; quem laborem noſtro imprimis ævo eo magis neceſſarium judicat in Præfatione, quo minus morborum curationes ægrotorum maxime culpa ad votum interdum ſuccedere deprehenduntur. In hoc ſcilicet tractatu, quicquid circa aerem, alimenta, motiones, ſomnum, aliaque ad ſanitatem conſervandam cuicunque ætati, ſexui, vitæ generi obſervatu neceſſarium, ſpeciatim evolvitur. Origines præterea ac occaſiones morborum præcavendi rationes & remedia domeſtica explicantur, variisq; obſervationibus illuſtrantur, ac ſimul de methodico acidularum thermarumq; uſu agitur. In XI enim concluduntur ſectiones, quæcunque hoc de argumento dicenda veniebant; in quarum I de

de aere, in II de cibis, in III de potu, in IV de aſſumtis voluptuariis, in V de motionibus, in VI de affectionibus animi, in VII de ſomno, in VIII de excretis, in IX de acidulis, in X de thermis, in XI de diæta ſpeciali, infantibus, literatis, ſenibus, gravidis, puerperis, ægrotis & convaleſcentibus accommodanda, diſſeritur. Speciminis loco ex ſect. IX & X, quæ de ortu acidularum & thermarum Cl. Autori mens ſit, cum L. B. communicabimus. Cum ſcilicet fontium origo ex Oceano & mari derivetur, cujus preſſione, ſeu propter gravitatem, ſeu propter fluxum refluxumque maris ipſius, exiſtente quædam partes aqueæ poros atque meatus terræ continuo ſubeant, penetrent, quin ſuper ipſos montes eleventur, neceſſe eſt, fontes omnes in prima ſua origine eſſe ſalſos. Aquæ porro hæ ſalſæ ſi in imis terræ viſceribus mineralia ac metalla in via generationis adhuc exiſtentia ſeu embryonata, ac pyritem imprimis jam deferveſcentem alluant, & quaſi arrodant, ex iisdem quoque ſalinum quippiam ſpirituoſum elicient, cum quo intime miſcebuntur, unamque formam conſtituent, & cum impetu e terra proſilient. Quædam tamen aquæ ſuccos minerales liquidos imbibunt, adeoque ad modum tincturarum fiunt; quædam quoque, quæ jam ſale aliquo vitriolico aut aluminoſo imprægnatæ ſunt, ſolida mineralium, quæ alluunt, ſubſtantia imbuuntur, unde & metallorum fragmenta in minutiſſimas partes conciſa in iisdem apparent. Thermarum ſeu fontium calidorum, medica virtute pollentium, originem non ab igne quodam ſubterraneo deducit Autor Clariſſimus; hic enim apud eum in pari cum illo, qui ſub concavo Lunæ vulgo ſtatuitur, veritatis gradu eſt. Duobus vero modis oriri easdem arbitratur, quorum alter quidem his cum acidulis communis eſt, dum aquæ, e mari meatus ſubterraneos ſubeuntes, & loca calcaria marcaſitisve lixivialibus ac ſulphureis referta alluentes, ex contactu earum mutuo incaleſcunt, efferveſcunt, ac cum impetu e terra prorumpunt. Alter modus eſt, cum aquæ minerales duæ ad tactum frigidæ alicubi in ſubterraneis concurrunt, ac ob ſpirituum mine-

ralium, quibus imprægnatæ ſunt, contrarietatem & pugnam incaleſcunt. Utro vero modo aqua in ſubterraneis calorem contrahat, mineralia, quæ attingit, liquefacit, ſibique unit, ſulphur imprimis, de quo omnes thermæ participant, ſive vulgare illud fuerit, ſive bituminoſum, ſive martiale extiterit. Ex commiſtione vero variorum inter ſe corporum ſal alcali ceu flos quidam producitur, quod ipſum ea propter in omnibus thermis abundat, ita ut ex libris ſex aquæ ſalis illius drachmæ duæ cum ſemiſſe educantur.

D. DAVIDIS HAMILTON, EQVITIS AUrati, Regalis Collegii Medicorum Londinenſium Regiæque Societatis Socii, nec non Magnæ Britanniæ Reginæ Medici ordinarii, Tractatus duplex, Prior de Praxeos Regulis, Alter de Febre Miliari.

Londini, impenſis J. Churchill, 1710, 8.
Conſtat plag. $16\frac{1}{2}$.

NOn arridet plerorumque recentiorum Medicorum mos Clariſſimo Autori, quod in excogitandis Theoriis occupati ſint, & modo principia Ariſtotelica, modo Atomica, modo Chymica, modo Mathematica ſuæ ſtructuræ hypotheticæ fundamentum adoptent, ſuadet potius, ut quilibet circa morborum tam in viventibus quam cadaveribus hiſtorias, ſimpliciumque pharmacorum virtutes accurate deſcribendas, præcipuum ſuum collocet negotium. Operæ igitur pretium ſe futurum exiſtimavit, regulas aliquot, ſecundum quas ſuam praxin, eamque non infelicem, inſtituit, cum Medicinæ Alumnis communicare. Agit igitur in *Tractatus de Praxeos Regulis capite I* de Virtutis ad Praxin pertinentis Regulis, quam in eo poſitam eſſe dicit, ut Medicus viſitationibus aſſiduis ſe diligentem præbeat, ſecundum deductas a morbis indicationes præſcribat, & in conſiliis Medicis ſuavitate morum ſe conſpicuum probet. Quemadmodum autem notæ chara-

Digitized by Google

characteriſticæ, quibus Medicus verus ab empiricorum turba vere diſtinguitur, ſunt morbi originalis expiſcatio, & appoſita præſcriptio; ita in *cap. II* pergit ad Artis Regulas & integrum ægri examen. Jubet enim, Medicum ad antecedentia & primam vacillantem valetudinem reſpicere, ut ſymptomata morboſque ſecundarios a primariis accurate diſtinguere diſcat, indeque methodum ſtabilem, ſimplicem, adeoque feliciorem adipiſcatur. Quod præſcribendi Regulas attinet, de quibus *cap. III* agit, ſimplex remedium compoſitis præfert. Hoc enim modo virtutes magis ſpecificas remediorum experimur; e pluribus, quibus ſimilem virtutem Medici vulgo tribuunt, potiora ſeligere diſcimus; ſimplicia ita componere poſſumus, ut variis indicationibus, imo & contrariis, apte reſpondeant; ſcientiam diverſis morbis eadem medicamenta recte applicandi nanciſcimur; & nocivam remediorum vim cernimus. Quæ omnia atque ſingula obſervationibus & exemplis fuſius illuſtrat.

In *Tractatu de Febre Miliari*, Veſiculari potius dicenda, cauſam ejus internam partim in ſanguinis & ſucci nervoſi ſeroſitatem nimiam & acidam quandam acrimoniam, partim in ſucci nervoſi ſeu ſpirituum nimiam commotionem rejicit, unde ſequentes format Indicationes Curatorias: ſcilicet ſanguinis & ſucci nervoſi aciditatem eſſe dulcificandam, ſeroſitatem imminuendam, & ſpiritus animales liberandos atque reſtaurandos. Ad aciditatem edulcorandam & ſeroſitatem imminuendam alcalina, & præcipue teſtacea commendat; veſicatoria vero non minus ſerum evacuare, quam ſpirituum animalium commotionem ſedare, ſomnumque conciliare, ac ſpiritus depreſſos levare perhibet. Hiſce denique Faſciculum Hiſtoriarum XVII febris miliaris adjecit.

JOHANNIS POLENI MISCELLANEA.

Venetiis, apud Aloyſium Pavinum, 1709, 4.

Conſtat plag. 8 Tabb. æn. 9.

In

IN hiſce Cl. *Poleni* Miſcellaneis continetur 1 diſſertatio de barometris & thermometris; 2 deſcriptio machinæ Arithmeticæ ejusque uſus; 3 tractatus de ſectionibus Conicis parallelorum in horologiis ſolaribus.

In diſſertatione de barometris ſimplicibus a *Torricellio* inventis & de luminoſis a celeberrimo *Bernoullio* primum arte conſtructis, itemque de thermometris Mercurio oneratis agit. Baroſcopia ope antliæ pneumaticæ ita implere docet. Fundum vaſculi HL occupet cera mollis MKLN, eique affundatur Mercurius MOPN. Tubi EGB alterum oſculum EF Mercurio immergatur; alterum AB ad antliam cæmento firmetur. Neque vero opus eſt, ut cum Autore trabibus lacunaris antlia inverſa firmiter affigatur; ſed multo commodius eſt artificium, quo (ut in Menſe ſuperiori habetur) Cl. *Wolfius* noſter in examinanda vi aeris ſurſum impellentis uſus. Quodſi embolus extrahatur, argentum vivum usque ad AB aſcendit. Mox itaque digito ad G applicato crus tubi GE deprimatur, ut orificium EF cera obturetur: quo facto per AB cylindrulus ligneus S in RC intrudatur, donec Mercurii ſuperficiem QC contingat, ipſumque oſculum AB vel hermetice ſigilletur, vel cæmento oppleatur. Tandem tubus in GD diſſectus more conſueto argento vivo in vaſculo ſtagnanti immittatur. Alia adhuc ratione ſine antlia barometra replevit. Fieri curavit tubulum, cujus cavitas perfecte cylindrica eſſet ſecundum totam longitudinem EF, ſed in conum EABCD terminatum. Embolum ED, circa cujus extremitatem *a* tantum lini circumvolverat, ut cavitatem tubi exacte repleret, filo ferreo *ab* caute cum retraheret; Mercurius eum leniter proſecutus totum tubulum EG adimplevit, quem in ED reſectum hermetice ſigillavit. Barometro in obſcuro conclavi agitato, lumen nullum emicuit, niſi cum bulla quædam aeris forte fortuna irreperet. Eam tamen lucendi proprietatem non diu retinuit: ſecunda enim & tertia nocte nova bulla amiſſa, lumen debilius; quarta nullum prorſus emittebat. Quamobrem majore cura Mercurium abluit, quo facto, baroſcopium vix tactum

TAB. II. Fig. 1.

Fig. 2.

Digitized by Google

tactum emicuit, eodem vigore per integrum menſem perſeverans, at poſtea tamen languidius factum, id quod omnibus barometris luminoſis accidere arbitratur. Thermometrum Mercuriale hac ratione conſtruxit: Siphonem BDEX ad libellam usque NS Mercurio implevit H, extremitate B ad antliam firmata, aerem intra crus amplum RX compreſſit. Hinc aquæ ebullienti tubum cum vaſculo immiſit, exemplo *Halleji* & (qui ſecutus ipſum fuerat) *Amontonii*, ut, Mercurio in tubo BD aſcendente, gradum fixum caloris haberet, unde diviſionis initium ſumeret per calculum Analyſeos exactum abſolvendæ. Ad aerem comprimendum loco antliæ veſica interdum ſuilla uſus eſt. Aliud præterea thermoſcopium conſtruxit, aerem in RX ope antliæ rarefaciens & oſculum B hermetice ſigillans. TAB. II. Fig. 3.

Ad machinam Arithmeticam comminiſcendam excitatus fuit fama, quam de *Paſcaliana* & *Leibnitiana* perceperat. Quamvis autem ſtructuram admodum ingenioſam dederit, *Leibnitiana* tamen magis compoſita deprehenditur, & minus perfecta cenſenda eſt: quod vel ex iis colligi poteſt, quæ de illa Menſe ſuperiore diximus. Simpliciora quoque ſunt inſtrumenta, quorum unum pro additione & ſubtractione, alterum pro multiplicatione ac diviſione invenit *Samuel Morlandus* & A. 1666 *Carolo II* Regi Angliæ obtulit, poſtea utrumque in peculiari libello Londini 1673 in 12 ſermone Anglico edito deſcripſit. Structura autem *Poleniana* machinæ in compendio proponi nequit.

In tractatu denique de ſectionibus Conicis parallelorum in ſcioteriis docet, quomodo in planis horologiorum ſpecies, vertex, axis & parameter ſectionum conicarum determinetur, quæ itineribus Solis determinandis inſerviunt.

NOVUM LAMPADIS GENUS INVENtum a CHRISTIANO WOLFIO, *in Acad. Fridericiana Mathematum Profeſſore Regio.*

DEſiderio amici nuperrime ſatisfacturus cum de commoda lampadis ſtructura cogitarem; iis virtutibus inſtructam inveni, quæ id genus decent. Eandem enim quantitatem olei ellychnio conſtanter affundit, nec unquam a largiori pabulo extinctio metuenda, multo minus verendum, ne receptaculum ellychnii egrediatur, maximo licet calore urgente. Communis igitur utilitatis gratia deſcriptionem ejus communicandam eſſe duxi.

TAB. II. Fig. 4. Lampadis ſtructura Fig. 4 clare ac diſtincte repræſentatur. Scilicet ADBC eſt vaſculum cylindricum, cui oleum infunditur; FED vero aliud minus, formam parallelepipedi habens & roſtro FH inſtructum, pro recipiendo ellychnio. Illud diaphragmate KL dividitur, fundo DB multo propiore, quam fornici AC. Tubulus PO in P & O utrinque apertus interiori vaſculi AB parieti adhæret. Ejus oſculum ſuperius P fornicem AC propemodum attingit; inferius vero O ſuperficiem olei ad libellam HI conſtituti lambit. Ad eandem porrigitur tubulus alius MN, utrinque ſimiliter apertus & diaphragmati KL afferruminatus. Oſcula igitur inferiora tubulorum PO & MN in eodem plano exiſtunt, quo ſcilicet libella pabuli ſufficientis definitur. Sed tubuli QR oſculum ſuperius Q ultra illud planum tantillo eminet. Firmiter autem infigitur tubulus QR matrici cochleæ T fundo DB afferruminatæ. In G eſt foramiculum perquam exiguum, quod aeri in cavitatem KDBL ingreſſum concedit & vaſculum ADBC prope fundum DB in cavitatem receptaculi FED hiat, ut oleum ad ellychnium defluere poſſit. Denique intra pedamentum VTX afferruminatur fundus YZ; fornici autem AC cochlea S, ut lampas (ſi quando opus fuerit) a ſordibus purgari queat.

Hæc de conſtructione tenenda: de uſu notanda ſunt ſequentia. Lampas a pedamento avulſa invertitur & digito ad foraminulum G applicato oleum per tubulum QR altero MN paulo ampliorem infunditur: inclinatur vero verſus BC, ut oleum cavitatem GB ingreſſum tanto promptius per tubulum NM in proprium receptaculum AL delabatur: quo repleto,

ope

TAB. II. ad A. 1711 M. Febr. pag. 80.





Fig. 5.



Digitized by Google

Digitized by Google

ope cochleæ T pedamentum VT ad eam rurſum firmatur. Quamdiu oleum ad libellam HI conſiſtit, ne guttula quidem una per MN effluit. Inſenſibili autem ejus quantitate abſumta, aer per tracheam OP ingreditur & aer per MN deſtillat: ut adeo pabulum eandem libellam HI pertinaciter tueatur. Quodſi contingat, calore aeris ambientis interiorem in cavitate AL rarefieri; oleum per MN expulſum ſtatim per tubulum QR in cavitatem YTZ delabitur, nec libellam pabuli ullatenus turbat. Si loco olei aquam affundas & ſiphonis crus minus receptaculo ellychnii FD immittas; eam quoque libellam HI tueri animadvertas, quamdiu AL non prorſus vacua fuerit. Nec libellam mutari addiſces, ſi eidem receptaculo FD, lento quidem, ſed tamen continuo fluxu, aquam affundas. Hoc experimento utetur, qui experiri voluerit, utrum lampas accurate fuerit conſtructa, nec ne.

ANATOME QUADRATURÆ CIRCULI DN. LUDOLPHI, Profeſſoris Erfordienſis, inſtituta & peracta lanceolis Geometricis Auſtriæ.

1. DAt & ſupponit eximius Dn. Profeſſor ſequentia: $CA = AD = EF$, $CF = CG$, $EH = HG\ \tfrac{1}{2} EG$, $CI = IK$, $EL = BC$, $LM = KM = \tfrac{1}{2} LK = LN$, $NK = BR = RS$. 2. Hinc infert Dn. Autor, rectam BS eſſe latus Quadrati æqualis areæ circuli, cujus quadrans *BCA*. TAB. II. Fig. 5.

Hypotheſes. 1. Cum *BCA* ab Autore dicatur quadrans circuli, erunt ex præfatis hæ 5 rectæ æquales, nimirum $EL = BC = CA = AD = EF$. 2. *FE* ſupponitur normalis ad *BK* & *IH* normalis ad *EG*.

Anatomia. His datis & præſuppoſitis fiat *BCO* diameter circuli, cujus quadrans eſt *BCA*, eritque $BC = CO$. Ducantur *OS*, *CD*, *BD*. Erit radius $CD = BC$ & *BD* latus dodecagoni circulo inſcripti. Præterea duo triangula *ECG* & *EHI* propter angulos rectos ad *C*, *H*, & communem *E* ſunt æquiangula. Igitur $CE : EG = HE : EI$. Eodem modo duo

 trian-

Digitized by Google

triangula ex conſtructione iſoſcelia, *BRS* & *BSO* habentia communem angulum ad *B* ſunt æquiangula, ideoque erit $OB : BS = BS : BR$, proinde $(BS)^2 = OB.\ BR$. Atqui Cl. Profeſſor vult quoque idem quadratum eſſe æquale circulo, cujus quadrans eſt *BCA*. Ergo eidem circulo æquale concedat oportet rectangulum ex *OB* in *BR*. Eidem autem circulo per *prop. 1 Archim. de dimenſ. Circ.* æquatur rectangulum ex diametro in quadrantem peripheriæ, hoc eſt, ex *OB* in arcum *BDA*. Ergo & rectam *BR* æqualem arcui *BDA* concedat neceſſe eſt. Quod autem nequaquam ita ſe habere, ſed rectam *BR* eſſe multo minorem arcu *BDA*, & conſequenter quadratum *BS* minus toto circulo, patefaciet ſequens

Demonſtratio. Biſecto arcu *DA* in *P* & ductis *DP*, *PA*, erunt tres rectæ *BD*, *DP*, *PA* tria latera Decagoni æqualia. Jam (ad vitandas fractiones) ſtatuatur radius $BC = 600 = AC = CO = EL = EF = AD = CD$, erit $DE = 300$. Ex $(CD)^2 = 360000$ ſubtrahatur $(DE)^2 = 90000$, reſtat $(EC)^2 = 270000$: cui ſi addatur $(EF)^2 = 630000$, prodit $(CF)^2 = (CG)^2 = 630000$. Huic ſi porro addatur $(EC)^2 = 270000$, prodit $(EG)^2 = 900000$, cujus pars quarta ſeu $(EH)^2 = 225000$. Jam $(EC)^2 : (EG)^2 = (EH)^2 : (EI)^2$, hoc eſt, $270000 : 900000 = 225000 : 750000$. Ergo $EI = \sqrt{750000} = 500\sqrt{3}$ & $EC = \sqrt{270000} = 300\sqrt{3}$, conſequenter $BC - EC = BE = CL = 600 - 300\sqrt{3}$, $EI - EC = CI = IK = 500\sqrt{3} - 300\sqrt{3} = 200\sqrt{3}$. Ergo $CK - CL = LK = 700\sqrt{3} - 600$ & $LK + \frac{1}{2} LK$ $(= LM = KM = LN) = NK = 1050\sqrt{3} - 900 = BR = RS$, $RB - BC = CR = 1050\sqrt{3} - 1500$. Eſt itaque $(RS)^2 = 4117500 - 1890000\sqrt{3}$ & $(CR)^2 = 5557500 - 3150000\sqrt{3}$, adeoque $(RS)^2 - (CR)^2 = (CS)^2 = -1440000 + 1260000\sqrt{3}$ & $(CS)^2 + (BC)^2 = (BS)^2 = -1080000 + 1260000\sqrt{3}$. Jam $(DB)^2 : (BS)^2 = (BS)^2 (BR)^2$, hoc eſt, $1440000 : 1260000\sqrt{3} - 1080000 = 1260000\sqrt{3} - 1080000 : 4117500 - 1890000\sqrt{3}$. Eſt itaque $(BR)^2 = 4117500 - 1890000\sqrt{3}$ & $BR = 1050\sqrt{3} - 900$ jam ſupra inventa. Reſumantur nunc anteriora $BC = 600$, $EC = 300\sqrt{3}$, $BC - EC = BE = 600 - 300\sqrt{3}$. Si $(BE)^2 = 630000 - 360000\sqrt{3}$ addatur $(DE)^2$

$= 90000$,

$= 90000$, prodit $(BD)^2 = 720000 - 360000\sqrt{3}$, quare $BD = \sqrt{540000} - \sqrt{180000} = 300\sqrt{6} - 300\sqrt{2}$. Hujus triplum eſt $BD + DP + PA = 900\sqrt{6} - 900\sqrt{2}$. Supra autem erat $BR = 1050\sqrt{3} - 900$. Utraque revocata ad numeros rationales, fiet quantitas $BD + DP + PA$ paulo major quam 931, BR vero paulo minor quam 919. Ergo abſolute tres ſubtenſæ $BD + DP + PA$ majores ſunt quam recta BR. Atqui tres arcus $BD + DP + PA$ (hoc eſt arcus quadrantis BA) majores ſunt tribus ſubtenſis rectis $BD + DP + PA$. Ergo a fortiori arcus quadrantis multo major eſt, quam recta BR, hoc eſt, recta BR multo minor eſt, quam arcus quadrantis BDA, ideoque rectangulum ex OB in BR, hoc eſt $(BS)^2$, minus rectangulo ex OB in arcum BDA, ſeu toto circulo, cujus diameter eſt OB. *Q. e. d.*

FR. ALEXANDRI BURGOS, SICULI MESſanenſis, de uſu & neceſſitate eloquentiæ in rebus ſacris tractandis diſſertatio.

Romæ, excudebat Franciſcus Gonzaga, 1710, 4.

Pl. 9.

Literas Gratiasque Latii veteris venuſtiores non ſub Martyrum cryptis ſanctorumque cineribus prorſus ſepultas jacere, ſed easdem apud gentes Heſperias non in uno hodie alterove ingenio novo velut flore amictas reſurgere, egregio ſatis exemplo comprobare poterit præſens de uſu & neceſſitate eloquentiæ in rebus ſacris tractandis Diſſertatio, quam eloquentiſſimus Frater Siculus, Alexander Burgos, Ordinis Minorum Conventualium Theologus, & Eloquentiæ Profeſſor publicus, in Archigymnaſio Sapientiæ Romanæ habuit, & nunc ſub Clementis XI Pont. Max. auſpiciis typis vulgavit. Sive enim dictionis caſtigatiſſimæ puritatem & magnificentiam; ſive periodorum nullo velut artificio compoſitarum ſtructuram & juncturam aptiſſimam; ſive denique argumentorum momenta & robur jucundiſſima quadam & perſpicaciſſima dicendi ratione inſinuatum reſpicias: Tullii quandam eloquentiam, Lactantii prudentiam & Auguſtini gravita-

gravitatem in Oratore noſtro copulatam non immerito dixeris. Huc accedit, quod nævos Oratorum modernorum in Eccleſia Romana graviter & ſalſe quandoque notet; & dum de uſu ac neceſſitate Eloquentiæ diſſerit, ſimul criteria veræ & Chriſtianæ eloquentiæ, ac ejusdem parandæ media & adminicula pandat. De ſingulis autem ita dicit, ut juxta præceptum Tullii & Auguſtini, & doceat, & delectet, & flectat, & vincat. Quæ omnia cum ipſa diſſertationis hujus perdoctæ lectio luculentius ſit manifeſtatura: nunc de ordine rerum pertractatarum & momentis potioribus ſaltim quædam dicemus. Igitur dum Auctor poſt cauſam dicendi in exordio expoſitam primo loco ad uſum & neceſſitatem eloquentiæ in rebus ſacris tractandis demonſtrandam ſe convertit: hanc vel ex eo ſatis manifeſtam eſſe inculcat, quod nemo rerum divinarum ſolers, copioſus, dilucidus, omnique ex parte perfectus diſputator ſeu Orator ſacer dici poſſit absque literarum humaniorum & eloquentiæ adminiculo. Hoc ut ſuadeat, argumento utitur a naturæ noſtræ præſtantia deſumto, utpote qua vel ideo ratione & oratione ceteris animantibus omnibus præſtamus, ut quæ percipimus, recta ratione percipiamus, & quæ ſenſu ac ratione aſſecuti ſumus, recta iterum oratione cum aliis communicemus. Quod ut fiat, neceſſe eſt, ut genuinum germanumque verborum ſenſum teneamus, ut vim indolemque integrarum locutionum aſſequamur, hincque & diſtincte, & diſtribute, & eleganter, & ornate dicamus; ut porro quæ inter ſe nexa & jugata ſunt, recte conjungamus; & ut denique illud ſequamur æquabile dicendi genus, quod & complectatur verbis, quod vult, & plane dicat, quod omnes intelligant. Sed hæc omnia humaniorum literarum & eloquentiæ maxime cognitio plenior edocet, quæ id efficit, ne, quod Tullius ait, dialectici infantiſſimi jejunique ſaltim diſputatores dici mereamur, in quos Autor noſter paſſim invehitur. Deinde idem hoc argumentum maxime urget, quod absque litterarum humaniorum notitiæ & eloquentiæ apparatu ſtrophæ Novatorum, qui, ut ille ait, perduellionis ſigna adverſus Eccleſiæ Roma-

Digitized by Google

næ arcem audacius extuliſſent, elidi non poſſent, utpote qui bonis artibus pene omnes imbuti eſſent, ac univerſæ propemodum eruditionis profanæ gloria florerent, ſed humaniorum literarum artificio vaferrime abuterentur & omnia fortiter enervarent. Illuſtrat idem Patrum doctiſſimorum, Hieronymi, Gregorii Nazianzeni, Baſiliique exemplis, quorum ille Romæ adoleſcens in liberalibus diſciplinis a Donato aliisque fuit eruditus; poſteriorum autem uterque Athenis ſecularibus litteris inſtructus ad explicandos ſacræ ſcripturæ libros acceſſit. Poſtmodum Patrum quoque ſanctorum, ſive Græcorum ſive Latinorum, ſcripta absque literarum humaniorum apparatu non intelligi poſſe, Clementis Alexandrini, Origenis, Athanaſii, Tertulliani, Arnobii, Cypriani ſcriptis evincit: quod hæc vel ſenſus aliquando haberent plane involutos, vel quod Græcis Idiotiſmis ſcaterent. Illuſtrat idem Johannis Dallæi libro de recto uſu Patrum erudite conſcripto; cujus tamen errores ex ipſis reformatis Georgius Bullus, Anglicanæ Eccleſiæ Presbyter, ſatis ſua opinione confutaſſet. Notat eadem occaſione gravi cenſura anonymum quendam Eccleſiæ ſuæ Theologum, qui e ſcholarum anguſtiis nunquam egreſſus, audito nuper *diſciplinæ arcani* vocabulo tanquam viſa Gorgone perterritus hæſiſſet & obriguiſſet; ut & alterum quendam, qui facta ab erudito viro de *tribus* famoſis *capitulis* mentione, & quid malum, interrogaſſet, trium Capitulorum nomen ſignificat? Dehinc ad unam alteramve objectionem evertendam & retundendam excurrit. Una eorum eſt, qui Theologiam eo modo, quo ipſam Autor tractandam ſuadet, ad minutias Grammaticorum & ad Rhetorum compedes redigi oggannirent, ut veluti non niſi comptula & verborum pigmentis illita in medium prodiret. Cui objectioni & cavillationi ita occurrit, ut abuſum ab uſu vero ſecernendo, eloquentiam, quam in Theologo requirit, & maſculam & robuſtam, non calamiſtris inuſtam, non effœminatam eſſe oportere dicat, ſed talem, quæ rerum ſublimiſſimarum naturam & majeſtatem ſcite conſequatur ac exprimat. Hoc autem tum fieri, ſi,

quod

quod ratio, eloquentiæ magiſtra, præciperet, idiomatum gloſſemata & peculiares auctorum ſacrorum phraſes bene internoſcat Orator ſacer, ne ab adverſariis, litterarum harum callentiſſimis, irrideatur. Interea tamen ſe ab eorum ſententia quam longiſſime abeſſe palam teſtatur, qui Theologorum ſermonem ad locutionis ubique Ciceronianæ trutinam appendendam cenſerent, & in ſacrarum literarum translatione voces Eccleſiæ priſcæ & idiotiſmos linguæ ſanctæ a verſionibus ſuis tanquam monſtra fœdiſſima eliminarent. Unde non absque ſtomacho meminit Theologi cujuspiam, qui unionis hypoſtaticæ vocem faſtidiens, Patrum utut auctoritate comprobatam, eam tamen ſemper *divinam diphthongum* appellaſſet. Nec æquo animo fert, quod aliqui lotionem pro baptismo, genium pro angelo, confidentiam pro fide, rempublicam pro eccleſia ineptiſſime ſubſtituant, & illud S. Johannis dictum: Verbum caro factum eſt, in haſce elegantioris formæ voces commutent: ſermo caro factus eſt, vel ſermo fuit corporatus. Altera quædam objectio eorum eſt, qui Theologiam Scholaſticam per doctrinam ab Autore traditam eludi dixerunt. De qua tamen Autor ita ſentit, ut media via incedens eam non ad rerum inutilium claſſem amandandam, ſed palmites ſaltim ejus inaniter luxuriantes præſcindendas, h. e. abuſus in eam temere invectos ſobrie corrigendos doceat; & ipſe vere Angelici Doctoris Thomæ, item Bonaventuræ lectionem ſedulam præ ceteris commendet. Hoc facto eorum denique objectionem excutit, qui per copioſum & demonſtrationibus amplis innixum dicendi genus, quod Autor adamat, acutiſſimam per ſyllogiſmos & præciſiones metaphyſicas diſputandi rationem everti, & oratores quidem eruditos, ſed non item acutos evadere dixerant. Ad quam vero objectionem gemina Autor ratione reſpondet. Et primo quidem, tantum abeſſe, ut Eloquentia ſanior & virilis ratiocinationes Theologicas opprimat, ut potius eas coacervet & ornet, ac in bonum ordinem redigat; hincque argutiolis ſophiſticis & eliquationibus Metaphyſicis non indigeat, utpote quibus res divinæ velut chymicorum igne ſegregarentur

garentur ſaltim in aereas vanasque particulas, & in novas formas transmutarentur. Deinde altioris multo ingenii laborem eſſe contendit, ſacra Scripturæ arcana profundius perſcrutari, varias ſacri textus cum lectiones tum verſiones conſulere, interpretationes hæreticorum falſas linguarum peritia expungere, ſanctorum Patrum ſcripta non alienis oculis legere, & quæ laxata in iis ſunt, ac depravata, ope critices integritati ſuæ reſtituere, quam quidem ſpiritum quendam dialecticum ex æquivocorum ſuccis exprimere. Jam litterarum humaniorum & eloquentiæ cum his copulatæ neceſſitate vindicata, ſecundo loco ad adminicula eloquentiæ magis virilis parandæ ejusque criteria enumeranda properat. Ac inter adminicula quidem, ex ſerie orationis, primum locum obtinent limatiſſima ſanctorum Patrum ſcripta; quorum lectionem & imitationem rite inſtituendam omnium optime edocuiſſe cenſet Mabillonium in ſuo de monaſticis ſtudiis libro, nec non popularem quendam Autoris noſtri eruditione & vitæ ſanctimonia clariſſimum, qui haut ita pridem tomum primum Inſtitutionum Theologicarum ſanctorum Patrum edidiſſet. Alterum inter adminicula locum Autor tribuit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cognitioni, ſed ita tamen ut ſimul oſtendat, quam multa ad intelligendam ſcribendamve Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem humaniorum litterarum atque virilis eloquentiæ ratio adjumenta ſuppeditet. Ac cum hæc ipſa Hiſtoria Eccleſiaſtica absque Geographiæ & Chronologiæ conſtitutione exactiſſima manca mutilave exiſtat: harum etiam partium cognitionem in Eloquentiæ & Theologiæ ſolidioris ſtudioſo requirit; ne v. g. Græcam Meſſenen cum Meſſana, Sicularum urbium nobiliſſimam, Megaram Sicilienſem cum Græca ejusdem nominis, Forum Julii Galliæ Narbonenſis cum ejusdem nominis Galliæ Transpadanæ colonia commutet, aut Aimoinum Sangermanenſem, Aimoinum Floriacenſem, & hujus interpolatorem anonymum, cum nupero magnorum nominum obtrectatore in unum conflet, aut etiam quod nuper itidem a viris doctrinæ temporum imperitis factum, D. Thomam

locum Concilii Florentini, quod tamen ille ſeculo ſesqui altero anteceſſiſſet, de proceſſione Spiritus Sancti egregie interpretatum; vel quoque magnum Platonem Menandri verſus ſcriptis ſuis, ſuppreſſo nomine autoris, inſeruiſſe comminiſceretur, cum tamen Plato longo tempore ante Menandrum floruerit. Porro quoque antiquitatis ſtudium & Critices exercitationem magnam tum Eloquentiæ tum Theologiæ lucem commodare docet, utpote quæ ars mirabilis veluti ſepes eſſet bonorum autorum, atque totius cultioris literaturæ, & id efficeret, ne Sanctorum geſta & Martyrum acta tot figmentis incruſtarentur, neq; Patrum veterum ſcriptis genuinis ſuppoſititia ac fictitia aſſuerentur; prout res hæc a ſanctiſſimis doctiſſimisque viris poſt Gelaſium, Rom. Eccleſiæ Pontificem, dudum fuerit animadverſa. Hisque obſervatis, quo dicendi genere, non barbaro & incondito, ſed puro & ſimplici, Sanctorum virorum res præclare geſtæ ad Bernardi Baroniique cumprimis exemplum ſint adornandæ, docet. Dehinc præcipuum etiam locum quendam facit inter adjumenta Eloquentiæ ſacræ limpidiſſimis ſacrarum litterarum fontibus, quibus omnem orationem ita irrigandam cordatior inculcat, ut ea tota, nullis artis humanæ adminiculis alligata, ſed ſermonem Propheticum & Apoſtolicum, ad exemplum orationum a Clemente XI Pont. Max. nuper habitarum, ubivis ſpirans, ducat quo velit, & unde velit, deducat. Inde legendum aſſidue, ſeduloque volutandum ſacrarum Scripturarum codicem præcipit; tum ſanctorum Patrum libros legendos, qui ſenſus divinorum eloquiorum eleganter nitideque explanarent; poſt eos quoque legendos, qui præclarius ſive inter ſacros ſive inter profanos Autores eloquentiæ laude floruerunt; & his omnibus ſimul addendam ſubactam præceptorum Eloquentiæ intelligentiam. His deductis virtutes veræ & vitia ac criteria falſæ & fucatæ eloquentiæ in compendio enumerat. Tandemque ultimo loco Autores quosdam ſelectiores collaudat, quorum vel præcepta vel exempla ſequi jubet. Refert huc Demetrii Phalerei, Hermogenis, Quintiliani & Tullii præſertim ac

Ariſto-

Ariſtotelis de arte rhetorica inſtitutiones non ſemel volutandas. Tum Longini de ſublimi dicendi genere tractatum, quem Jacobus Tollius variis doctisque notis ornatum nitidiſſime edidit, pene memoriter addiſcendum præcipit. Nec operam ſuam male locaturos eſſe monet, qui temporis aliquid inſumere vellent in legendis iis, quæ tum Ludovicus Granatenſis, eloquentiæ fama celeberrimus, tum Valerius Cardinalis, Veronenſis Epiſcopus, de Rhetorica, ſpeciatim Eccleſiaſtica, ſcripſerint. Poſtmodum præ manibus ſemper haberi vult aureum Sancti Patris, Aurelii Auguſtini, librum de doctrina Chriſtiana, quem Anonymus quidam doctiſſimus, editis hac de controverſia animadverſionibus nuper ſolidiſſimis, contra alterum quendam Anonymum vindicaſſet, qui de Auguſtino alias bene meritus, in præfatione tamen Gallicæ interpretationi ſermonum ſancti Doctoris affixa, omnem omnino Eloquentiæ artem Auguſtini auctoritate a ſacris oratoribus arcendam dixit. Ac cum Oratoria & ſacra & civilis iisdem præceptis inſtructa conſurgere ſoleat, non minori diligentia tum Græcorum, tum Latinorum oratores præcipuos legendos præcipit. Nempe ſi quis ſtrictam & conciſam dicendi rationem natura amaret, ei ex Græcis Oratoribus maximis Demoſthenis præruptas & conciſas orationes; at cui fuſum & circumductum dicendi genus pro ingenii ſui indole arrideret, ei Tullii, Demoſthenis inter Latinos æmulatoris, magnifice copioſas & undique triumphantes orationes legendas ſuadet. Agmen denique claudit Paulus Segnerus, Societatis Jeſu Presbyter, cujus dictionem puram & venuſtam, ſtilumque prorſus maſculum & ſui ſemper ſimilem ita laudat & commendat, ut eum Demoſtheneum ac Tullianum dicendi genus mira prudentia & Chriſtiana pietate temperaſſe, ac imo cum Hieronymo Mautino Narnienſi & altero quodam Fratre Franciſcano a Recineto dicto priſcam & maſculam Patrum tum Græcorum tum Latinorum eloquentiam in eccleſiam revocaſſe dicat.

Digitized by Google

SELECTA POETICA, QVIBVS CONTInentur GE. SABINI Præcepta, ULRICI ab HUTTEN Ars Verſificatoria, CL. ESPENCÆI Elegiæ ſelectiores & SAMUELIS RACHELII Claſſes Imperatorum metricæ: collegit, ſuaque adjecit Carmina JOHANNES HENRICUS ACKER.

Rudolſtadii, ſumtu Jo. Mart. Gollneri, 1711, 8.
Plag. 9.

SElectis his Poeticis continentur non unius docti Viri labores. In fronte ſtant Georgii Sabini præcepta de carminibus componendis, quæ ob brevitatem & perſpicuitatem mirifice æſtimantur. Quicquid ad verborum delectum & ſtructuram, epitheta, concinnitatem pedum, membrorum, & numerorum, figuras, vitia & virtutes verſus, paucis, ad totam elocutionem ſpectat, accurate tradidit optimus Vir, qui ab ineunte ætate tantopere amavit poeſin, ut ad lectionem boni & elegantis carminis lacrymas profunderet, teſte Camerario in vita Melanchtonis §. 61. Quia vero doctrinam inventionis & diſpoſitionis non attigit, Cl. Ackerus obſervationes adjecit, quibus hæ doctrinæ dilucide explicantur. Sequuntur Ulrici ab Hutten Ars verſificatoria ejusque Nemo. Quemadmodum egregius fuit in omni genere doctrinæ Vlricus ab Hutten, quod Obſervationes Halenſes docere poſſunt, ita & egregia multa hic comparent, profutura juventuti, ubi labore & conſtantia fuerint lecta. Imprimis placebit Nemo ludicra dictione confectus, de qua peculiari libello egit Franc. Vavaſſor. His junctæ Elegiæ ſanctæ, rectæ, & elegantes Claudii Eſpencæi, cujus genus morum nobilitate & ſummis in rem publicam meritis illuſtratum deſcripſit Rollius in Bibliotheca Theologorum nobilium. Samuelis Rachelii claſſes Imperatorum metricæ eum in finem additæ, quia plurimum valent ad ſeriem Imperatorum non modo animo complectendam, ſed & tenacius retinendam. Ad calcem extant carmina e doctiſſimi Ackeri ingenio profecta, honorique patronorum & fautorum conſecrata.

FRAN-

FRANCISCI PETRARCHÆ VITA AC TEſtamentum: emendavit multis locis, notis ac ſingularibus quibusdam auxit JO. HENRICUS ACKER.

Rudolſtadii, ſumtu Io. Mart. Gollneri, 1711, 8.

Plag. 7.

FRanciſci Petrarchæ vitam ſcripſerunt multi, ſed non omnium ſcriptorum idem eſt finis, forma, & ratio. Tomaſini Petrarcha redivivus, qui integram vitam iconibus ære celatis exhibet, Lauræq; brevem hiſtoriam addit, nec non Poetæ vitam conſignatam a Paulo Vergerio, Janozzo Manetto, Leonardo Aretino, & Ludovico Beccatello, e manuſcriptis producit, rarior eſt, amplior etiam, quam ut commode ab adoleſcentibus, qui brevitatem ſectantur, perluſtrari poſſit, & ſumtuoſior, quam multorum res attenuatæ ferunt, quod & de Jo. Papirio Maſſono dicendum. Schroderen, aliorumque ſcripturæ & breviores, & paratu faciliores, uſu vero & præſtantia omnibus cedunt. Quare melius ſibi conſulunt, qui Petrarchæ epiſtolam de origine, vita, converſatione, & ſtudiorum ſuorum ſucceſſu, una cum Squarzafichi, Profeſſoris Veneti, vita Petrarchæ, in manus ſumunt, & ex iis ſalutaria quæque depromunt. Huic fini modo laudatus Ackerus illa conjuncte publicavit, addito ipſius Petrarchæ teſtamento, quod nec in Tomaſino, nec in alio Petrarchi vitæ Scriptore comparet, Paulus Manutius vero & Jo. Georgius Grævius ſedulo conſervarunt. Noſter horrida emendavit, obſcuris lucem affudit, notisque ac ſingularibus quibusdam auxit, indicemque adjecit. Non opus eſt, ut excerpamus notatu digniora, ea enim ratione adornatus libellus, ut in oculos incurrant. Commendamus juventuti, ut inde diſcat ſapere, hoc eſt animum purgare a vitiis, quibus ab initio Petrarcha fuit deditus.

THEMISTOCLIS EPISTOLÆ, GRÆCE ET Latine, interprete JO. MATTHÆO CARYOPHILO,

PHILO, Archi-Epiſcopo Iconienſi. Recenſuit, notis & indicibus illuſtravit, & in Præfatione vindicavit CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS.

Lipſiæ, impenſis viduæ Frommanni, 1710, 8.

Pl. 10 ½.

§. 1. Præfat. EDidit has Epiſtolas primus omnium Matthæus Caryo-
philus Romæ 1626, 4. ex codice Vaticano, quas poſtmodum
cum ejusdem Caryophili verſione recudi fecit Elias Ehingerus
2. Francofurti 1629, 8. Hæ a Viris eruditis, Erythræo, Meurſio,
Lydiato, Reineſio & Boſio, pro genuinis habitæ, & in ſcriptis
ſuis laudatæ, ab aliis, Dodvvello, Kuſtero, J. A. Fabricio, C. S.
Schurzfleiſchio, & Bentleio, viris itidem doctisſimis, rejectæ &
pro ſpuriis habitæ ſunt. Cl. Bentlejum præcipue, notisſimum
Angliæ ornamentum, qui peculiari Diſſertatione ſuum de his
Epiſtolis judicium edidit, modeſte tamen, refutat Cl. noſter
3. Editor. Et (1) quidem Suidæ & Plutarchi de his Epiſtolis judicio
nititur, eorumque judicia noſtris applicat: nec ex aliorum
autorum de iis ſilentio judicari poſſe dicit, cum & Phædrus,
Curtius, Maximus Tyrius, Manetho, & alii ante inventam ty-
pographiam non ab aliis memorati ſint, & tamen non pro
4. ſpuriis habeantur. (2) Diſſenſum hiſtoricorum, quem obje-
cerat Bentlejus, non obſtare Noſter dicit, quando, ut mirabi-
lia ſunt librorum fata, omnes hiſtoricos hæ epiſtolæ latere po-
5. tuerunt. (3) Cur non epiſtolas a Themiſtocle ante exilium
ſcriptas habeamus, reſpondetur, quia illæ non conſervatæ
ſunt, hæ autem poſt exilium ſcriptæ ad noſtra usque tempora
6. pervenerunt. (4) Neque ſtilum ſophiſticum hic noſter Edi-
7. tor agnoſcit a Bentlejo obſervatum, (5) neque res ſcriptione
8. indignas; quæ omnia prolixius excuſantur. Ex chronologia
probare voluerat Bentlejus, Gelonem in his Epiſtolis memo-
9. ratum, multo ante exilium Themiſtoclis mortuum eſſe, ſed,
cum alias Chronologia iſtorum temporum ſit obſcurisſima,
demonſtratur tamen, Gelonis mortem cum exilio Themiſto-
10. clis coincidiſſe. (7) Eadem quoque de Pauſaniæ morte, quæ
Bentlejus objecerat, aſſeruntur ex Dodvvello. Hæc de Bent-
11. lejo. Schurzfleiſchius etiam & Fabricius objecerant, Epiſt. 10
men-

mentionem fieri Bojorum, quæ tamen gentes in Græca hiſtoria non occurrunt. Reſpondetur, laciniam iſtam neſcio quo incommodo editioni Ehingerianæ ſub finem hujus Epiſtolæ eſſe adſutam, in editione autem Romana & codice Vaticano non legi. Ehingerum autem nullo in ſua editione adornanda codice uſum eſſe, quippe quæ pleraque Romanæ editionis ſphalmata exprimat. Ceterum Noſter in hac editione textum
ex ingenio reſtituit, ubi opus erat, aliquando marginales Caryo- §. 13.
phili lectiones in textum recepit, verſionem ejus in quibusdam locis emendavit, ordinem Epiſtolarum Ehingerianum retinuit, addita tamen tabula, ut etiam Romanæ editionis numerus inveniri poſſit, textum in paragraphos diviſit, notas textui ſubjecit, & indices tres, autorum, rerum & verborum, appoſuit.

In notis obſervat Noſter αἴρειν cum ſuis compoſitis ali-
quando de *navigatione* accipi, idque locis ex D. Luca in Actis, pag. 2.
Thucydide & Herodiano adductis probat. Epiſt. I, 5 editum
erat φυγὴν ἀνεπαύσαμεν, hoc ſenſu, *refecimus nos ex fuga* 5.
redeuntes, cujus loco Noſter legit ψυχὴν, & in notis explicat, *animum curis hactenus Reip. deinde periculis & moleſtiis in itinere diſtractum in ordinem redigere & confirmare.* Addimus nos, huic lectioni favere etiam linguam Hebraicam, in qua
הֵשִׁיב נֶפֶשׁ eodem ſenſu adhibetur Pſ. XIX, 8 & Ruth. IV, 15. 7.
Nominis interdictionem pœnam aliquando fuiſſe, exemplo Heroſtrati, M. Manlii Capitolini & Pauſaniæ oſtendit, illucque refert verba Chriſti Lucæ VI, 22: καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρόν. Verborum ἄγειν καὶ φέρειν quando conjun-
guntur, varias ſignificationes evolvit Noſter ad Epiſt. III, 5 & 21.
probatis autoribus oſtendit, idem eſſe quod (1) *vexare & affligere* (2) *prædari & vaſtare* (3) *auxilium ferre, portare, & adducere* (4) *curru vehi.* Inſidiatores a Lacedæmoniis ad ſe inquirendum miſſos Themiſtocles vocaverat Λακωνικὰς κύνας,
qua occaſione Cl. Schœttgenius in notis oſtendit, Laconicos ca- 43.
nes in venatione olim maxime excelluiſſe. Occurrit etiam ad
Epiſt. XVI reductio Boedromionis menſis Attici, & Panemi 82, 83.
Macedonici, ad noſtrum tempus, oſtenditurque ἕνην καὶ νέαν Boedromionis, quam cum Panemi decimo die congruere dixit Themiſtocles, eſſe d. $\frac{17}{27}$ Septembris.

ELO-

ELOGIUM PHILIPPI VERHEYEN.

PHilippus Verheyen, in univerſitate Lovanienſi Artium & Medicinæ Doctor & Anatomiæ ac Chirurgiæ Profeſſor Regius & Ordinarius, menſe Aprili anni 1648 in pago VVas, ad parrochiam de Verbrock pertinente, fuit editus parentibus honeſtis, Thoma Verheyen & Joanna Gœmans, agriculturam exercentibus; neque adoleſcens factus paternum vitæ genus, cui primum ſeſe dederat, facile deſeruiſſet, niſi parochiæ dictæ Paſtor reverendus, Joannes Jaſpars, ob ingenii extraordinarias notas eum anno ætatis ſuæ 22 primis Latinæ linguæ rudimentis cœpiſſet imbuere. In qua per biennium horis ſubciſivis tantum profeciſſe dicitur, ut Collegium S. S. Trinitatis, quod Lovanii eſt, A. 1672 ingredi atque ſedula humaniorum literarum cultura ad philoſophiam non ſolummodo præparari, ſed & curſu hujus A. 1675 in Academia Lovanienſi non minus ſtrenue incepto, ac feliciter A. 1677 emenſo, primum in ſolemni Magiſtrorum promotione locum reportare valuerit. Suprema ſic Philoſopiæ laurea ornatus, Collegio quidem majori Theologorum in eadem Univerſitate voluit inſcribi, quo Theologiam excoleret, verum mox, quia tibia ex ſphacelo amiſſa minus idoneus redderetur ad munia eccleſiaſtica obeunda, Medicæ arti ſe totum eo conſecravit ardore, ut in examinibus mirabiliter omnibus ſatisfaciens, tum A. 1681 ſub Februarii principio Licentiæ honoribus ac titulo condecoraretur, tum ex Academia Lugduno-Batava reverſus circa finem A. 1683 ad conſuetas tres Diſputationes pro Doctoratus gradu ſine Præſide habendas admitteretur. Rationes nihilominus ipſi non defuere, cur ſolennem renunciationis in Doctorem actum usque ad annum 1695 differret, cum interea temporis ad Profeſſionem Anatomicam A. 1689 & ad Chirurgicam ſimul A. 1693 omnium adplauſu adſpiraſſet. In ipſo Medicinæ tyrocinio librum de Febribus, & Compendium theoretico-practicum de præcipuis capitis ac thoracis affectibus perhibetur in lucem emiſiſſe, præter Anatomiam autem tractatum de valetudine tuenda compoſuiſſe quam primum, ut ſperabat, edendum. Ex matrimonio primo, quod A. 1683 celebravit cum Maria Anna van den Zype, ſorore Franciſci Zypæi, Anatomiæ tum Profeſſoris atque Fundamentorum Medicinæ, in Actis noſtris A. 1683 p. 536 recenſitorum, Autoris, nullam vidit ſobolem; ex altero autem, quod cum Philippina van Gœdenhuyſen A. 1693 inivit, quatuor ſuſcepit reliquitque liberos ſuperſtites. Sub auſpicium anni elapſi febri acuta extinctus, non aliud quam ſequens ſibi erigi poſtulavit epitaphium: *PHILIPP VERHEYEN, Medicinæ Doctor & Profeſſor, partem ſui materialem in Cœmeterio condi voluit, ne Templum dehoneſtaret, aut nocivis halitibus inficeret. Requieſcat in pace.*

Hæc hactenus ex Præfatione Anatomiæ Corporis humani, autore Philippo Verheyen, Bruxellis ſuperiori anno, duobus Libris, editæ, de qua proximo Menſe dicemus uberius.

Proſtat Supplementorum Tomi IV Sectio IX.

* * *

Digitized by Google

N. III.
ACTA ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Martii, Anno MDCC XI.

EXAMEN VARIANTIUM LECTIONUM JOHANNIS MILLII S.T.P. in Novum Teſtam. opera & ſtudio DANIELIS WHITBY, S.T.P. & Eccleſiæ Sarisburienſis Præcentoris.

Londini, impenſis A. & I. Churchill, 1710, fol.
Alph. 1 pl. 4.

PRodit nunc, quod jam ab aliquot annis molitus eſt Cl. Autor, opus eo conſilio adornatum, ut, ceu ipſa inſcriptio profitetur, appareat, Lectionum, quas Millius protulit, fundamenta incerta plane eſſe & ad lectionem textus hodierni convellendam inidonea; lectiones variantes, quæ ſint momenti alicujus, aut ſenſum textus mutent, pauciſſimas eſſe, atque in iis omnibus lectionem textus defendi poſſe; porro lectiones levioris momenti tales eſſe, in quibus a lectione recepta raro recedendum ſit; ac denique Millium in variantibus lectionibus colligendis ſæpius arte non ingenua uſum eſſe, falſis citationibus abundare, & ſibimet ipſi multoties contradicere. In Præfatione, operi præmiſſa, obſervat Cl. Autor, Eccleſiæ Anglicanæ & omnium Evangelicorum ſententiam, quæ S. Scripturam Regulam perfectam ſatisque perſpicuam doctrinæ & morum ſtatuit, a Millio tam in Prolegomenis ſuis quam ipſo opere labefactari, quod partim variantes lectiones ſine modo & contra omnium fere Codicum, Verſionum, Patrum & ſcholiorum antiquorum fidem, in unius Vulgatæ Copticæ aut Æthiopicæ verſionis gratiam multiplicet, partim corruptelas interpolationesque haud

 paucas

paucas inde ab ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis ævoque pene Apoſtolico Scripturæ oblatas ſtatuat. In Prolegominis ejus id ſpeciatim reprehendit, quod Patres codicibus miſere depravatis, ac præterea diverſis codicibus pro arbitrio uſos dicat, atque ea, quæ de ſcholiis gloſſisque codicum, ad privatos homines pertinentium, dici tantum debebant, ad Græcorum Patrum codices perperam accommodet, in quorum tamen Eccleſiis ejusmodi codices legebantur, qui ab iſtis fere
p. 8. erant liberi. His ita diſputatis ſubjiciuntur Regulæ quædam ex quibus de germana & proba lectione judicium tenendum cenſuit. Sunt autem iſtæ: 1 ubi Patres variasſe textus lectionem pronunciant, variantem ibi lectionem ante eorum tempora obtinuiſſe; 2 ubi Patrum multi, nullo refragante, cum verſionibus antiquis & Codicum MSS. majori parte in una lectione conveniunt, eam lectionem genuinam eſſe. 3 in epiſtolis, in quas exſtant quatuor Græca ſcholia, cum totidem verſionibus antiquis, ubi Græca ſcholia cum totidem verſionibus univerſim in una lectione conſpirant, id veræ lectionis judicium non contemnendum eſſe; 4 eam lectionem, quæ ſenſum integrum relinquat, ceteris paribus, ei præferendam eſſe, quæ ſenſum mutilum & imperfectum exhibet, aut eum interrumpit, adeoque multo magis illi, quæ ſenſum penitus corrumpit; 5 denique, quod Waltonus etiam monuit, lectionem, quæ, ceteris paribus, ſenſum fundit clariorem, & cum antecedentibus ac conſequentibus ac Scripturæ S. analogia magis conſpirantem, contrariæ præferendam eſſe. Tractationem ipſam in tres Libros Cl. Autor abire juſſit, qui ſuis iterum capitibus & ſectionibus ſunt diſtincti. Libro I fundamentum variantium illarum lectionum non poſtremum ex Millii judicio, nempe allegationes Scripturæ a Pa-
2. tribus factas aggreditur, ex quibus nihil certi colligi poſſe ait, ideo quod ex memoria non ex inſpecto Scripturæ contextu locos attulerint, quam in rem conſentiens R. Simonii teſtimonium affert ex Hiſt. Critica N. T. c. 31 p. 151, exemplum autem repetit ex Apologia Juſtini Martyris Sect. 18 ad 24 ed. Oxon. collat. cum Matth. V, 28 &c. ubi conferri vult Cl. Gra-

bii

Digitized by Google

bii notas. Eandem ſententiam adſtruit ex eo, quod Patres p. 3.
ad ſenſum potius quam verba Scripturæ in allegationibus ſuis
reſpexerint,id quod iterum variorum Patrum exemplis evincit.
Tertio loco obſervat,Patres Græcos multa de ſuo adjeciſſe,præ- 5.
terea autem verba multa imo integras periodos omiſiſſe, aut in 7.
compendium miſiſſe, porro eosdem Patres aliquando a noſtris 8.
Codicibus diſſentientes alibi cum illis apprime conſpirare,multas denique Scripturarum περικοπὰς in cumulum congerere,
quæ in diverſis locis quoad ſenſum tantum offerantur. Atque hæc quidem agit capite I, ſingulaque propriis & idoneis
exemplis confirmat. Capite II evincit, variantem Lectionem certa fide deduci non poſſe ex Codice Latino, aut Latina Græci Scriptoris verſione, aut e citatione Latinorum
Patrum, cum 1 interpretes ad Vulgati verſionem verba 12.
accommodent, 2 Latini Patres, ubi de Græcis Codicibus 13.
judicandum fuerit, Criticos ſe præſtent infelices, ac denique
Millius ipſe Latinorum Patrum citationibus parum tribuat.
Vide ſpeciatim de Tertulliano Proleg. p.59 & de Cypriano p.67 14.
&c. Cap. III probare inſtituit, ex MSS. Eccleſiæ Occidentalis contra receptam textus lectionem ſolide non diſputari
poſſe; ad quam rem utitur R. Simonii teſtimonio, in Hiſt.
Crit. N. T. Parte II c. 30 ſq. legendo, cui pondus addit partim ſupina librariorum ignorantia, partim ipſorum exemplarium menda, quibus conſpurcata eſſe ſolebant. Deinde 16.
urget ipſius Millii conſenſum e. g. ad Matth. III, 11. Cap. IV 17.
ad Verſiones progreditur, quarum conſenſum certum germanæ lectionis argumentum non eſſe ut evincet, provocat
primo ad ipſius Millii judicium ἐμέψηφον ad Hebr. XII, 7,
deinde autem de præcipuis, e. g. Coptica, Æthiopica, Syriaca,
Arabica, & veteri vulgata quædam commentatur. De po- 19.
ſteriore hac Sect. V p. 19 inprimis contra Millium diſputat,
falli Virum in eo arbitratus, quod eam ad fidem optimorum
Codd. omnium feliciſſime adornatum judicarit, quemadmodum etiam falſo ſibi perſuaſerit, eandem verſionem Italicam, ante ipſa Hieronymi tempora interpolatam, ſua opera
beneficio Codicis Cantabrig. aliorumque & ex Patrum Lati-

norum Hieronymo antiquiorum ſcriptis reſtitutam. Cap. V
pag. 22. argumentum idem de veteri verſione Italica perſequitur Cl.
Autor, & commonſtrat, Patres Latinos, Ambroſium, Hieronymum, Damaſum & Auguſtinum verſionem hanc ex Græcis exemplaribus corrigendam cenſuiſſe, adeoque illam pro
28. norma ceterarum verſionum non agnoviſſe. Libro II Cl. Autor locos illos vindicare aggreditur, qui variantibus lectionibus majoris momenti ſollicitari poſſe videbantur: inter hos obſerves Matth. V, 22, ubi Millius τὸ εἰκῆ ſcholion eſſe
36. præter rationem ſibi perſuadet, Matth. VI, 13, qui δοξαλογίαν complectitur, textui asſerendam &c. Capite II ejusdem libri
56. ſigillatim & ordine examinat Var. Lect. quæ in Evangeliis & Actis Apoſtolorum leguntur. Cap. III perſequitur Epiſtolas
82. Paulinas & Catholicas. Denique Liber III deſtinatur excutiendis variis lectionibus minoris momenti, quæ hoc ordine ad examen revocantur, ut obſervationes omnes ſecundum partes, quas vocant, orationis receptas collocentur. Sic Sect. I eam exponit varietatem lectionis, quæ additione aut ſubtractione articuli continetur: Sect. II de permutatione
89. nominis alterius cum altero ejusdem ſignificatus &c. agit. Sectione ultima reſpondet ſtrictim Pontificiorum & Scepticorum objectionibus, ad αὐθεντίαν contextus Græci ex variis
91. lectionibus impugnandam comparatis. Sequitur Appendix, quæ exhibet primo quidem ſyllabum eorum locorum, in quibus Millius parum ſibi conſtare deprehenditur, ſi Prolegomena ejus cum opere ipſo compares; deinde vero ſpecimen Italicæ verſionis, qualis ante Hieronymi caſtigationem exſtabat, ex lectionibus ſpuriis, deficientibus aut redundantibus, quæ in Hilarii Diaconi Commentariis in Epp. D. Pauli adhuc leguntur. Atque ex his manifeſtum erit, Cl. Autorem magnam animi contentionem, induſtriam, imo etiam acumen ad examinandum opus Millianum attuliſſe: ipſa autem operis inſpectio docebit, Millium paſſim non præter rationem ſed ex merito reprehendi & emendari, interdum autem habere, quo ſe tueatur.

POLI-

Digitized by Google

POLITIQUE TIRE'E DE L' ECRITURE Sainte.

i. e.

DOCTRINA POLITICA EX IPSIS S. SCRIpturæ verbis ducta, ad Sereniſſimum DELPHINUM, Opus poſthumum JACOBI BENEDICTI BOSSUETI, Meldenſis Epiſcopi.

Bruxellis, apud Joh. Leonardum, 1710, 8.
Alphab. 1 plag. 20.

TOties jam laudatus eſt nobis Illuſtris hujus ſcripti Autor, ut actum nunc agere non ſit conſultum. Equidem poſtliminio quaſi nunc redit, cum poſthumum ſit opus, quod ſiſtitur; attamen, quoniam id ipſe perfecit & ad publicum conſpectum paravit, habitu haud alieno. Confirmat hoc in Præfatione propinquus Autoris Abbas Bosſuetus, cujus etiam veſtigiis in ratione libri declaranda inſiſtemus. In uſum Sereniſſimi Delphini ante plusquam triginta annos fuit compoſitus, ut præcepta regendi, & Monarchicam potiſſimum formam penitius inſpiceret, quæ hiſtorice tantum in ejusdem Epiſcopi *Diſcurſu de Hiſtoria Univerſali* fuerat contemplatus. Hoc felicius exequi ſe poſſe non credidit, quam ſi verbi divini propriis, ut titulus prodit, verbis rem omnem declararet, qua in re ſic procedit.

L. I Societatis humanæ pariter ac civilis, qua continetur quicquid eſt regiminis, fundamenta Spiritus S. verbis ſtruit. Hinc L. II ad regiam venit poteſtatem, quam naturæ maxime conſentaneam, antiquiſſimam, utiliſſimam, divinæque voluntati imprimis cenſet conſentaneam. L. III, IV & V qualitates regni Monarchici præcipuas & neceſſarias conſtituit, quarum facit quatuor, ut ſit ſcilicet ſacra regalis autoritas, paterna, abſoluta, & rationis arbitrio ſubjecta. L. VI ſubditorum Regibus officia declarantur. L. VII-X ad Principis reditur officia, quæ ad tria potiſſimum referuntur, 1 ad interna, quæ πολιτείαν conſtituunt, fundamenta, 2 ad autoritatis regalis adjumenta, arma ſcilicet, opes, & con-

conſilia, 3 ad incommoda, quæ illam circumſtant in hominum conditione, mediaque huc afferenda. Ceterum is non fuit Autoris ſcopus, ut, quæ contentioſius alias in argumentis Politicis diſputantur, & ipſe ſequatur. Quin potius ad Chriſti modum & Apoſtolorum hic ſe gerit, qui neutiquam diſcutiebant, an legitimum ſit Romanorum imperium, ſed absque controverſia ut tale ſupponendo, ſua ſubditis officia præſcribebant. Aliquando etiam, ſed rarius, & ibi tantum, cum ſubnaſcitur occaſio Franciæ potiſſimum Reges admonendi, Scripturæ verbis, quædam ex Eccleſiaſtica pariter ac Civili Gallorum Hiſtoria admiſcet. Ordinem in proponendo ſecutus eſt Geometricum. Singuli pluribus articulis dividuntur Libri, propoſitionibus dein rurſus articuli, quarum naturalis omnium eſt nexus. In locis Scripturæ citandis Epiſcopus interpretem egit ipſe, Vulgatam potiſſimum ſecutus, niſi quod aliquando minus alias clara ex Ebræo vel Græco vertenda cenſuerit. Neque vero prius lucem hoc opus videre potuit, quoniam ſex Libris prioribus initio tantum abſolutis, poſterioris quatuor delineati modo diu jacuerunt, donec inſtante Sereniſſimo Burgundiæ Duce concatenatis plane laboribus tantum ſubinde temporis eriperet, ut & hos perficere potuerit. Licet autem Editor ipſe vellet eſſe, (quod optabilius etiam fuiſſet, cum inter imprimendum tollere ſueverit & inſerere quædam) compendium etiam Tractatus adjicere, morte tamen oppreſſus voti haud factus eſt compos. Interim bona fide librum nunc editum, nec ullatenus vel auctum eſſe vel minutum admonemur, niſi quod Auguſtini nunc locus, quem additurus fuerat Epiſcopus ipſe, & Epiſtola Bosſueti ad Papam de Inſtitutione Delphini elegantiſſima cum reſponſo Pontificis ſint adjuncta. Liceat jam ex his obſervationes quaſdam, prout evolventi ſe obtulerunt, delibare.

p. 7. P. I, cum de amore hominum mutuo loquitur, qui cædes impediat, in loco Gen. IX, 5, 6 monſtrat, qua ratione beſtiis etiam aliquod ob interfectos homines maneat judicium. Tum nempe, cum Deus corpora per illas dilaniata ſit olim

reſuſci-

reſuſcitaturus. Amorem ſoli patrii valde exaggerat, magnum- p. 16.
que hinc momentum conjungendis inter ſe hominibus, illis
etiam qui primi terras habitarint, acceſſiſſe putat, quod eandem
terram coluerint. Attamen licet hanc charitatem patriæ non
negemus, illud tamen vinculum ad primos orbis incolas ap-
plicari non poſſe videtur. Etenim hos primo non patria ter-
ra, quam deſerebant plerique, nec ſoli unitas, quod incolebant,
quippe cujus fines adhuc determinari non poterant, ſed vel
ſanguinis nexus, vel morum ſimilitudo & linguarum conjun-
gebant, quibus ipſis etiam de cauſis ad domiciliorum viciniam
colligebantur. De jure proprietario diſſerens, illud ab auto- 22.
ritate regiminis primitus ortum, per eandem etiam dicit ſub-
ſiſtere. Verum ut hoc largiamur, ortus certe hujus juris a
ſupremo cujusdam dominio in reliquos derivari nequit.
Quæ enim quæſo inter primos homines autoritas ſuprema?
Nihilominus autem quivis proprium aſſerebat ſibi, ſive per
pactum id expreſſum, ſive per conſenſum factum dicamus.
Officia patriæ urgentur egregie, pro qua noſmet ipſos debea- 38 ſq.
mus impendere, quippe cujus ſalute noſtra, familiarum no-
ſtrarum & amicorum ſalus contineatur; unde concludit,
omnia ſic etiam uniri officia, quæ nobis noſtrisque debeamus.
Interim forte non ſatis accurate cum Autore patientiam Chri- 45.
ſti in cruciatibus ad patriæ dilectionem referas, & eum ſan- 46.
guinem peculiari quodam ad Judæos habito reſpectu fudiſſe
dicas. Quomodo Regum autoritas præcepto quarto ſtabilia- 80.
tur, breviter ſed luculenter declarat. Reges ſcilicet DEI vi-
ces in terris gerere, qui verus ſit omnium pater, dein etiam
imaginem regiminis inter homines primam poteſtate patria
repræſentari, *a qua omnes reliquæ propagantur & manant*, ut
B. Lutheri verbis Epiſcopi ſententiam liceat declarare. Me-
dia, quibus Princeps rerum ſibi ſcitu neceſſariarum cognitio-
nem acquirat, ſuppeditantur varia. 1 Veritatem amet, ejus-
que ſemper cupidum ſe demonſtret. Cum enim Principes
plurimi aſſidue adulatores circumſtrepant, eos ſincero veri-
tatis amore, qui nec frigidus ſit, nec fictus, dicit fugandos.
2 Attentus ſit omnibus, & conſiderate quidvis agat, ſummam

autem

Digitized by Google

autem ad homines, cum quibus verſatur, attentionem afferat. 3 Conſilium ne detrectet, quin libertatem potius aperte loquendi concedat amicis. 4 Cautus ſit in deligendis conſiliariis, & nec uni omnia committat, neque magnum tamen eorum admittat numerum. 5 Alios tamen præter amicos audiat non conſiliorum quidem autores, ſed rerum, quæ ubivis aguntur, delatores. 6 Attamen nec omnibus credat, & mendaces ſevere puniat. 7 Omnes præteritorum ſuorumque temporum Hiſtorias excutiat. 8 Conſilium ex ſe capiat promtum. 9 Malas aliorum artes vitet & eludat.

p. ſq. P. II eorum, qui civilibus negotiis immerſi religionis omnem ſenſum exuerunt, errores exponit. Illi ſcilicet argumenta religioſa plane non curant, & adverſus eorum aculeos occalleſcunt, vel ſi quodammodo illis tanguntur, nolunt tamen profundius adigi. Sæpe ſtultitiam exiſtimant, quicquid eſt religionis, aut ſi quid ejus agnoverunt, humanis tamen rationibus impediti ne declarare quidem, nedum tueri volunt. Modos quosdam dein augendi provinciam incolis ſuppeditat, & otioſos quidem imprimis pelli jubet, occaſionem vero quærendam omnem, qua ipſum, ſi fieri poſſit, otium exterminetur. Deinde matrimoniorum habendam eſſe curam, ut conſtantia ſint & felicia, liberorumque facillimam reddendam educationem, repreſſo ſcilicet luxu, & ad bonas artes aditu patefacto. Circa finem libri characteres magnorum quorundam in ſacris Literis virorum ex rebus eorum geſtis eruit.
260. Sic in Samuele, qui ſupremi ſe dignitate privari non ferebat inique, nec ſperni a Rege per ſe ſtabilito ſua con-
261. ſilia, magnanimitatem ſingularem, in Nehemia ſolidam pietatem, proprii commodi contemtum, officiorum ſuorum obſervationem continuam, animumque ſemper intrepidum,
266. agnoſcit. Joabum virtutum multarum decus gravioribus vitiis inquinaſſe, & ex eorum fuiſſe numero dicit, qui ad bonas res & magnas gerendas ſint proclives, ſed ſoli gerere ve-
276. lint, neque ſecundum ferant vel æqualem. Poſt etiam quosdam characteres hominum ex S. Scriptura delineat, qui vitandi ſint plane Principibus, utpote eorum, qui illa ſolum putant bona,

quæ

quæ cogitant ipſi & faciunt, irriſores & ſubſannatores, adulatores, &c. Incommoda poteſtatis regiæ ad effrenatam ambitionis atque libidinis licentiam redeunt, quæ in ordinem tamen redigi poſſe putat, dummodo probe Reges conſiderent, ſupremæ ſe ipſos Dei ſubeſſe poteſtati, mortique ſubjiciendos eſſe non evitandæ. Hunc in modum Illuſtris Boſſuetus, hisque præceptis, Sereniſſimum Delphinum ad regias omnes politicasque virtutes formavit, quapropter & totum per librum ei ſolum regiminis formæ quam hodie Gallicum ſuſtinet Regnum, quæ ſcripſit, accommodavit, ſic ut cum ſumma quidem poteſtate imperium, pietatis tamen & rationis circumſcriptum terminis, ſupponat.

MISCELLANEOUS REFLECTIONS OCcaſiond by the Comet &c.

h. e.

OBSERVATIONES MISCELLANEÆ OCcaſione Cometæ, qui anno 1680 menſe Decembri apparuit, eo conſilio exaratæ, ut vulgares ſuperſtitiones aboleantur: autore PETRO BÆLIO. Addita eſt Autoris Vita.

Londini, apud Joh. Worpheu, 1708, 8.

Alphab. 2 plag. 5.

EXhibetur hic verſio Anglicana libri a Bælio jampridem conſcripti, & controverſiis ex eo ſubnatis ita celebrati, ut de eo quidem hoc loco dicere iterum non debeamus, de Vita potius Autoris accuratius cognoſcenda laboraturi, quæ nunc primum lucem vidit. Dicitur ea ſcripta ex Belgio ad Nobilem Anglum ab eo, qui ex ipſius Bælii ore ea acceperit, quæ ad vitam ejus tenendam pertinent. Natus ſcilicet eſt Bælius A. 1648 *Carlati*, quod exiguum eſt Comitatus Fuxienſis (*Foix*) oppidum, in quo Pater ejus verbi divini præconem agebat, Matre ex gente & familia Nobili *Ducaſſe* oriunda. Cum prima literarum Gr. & Lat. elementa ex Paterna inſtitutione hauſiſſet, anno æt. XVIII Podium Laurentii in

p. 5.

7.

in Academiam miſſus eſt, in qua totum ſe dedit veterum Scriptorum ſpeciatimque *Plutarchi* lectioni, cui proxime
pag. 8. junxit *Michaelem Montagne*, cujus cogitata ea memoriæ felicitate animo impreſſit, ut, ſi ſcripta ejus perirent, ſe illa poſtliminio reſtituere poſſe profiteretur. Hic per triennium fere commoratus, Toloſam abiit A. 1668, ubi cum per unum & dimidium annum perſtitiſſet, ac religionis Pontificiæ errores, jam antea aliqua ex parte exploratos, magis magisque perſpe-
10. xiſſet, A. 1670 Genevam abiit, in qua urbe faventem ſibi expertus eſt Dn. de Normandie, Syndicum Reipublicæ Genevenſis, qui illi liberorum ſuorum inſtituendorum curam commiſit, eidemque ſimul occaſionem ſuppeditavit cum Cl. Basnagio, in ejus ædibus commorante, amicitiam contrahendi.
[illegible] Hinc A. 1672 ab Ill. Comite *de Dhona* ſtudiis filiorum ſuorum formandis admotus eſt, poſt biennium autem Genevam reverſus, hinc A. 1674 Rhotomagum ac paulo poſt Pariſios abiit, ibique *Beringhenii* liberis erudiendis operam dedit. Cum interea temporis ipſi commercium literarum cum Basnagio, in Athenæo Sedanenſi ſtudiorum cauſa degente, intercederet, ad Profeſſoris Philoſophi munus illic obeundum, annitente Jurio, Profeſſore Theologo, cui Basnagius Bælium com-
14. mendaverat, vocatus eſt A. 1675. Hac ſparta defungens ſuam de libro Poireti, quem Cogitationes Rationales de Deo, anima & malo inſcripſerat, ſententiam cum Amico quo-
20. dam, id expetente, per epiſtolam communicavit, quæ deinceps ad ipſum Poiretum transmiſſa cum hujus reſponſionibus in repetita libri editione Amſtelod. 1685 lucem vidit. Cum
21. poſtea Jeſuita Cadomenſis P. de Valois ſub nomine Ludovici de la Ville Pariſiis librum ederet ſub inſcriptione: *Sententia Carteſii de eſſentia & proprietatibus Corporis, doctrinæ Eccleſiæ adverſa & erroribus Calvini in capite de Euchariſtia patrocinans:* ac ſimul Carteſianiſmum ex Academiis propulſandum ſuaderet, Bælius diſputatione quadam, deinceps in Belgio recuſa, Carteſianam ſententiam defendit. Deinde Cometa A. 1680 apparente, illa Cogitata, quæ nunc Anglice prodierunt, in literas retulit Pariſiis in lucem edenda, quod tamen

men conſilium interruptum deinde eſt, cum, Academia Se-
danenſi Regia autoritate ſuppreſſa & disjecta, Bælius de
abitu cogitaret. Interea temporis accidit, ut idem, incer- p. 25.
tis conſiliis aliquamdiu agitatus, ſed *Paetſii*, qui Reipub. Ro-
terodamenſi cum aliis præerat, commendatione gravi adju-
tus, ad Profeſſionem Philoſophiæ & Hiſtoriarum in Athenæo
Roterodami obeundam vocaretur, Jurius autem ejusdem
opera Theologiæ Profeſſor renunciaretur. In hac urbe, men- 31.
ſibus aliquot præterlapſis, ſuam de Cometis Epiſtolam, de
qua ante dictum eſt, typis exprimi ἀνωνύμως curavit, ac per
eam, cum Scriptor non diu lateret, primam eamque egre-
giam nominis famam inter eruditos ſibi comparavit. Eodem
tempore Maimburgius *Hiſtoriam Calviniſmi* in lucem edebat,
cujus examen Noſter inſtituebat ac cum eruditis ſub inſcri-
ptione *Criticæ Generalis Hiſtoriæ Calviniſmi A. 1682* commu- 36.
nicabat. Quod quidem ſcriptum tanto applauſu exce-
ptum eſt, ut intra quatuor menſes omnia exemplaria diven-
derentur, Auctorque novam eamque auctiorem ejus editionem
procuraret, quemadmodum etiam Epiſtolam de Cometis va-
riis acceſſionibus locupletatam ſub tit. Obſervationum ſive
Cogitatorum variorum de Cometis recudendam dabat A.
1683. Sequenti anno lucem videbat *Collectio variorum Opuſcu-
lorum ad Carteſianam Philoſophiam pertinentium.* Eodem 40.
tempore oblatam ſibi a Franequeranæ Academiæ Curatori- 43.
bus Profeſſionem Philoſophicam recipere in ſe noluit, &
anni ejusdem menſe Martio induſtriam ſuam ad conſignanda 44.
Nova Reipubl. Litterar. contulit, ac præterea tertiam Cri- 47.
ticæ ſuæ Maimburgianæ editionem curavit. A. 1685 *Nova* 50.
Epiſtolæ ſupplementi inſtar ad Criticam Generalem edeban-
tur, eo conſilio, ut dubiis quibusdam, adverſus opus ipſum
formatis, obviam iretur. A. 1686 dolore partim ex calami-
tatibus, quibus Fratrem ſuum affecerant & ipſa adeo vita priva-
rant malevoli, partim ex antiquato edicto Nannetenſi oborto
provocatus eſt Bælius ad edendum commentariolum, quo 66.
exhibet *Characterem Galliæ veræ Catholicæ ſub Imperio Lu-
dovici XIV.* In eo ſpem fecerat *Commentarii Philoſophici* in

p. 60. verba Servatoris: *Compelle eos intrare*, quem paulo poſt luci
publicæ expoſuit. His & aliis laboribus exhauſtus & ex ocu-
lis laborans A. 1687 deſtitit a ſcribendis Novis Reipubl. Li-
terar. cui labori ſub elogio *Hiſtoriæ Operum eruditorum* con-
76. tinuando humeros deinde ſuppoſuit *Beauvallius.* Quod ad
Commentarium Philoſophicum attinet, Jurius eum, quem
Miniſtris quibusdam Gallis ob religionis cauſam expulſis
tribuebat, confutandum ſibi ſumſit ſingulari libro, quo facto
Bælius Partem tertiam illius Commentarii edens in præ-
miſſa epiſtola rationem, cur ad illum librum non reſpon-
78. deat, reddidit. Eodem tempore controverſia ſcriptis qui-
busdam ultro citroque agitata ipſi cum Arnaldo interceſſit,
circa quandam Malebranchii ſententiam, quam Bælius con-
80. tra Arnaldum vindicaverat. A. 1688 recuperata prorſus va-
84. letudine Partem IV Commentarii in lucem protulit, neque
tamen unquam ſe hujus operis autorem profeſſus eſt, ne
omnibus, quibus argumentum tam impeditum obnoxium
videbat, difficultatibus facere ſatis cogeretur: unde nec ad
ea reſpondit, quæ Saurinus libro ſingulari contra hunc Com-
mentarium & Jurii ſcriptum commemoratum A. 1697 attu-
86. lit. A. 1689 ſcripſit Præfationem ad Fureterii Dictionarium.
88. His de Bælio commemoratis Cl. Scriptor vitæ hujus jungit
quædam de Jurii libro, quem dixit *l' Eſprit de Mr. Arnaud*, &
aliis ejusdem ſcriptis, quæ Eccleſiæ ſpem reſtituendæ liberta-
tis in Gallia faciebant. Cui quidem prædictioni cum even-
95. tus non reſponderet, Anonymus A. 1690 edidit librum ſub
tit. *Gravis admonitio ad religionis cauſa exules de im-
minente eorum in Galliam reditu*, quo ſpes iſta omnis &
99. ſcripta ad illam confirmandam edita ſatyrico ſale perfrican-
105. tur. (Conf. Acta Erud. hujus Anni M. Jan. pag. 44.) Hu-
jus Autorem Bælium eſſe ſuſpicabatur Cl. Jurius, neque ob-
108. ſcure id profitebatur in ſcripto, quod libro iſti opponebat.
Dum hæc aguntur, Mercator quidam Genevenſis, *Goudeto* no-
men erat, quasdam pacis inter Principes, bello tum tempo-
ris decertantes, firmandæ conditiones dialogis quibusdam
comprehendebat, easque per Minutolium, Miniſtrum V. D.
& Profeſſorem Genevenſem, ad Bælium mittebat, ea lege,
ut

ut & ſuam & aliorum, quos deſignaverat, ſententiam de illis exponeret. Quamvis igitur ea pacis reducendæ conſilia p. 111.
non approbaret Bælius, nihilominus tamen, cum ea Lauſannæ in lucem edita ad Jurii manus pervenirent, huic viſus eſt ejusdem inſtituti autor & approbator, quod ipſius judicio Monarchiam Galliæ univerſalem non parum promoveret. Hanc ſuam conjecturam Jurius in præfatione *Gravi Admonitioni* præmiſſa publice profitebatur, de factione quadam 119.
conqueſtus. Quam ſuſpicionem a ſe amoliturus Bælius
edebat *Cabbalam Chimericam*, quo libro Jurius adeo com- 121.
motus eſt, ut rem ad Magiſtratum Roterodamenſem deferret, graviſque injuriæ ſibi illatæ pœnas a Bælio expoſceret. Magiſtratus utrique ſilentii leges dixit, quas Bælius qui- 125.
dem ſolicite obſervavit, Jurius autem variis libellis in lucem editis neglexit, quippe Bælium non quidem, ut antea, factionis & conſpirationis, quam illius criminis accuſans, quod illam de pace Conſultationem in lucem protuliſſet. Cum autem ne ſic quidem quicquam efficeret Jurius, tandem alia ſcripta Bælii, nempe Cogitata de Cometa, Criticam Genera- 127.
lem Maimburgii ac inprimis Commentarium Philoſophicum variis criminationibus oneravit, quas ſingulari volumine comprehenſas Senatui Eccleſiaſtico Roterodamenſi exhibuit cognoſcendas. Illas diſcuſſit Bælius edito ſcripto, quod 129.
inſcribebatur: *Chimæra Cabbalæ Roterodamenſis. Ad-* 130.
monitionis illius *ad exules* ſcriptæ & paulo ante commemoratæ Autor putabatur ab aliis *Peliſſonius*, cui præ- 132.
fationem, ipſi operi oppoſitam, præmiſerit Bælius: aliis illa *Larroquio* juniori, aliis autem & præfatio & commentatio ipſa Bælio adſcribenda videbatur, ipſo quidem, quamvis ſpe præmii ab ipſo Galliæ Rege per Peliſſonium facta, 133.
ſi ſe Autorem profiteretur, ſemper hanc ſuſpicionem a ſe amoliente. Cum itaque Bælius intelligeret, Jurium in his non acquieſcere, A. 1697 ipſum impugnavit ſcripto Latino, quod 134.
dicitur: *Janua Cœlorum reſerata curatis religionibus a celebri admodum Viro Dn. Petro Jurieu*, nec multo poſt *Deſignationem & Fragmenta Dictionarii Hiſtorico-Critici* Gallice in 136.

 lucem

lucem dedit. Anno 1693 Galliæ Rex omnia ſua conſilia ad fir-
p. 140. mandam pacem conferebat, Guilielmo III M. Britanniæ Re-
ge ita ſe his conatibus opponente, ut, quicunque vel minima
ex parte molitiones has adjuvare viderentur, malam gratiam
referrent. Jurius, hac occaſione Bælio ægre faciendi ar-
repta, apud quosdam Aulæ Regiæ Miniſtros Noſtrum detu-
lit, tanquam qui a Gallis ſubornatus, edita iſta, quam dixi-
mus, de pace Conſultatione pacis negotium provehere cu-
142. raret. Guilielmus ergo Rex, re cognita, Magiſtratui Rotero-
damenſi præcepit, ut Bælium ſparta ſua decedere juberent,
qui non invitus mandato parens, privatam vivendi ſortem
145. deinde omni muneri præferendam cenſuit. Cum poſtea A.
1694 Jurius libros Bælii, quos paulo ante oppugnaverat,
Conſiſtorio Roterodamenſi examinandos iterum proponeret,
ipſe quidem publice cauſam ſuam egit, editis *Additionibus ad*
Cogitata ſua de Cometis, quibus toti huic controverſiæ finem
146. impoſuit. In his dum eſſet Noſter, Comes *de Guiſcard* eum
in Galliam, cum ampliſſimis conditionibus filii ſui ſtudia for-
maturum, vocavit, ſed detrectantem illud muneris genus de-
149. prehendit. Totum itaque ſe dabat *Dictionario* Critico ela-
borando, quod tandem poſt quatuor annorum laborem anno
1696 extremo lucem videbat. Hoc cum ſe Abbati *Renaldoto*,
qui illius in Gallia recudendi conſilium interverterat, ac
156. *Jurio* minus probaret, qui ſe nonnunquam in eo confu-
tatum intelligebat, hic Renaldoti aliorumque judicia
ex Epiſtolis ad ſe datis collecta cum ſuis Obſervationibus li-
bello ſingulari exhibuit, a Synodo, quæ Delphis tum temporis
congregabatur, ſuppreſſionem Dictionarii impetraturus. Hoc
157. ipſo tempore Noſter editis *Animadverſionibus* ad commemo-
ratum Jurii librum, recepit, ſe in ſecunda Dictionarii edi-
tione ſingulis objectionibus, ſpeciatimque iis, quæ ad caput
159. de *Davide* dictæ erant, ſatis eſſe facturum. A. 1699 novam
162. eamque tertiam Cogitatorum de Cometis editionem cura-
bat. A. 1702 nova Dictionarii editio, multis acceſſionibus
locupletata variisque mendis atque iis imprimis, quæ de *Da-*
vide perperam diſputata Conſiſtorio Roterodamenſi videban-
tur,

tur, liberata prodibat. Sequenti anno *Tomo I Reſponſionum ad quæſtiones Provincialis* varia argumenta edifferebat, p. 165.
quæ idoneum in Dictionario iſto locum non inveniebant.
Hunc A. 1704 ſequebatur defenſio Cogitatorum de Cometa ſub tit. *Continuatio Cogitatorum de Cometa*, in qua cum 167.
inter cetera contra *Cudworthi* Naturas Plaſticas, quæ Cl. *Clerico* ſe in Biblioth. ſelecta probaverant, diſputaſſet, Clericusque Tom. V ejusdem Biblioth. earum vindicias ſuſcepiſſet, Bælius in Hiſtoria Operum Eruditorum A. 1704 cauſam 169
ſuam repetita vice defendit, adverſario in Tomo VII & hanc & aliam de doctrina Manichæorum, de qua in Parrhaſianis contra Bælium diſputare cœperat, controverſiam iterum tractante. Eandem Continuationem cum Cl. *Bernardus* recenſeret in Novis Reipubl. Literar. Febr. 1705, ob 170.
negatam vim argumenti, a communi gentium conſenſu deſumti, &c. controverſiam movebat Bælio, qui & non multo poſt *Iſaacum Jaquelotum* novum adverſarium expertus eſt in libro, quem *Conformitatem Fidei & Rationis* inſcripſit.
A. 1705 Noſter iterum invitatus eſt in Galliam a Comite *de Albemarle*, ſed nec illius deſideriis ſatisfecit. Interea To- 173
mum II & III *Reſponſionum*, quas antea laudavimus, eo conſilio procurabat, ut in illis *Bernardo*, *Jaqueloto* & *Clerico* re- 174.
ſponderet, qui deinde viciſſim maxima animi contentione pronunciata ſua defendenda ſumebant. Cl. Clerico ſpeciatim opponebat Bælius Reſponſionem ad III & XIII Sectio- 180.
nem T. IX Biblioth. Sel. cui Clericus Tom. X Biblioth. reſpondit. Eodem tempore Jaquelotus edebat *Examen Theologiæ* 188.
Bælii, Jurius autem *Philoſophum Roterodamenſem accuſa-* 192.
tum & convictum. Bælius tandem in Tomo IV *Reſponſio-* 197.
num reliqua Cl. *Bernardi* Excerpta in conſiderationem vocabat: *Clerici* autem & *Jaqueloti* argumenta examinabat Dialogis quibusdam inter Maximum & Themiſtium habitis, qui poſt mortem ejus lucem adſpexerunt. Obiit autem A. 1706 200.
die 28 Decembr. morbo ipſi hereditario, quem phthiſin appellant. His ita expoſitis Scriptor vitæ elogium Bælii ſub- 201.
jungit, eumque imprimis a veritatis ſtudio, candore, acumine ingenii,

ingenii, doctrinæ & lectionis varietate, ut & felicitate me-
p. 216. moriæ &c. commendat. Commemoratis deinde Viris in-
ter eruditos principibus, quibuscum literarum commercium
220. ipſi interceſſit, annectitur Catalogus librorum ab ipſo edi-
torum. Inedita enumerantur *Supplementum Dictionarii Critici* & *Farrago Epiſtolarum ad Amicos ſcriptarum.* Atque hæc quidem de Bælii vita & ſcriptorum ejus hiſtoria fuſiuſcule commentati ſumus, ideo quod inter primos fuit, qui noſtram ætatem eruditis commentationibus illuſtrarunt. Ceterum fidem Scriptoris Vitæ hujus ſemper religioſe ſumus ſecuti, judicio noſtro nunquam interpoſito, quod ideo admonendum duximus, ne quis nos vel de Bælio præclarius vel de adverſariis ſiniſtre nimis judicaſſe exiſtimet. Inter ſingularia id forte numeres, quod p. 148 refertur, Bælium a Dedicationibus animum adeo alienum lucrique non appetentem habuiſſe, ut, cum ipſi a Nobili Anglo, in maxima dignitate conſtituto, ingens pecuniæ ſumma præmii loco proponeretur, ſi tam illuſtris Viri nomini Dictionarium inſcriberet ſuum, nunquam tamen, ut faceret, adduci potuerit.

ESSAIS DE THEODICE'E SUR LA BONTE' de Dieu, la liberté de l' homme & l' origine du mal.

hoc eſt,

TENTAMEN THEODICEÆ CIRCA BOnitatem Dei, libertatem hominis & originem mali.

Amſtælodami, apud Iſaacum Trojel, 1710, 8.
Conſtat 2 Alph. 8 plag.

QUamvis difficultates, quibus palmaria religionis tam naturalis, quam revelatæ fundamenta acribus quibusdam ingeniis premi viſa ſunt, exquiſita doctrina tractaverint Viri admodum docti; nodos tamen Gordios interdum non tam ſolviſſe, quam ſecuiſſe videntur. Quamobrem non miramur, excellentis ingenii virum, de quo modo diximus, *Petrum Bælium* easdem denuo publice propoſuiſſe, cumq; hactenus ſummorum virorum

induſtriam fefellerint, inſolubiles venditaſſe. Intererat autem, ut contra eas diceret, qui eodem ſtudio difficillimis ſatisfacit, quo alii in facillimis utuntur; cui aditus patet ad ea, a quo alii natura non admodum invida arcentur; quem denique divino munere nobis datum ſuſpiciunt docti & intelligentes exiſtimatores, ut abdita hactenus & a cognitione hominum remota in apricum producat. Illuſtri adeo *Leibnitio* reſervavit providentia divina, ut, quo maxime opus erat, tempore Theologorum Scholas eodem fulgore colluſtraret, quo Philoſophorum hactenus Lycea & Mathematicorum Acroateria pleniſſimo perfudit, vel hoc nomine dignus, cui in illis eadem præconia decernantur, quæ tam in his quam in iſtis & voluptati fuerunt hactenus & amori, eruntque per futura ſecula, quibus in divinæ ſapientiæ arcana admitti gaudebunt homines bona ſua in trutina nequaquam fallaci ſuſpendentes. Noſtrum eſt, ut prælibemus nectar, ſitim ardentiſſimam inopinata cum dulcedine reſtincturum.

In Præfatione igitur Vir illuſtris de vera pietatis ſolidæ indole diſcurrit, ad quam non minus veri cognitionem, quam virtutis praxin requirit. Veritatem vulgus in formulis fidei; virtutem in ceremoniis ex ejus ſententia nimium ponit. Ipſe utrumque adhiberi non improbat, modo formulæ fidei ſint veritati ſalutari conformes & ceremoniæ ad virtutis exercitium invitent. Gentiles obſervat ceremoniis ſolis contentos de dogmatibus ſacris publice ne cogitaſſe quidem, inter Hebræos tantum dogmatibus religionis publicis vigentibus. *Abrahamum* & *Moſen* articulum fidei de uno Deo omnium bonorum fonte, rerum omnium origine, urſiſſe: *Moſen* tamen doctrinam de immortalitate animarum, utut ejus menti conformem & per traditionem tunc temporis propagatam, legibus ſuis non admiſcuiſſe. *Chriſtum* denique religioni Moſaicæ complementum ſuperaddidiſſe & ſumma cum efficacia docuiſſe, animas immortales in vitam aliam migrare, præmium ſuarum actionum recepturas, prætereaque oſtendiſſe, bonitatem & juſtitiam divinam in eo potiſſimum elucere, quod Deus animabus præparat. Ipſum

adeo (etſi autoritate humana & armis non nitentem) religioni naturali autoritatem dogmatis publici dediſſe atque vigorem legis conciliaſſe. Eadem Theologiæ naturalis dogmata de Deo uno & immortalitate animæ ad nationes eas propagaſſe *Mahomedem* (etſi improba admiſcentem) ad quas Chriſtianiſmus non pervenit. Eſſe autem Chriſtianæ religionis ingenio & doctrinæ Salvatoris conſentaneum, ut Deus non tantum ſit objectum timoris ac venerationis, ſed & amoris atque voluptatis, quo felicitatis futuræ jam in hac vita habeatur præguſtus. Veram pietatem & felicitatem in amore Dei conſiſtere, ſed vero, adeoque lumine intellectus colluſtrato. Neque enim recte amari, qui non bene cognoſcatur. Ex hoc autem amore Dei boni publici ſtudium enaſci a gloriæ divinæ promotione non diverſum, nec ulla hominum ingratitudine, nec ullis obſtaculis quomodocunque poſitis interrumpendum. Præter divinam gratiam dotes naturales, bonam educationem, conſuetudinem cum hominibus virtute præditis ad veram pietatem acquirendam multum conferre; ſed maximum a bonis principiis ſubſidium expectandum. Lumen enim ardori jungendum, & a perfectionibus intellectus eſſe complementum perfectionum voluntatis. Finem igitur veræ religionis eo tendere, ut veritatum ſalutarium cognitione animi hominum imbuantur. Quamobrem jure reprehendit, quod pietatem & religionem alios edocturi de perfectionibus divinis ſubinde non ſatis inſtruantur, bonitatem & juſtitiam Dei male concipientes, dum Numen fingunt, quod nec amare, nec imitari convenit, atque ad potentiam irreſiſtibilem & deſpoticam recurrunt, ubi bonitatem ſupremam & potentiam ſapientiæ perfectæ regimini ſubditam deprædicare debebant. Has opiniones in notionibus libertatis, neceſſitatis, decreti non ſatis explicatis radicari: quarum adeo explicatio totius operis fundamentum abſolvit. Idque doctrinæ genus *Theodicææ* nomine appellavit, quo ſcilicet de jure Dei & divina juſtitia agitur. Monſtrat nimirum, *neceſſitatem abſolutam*, quam & *Logicam, Metaphyſicam, Geometricam* vocat, in actionibus liberis non reperiri;

reperiri; Deum ipſum continuo id quod optimum eſt eligentem ex neceſſitate minime abſoluta, ſed morali, Sapiente digna, agere; leges naturæ a Deo præſcriptas a convenientia pendere & ſic medium locum inter veritates Geometricas & decreta arbitraria tenere; & peccare tam *Spinoſam*, qui omnia ſurdæ & Geometricæ neceſſitati tribuit, quam Carteſianos quosdam, qui cum *Balio* pro divino arbitrio, nullo naturalis convenientiæ nexu, fieri putant, ut certæ ſenſiones in anima certis qualitatibus corporis reſpondeant & corpora ipſa certas leges obſervent; quaſi Deus æque recte & commode quidvis aliud ſubſtituere potuiſſet. Docet deinde Autor, ut in divina, ita etiam in humana libertate indifferentiam quandam obſervari, cum a neceſſitate abſoluta & Geometrica etiam exemtæ ſint actiones noſtræ; nunquam tamen adeſſe indifferentiam perfecti æquilibrii, ſed ſemper inclinationem prævalentem. Ceterum actionibus liberis perfectam ineſſe ſpontaneitatem, majorem ea, quam hucusque conceperunt; neceſſitatem autem hypotheticam & moralem, quæ in actionibus liberis reſtat, adeo nil inconvenientiæ habere, ut potius omnem libertatis perfectionem laudemque conſtituant. Docetur etiam, quomodo fieri poſſit, ut omnia a Deo pendeant, ut ad omnes creaturarum actiones concurrat, ut creaturas continuo producat, nec tamen autor peccati exiſtat; quomodo diverſa a voluntate Numinis ſit mali origo & quod bene aſſeratur, Deum non velle, ſed ſaltem permittere mala culpæ. Deum permittere peccatum & miſeriam, immo ad utrumque concurrere ſine præjudicio ſanctitatis & bonitatis ſupremæ, utut abſolute loquendo omnia iſta mala evitare potuiſſet; ſed minora in ſumma rerum perfectione, quam eligi Deo non conveniebat. Nos quidem non converti niſi per gratiam Dei prævenientem & ſine ejus aſſiſtentia nil boni facere poſſe; interim tamen aliquid a nobis conferri, ſed quod in noſtris limitationibus imperfectionibusque conſiſtat, cum omnis perfectio a Deo patre luminum oriatur. Deum velle ſalutem omnium hominum & non damnare niſi homines malæ voluntatis, omni-

bus ſuppeditare gratiam ſufficientem; electionem intuitu fidei finalis factam eſſe, utut fides ipſa ſit donum Dei & ad ſalutem electi ob fidem etiam prædeſtinati ſint ad fidem per rationes decreti ſuperioris, quo œconomiam mediorum ſalutis externorum & circumſtantias ſecundam βάθος divinæ ſapientiæ, id eſt, univerſalem rerum harmoniam quam optime diſpenſari conſtat: quæ merito a *Luthero* & aliis Theologis noſtris ad Deum abſconditum referuntur &, cum infinitum involvant, a nobis diſtincte exponi non poſſunt.

Ut vero omnia rectius intelligantur, *Diſcurſum de conformitate fidei cum ratione* præmittit ingenioſiſſimus Autor, in quo multa reperies alibi non dicta, quamvis idem argumentum plurimorum virorum doctorum ingenia jam exercuerit. Supponit autem, 1 veritatem non poſſe contradicere veritati; 2 objectum fidei eſſe veritatem a Deo extraordinario modo revelatam; 3 *rationem* eſſe concatenationem earum veritatum, quæ ſine lumine fidei cognoſci poſſunt. *Veritates* rationis in *æternas* & *poſitivas* diſtinguit. Illæ ſunt, quarum oppoſitum contradictionem involvit; hæ vero ſunt leges a Deo naturæ datæ quæque ab his legibus pendent. Veritates poſitivæ innoteſcunt vel *a poſteriori*, per experientiam ſcilicet; vel *a priori*, per rationem, hoc eſt, per conſiderationes convenientiæ, ob quam a Deo ſunt electæ. Quoniam itaque Deus libere elegit, *neceſſitas phyſica* pendet a *neceſſitate morali*, in ſapientia radicata. Utraque autem neceſſitas, tam phyſica, quam moralis, a Geometrica diſtinguenda. Neceſſitas phyſica ordinem naturæ conſtituit & in regulis motus conſiſtit, aliiſque quibusdam legibus generalibus, quas Deo rebus ferre placuit, dum iis eſſentiam eſt largitus. Cum ergo libere, utut non ſine ratione, haſce leges elegerit Deus, circa eas diſpenſare atque hinc producere poteſt, quod naturæ ipſorum non convenit: qualis effectus *miraculum* vocatur. Veritates contra æternæ, quales Geometricæ exiſtunt, indiſpenſabilis ſunt neceſſitatis. Quare ſi neceſſitas phyſica aut moralis cum Geometrica confundatur, veritates philoſophicæ theologicis contradicere videntur.

Digitized by Google

dentur. Hæc origo omnium dubiorum circa religionem naturalem & Chriſtianam hactenus ortorum. Confundunt præterea, qui Philoſophiam Theologiæ committunt, notiones a ſe prorſus diverſas alias, nempe *explicationis*, *comprehenſionis*, *probationis* & *defenſionis*; id quod ipſe *Balius* facit. Myſteria *explicari* poſſe, concedit illuſtris *Leibnitius*, quantum nimirum ad fidem ſufficit, at non *comprehendi:* eadem *defendi* poſſe largitur contra objectiones, at non *probari* per rationes ſeu a priori, ſecus enim comprehenderentur. Poſtquam hiſtoriam de quæſtione, utrum Theologia fidei contraria nec ne, recenſuit, inter alia obſervans, *Lutherum* per Philoſophiam aliquando intelligere, quod ordinario curſui naturæ conforme, immo quod tunc temporis in ſcholis docebatur; phraſes illas eſſe *contra rationem* & eſſe *ſupra rationem* diſtincte explicat. Contra rationem ſcilicet eſſe dicitur, quod veritatibus æternis; ſupra rationem vero, quod poſitivis repugnat & cujus nullum habemus nec nanciſci poſſumus comprehenſivum conceptum, qualia ſunt S. Trinitas, miracula, electio ordinis univerſi. Mox demonſtrat, a veritate alienum eſſe *Balium* aſſerentem, contra veritatem objectiones inſolubiles afferri poſſe. Etenim objectio eſt argumentum, cujus concluſio theſi contradicit. Quod ſi invincibile fuerit, demonſtratio erit. Theſis ergo, cui contradicit, falſa. Neque vero difficilem arbitratur objectionum quarumcunque ſolutionem, cum Logica *Ariſtotelis* (ſine ratione a vulgo eruditorum hodie ſpreta) media infallibilia in objectionibus examinandis errori reſiſtendi ſuppeditet: quamvis lubenter concedat, artem conjectandi non æque ac artem demonſtrandi in ea tradi. Equidem ubi demonſtratio adfuerit, non neceſſariam eſſe ſtatuit objectionum, quæ fieri poſſunt, examinationem, & oppoſiti formidinem fruſtraneam eſſe minimeque adeo conſervandam; objectionum tamen examen propria experientia edoctus ad magis illuſtrandam veritatem admodum proficuum reputat, ſiquidem ingenioſæ fuerint. Porro ut in examine objectionum rationem rectam a corrupta, hoc eſt, catenam verita-

Digitized by Google

tum a mixtura præjudiciorum & paſſionum diſcernas, non alio criterio, nec alio judice opus eſſe arbitratur, niſi ut nulla theſis ſine probatione, nulla vero probatio admittatur, quæ in forma bona non ſit ſecundum regulas Logicæ maxime vulgares. Ex hactenus dictis non modo apparet, illuſtrem *Leibnitium* negare, quod Philoſophia Theologiæ contradicat; ſed etiam fontes indicare ſolutionum, ad quos in objectionibus trutinandis recurrendum. Multa etiam inſpergit ad hiſtoriam hujus controverſiæ de conformitate fidei & rationis facientia, & variis *Baelii* difficultatibus per opera ejus diſperſis ſatisfacit. Inter alia ad difficultatem de ſenſuum deceptionibus reſpondet, non proprie ſenſus externos falli aut fallere, ſed ſenſum communem & rationem; nec veritatem, ſed phænomena promitti a ſenſibus; nec ab imperfectione ſemper ſenſuum, ſed interdum a perfectiſſimo ſenſu res aliter exhiberi debere, quam ſint, veluti cum circulus oblique ſpectatus in ovalis ſpeciem transformatur. Explicat etiam verum *diſcrimen* inter rationem humanam & id quod ei analogum eſt in brutis, nuſpiam hactenus diſtincte compoſitum.

Hiſce præmiſſis in Parte prima operis ad difficultates ſigillatim enodandas progreditur, quas contra religionem nonnulli faceſſere ſolent non ſine aliqua veritatis ſpecie. Primæ quidem originem mali concernunt, tam phyſici, quam moralis. In eam igitur inquiſiturus de Dei exiſtentia & perfectionibus nonnulla præmittit. Scilicet cum mundus ſit congeries mere contingentium, materia ad motus, figuras & ordinem quemlibet indifferente; ratio, cur talis ſit, extra ipſum quærenda eſt, adeoque a ſe eſſe nequit. Datur igitur ens a ſe aliud, cauſa mundi, idque intelligens & volens, propterea quod ex pluribus mundis æque poſſibilibus unum eligit. Eſt vero idem ens abſolute potens & ſapiens, quoniam ejus potentia & ſapientia ad omnia poſſibilia extenditur. Eſt præterea ſumme bonum: mundum enim optimum elegit, quoniam dari debet ratio electionis. Eſt denique numero unicum, quoniam in mundo omnia inter ſe cohærent. Enimvero

vero quia optimum Deus elegit, hinc ex effectu colligitur, mundum, qui ſine peccato foret, fore aliunde deteriorem noſtro. Permiſſio igitur peccati ſapientiæ divinæ non repugnat, & mala phyſica multo minus. Utut autem a priori demonſtrari nequeat, mundum hunc, in quo dantur mala phyſica & moralia, eſſe iis meliorem, a quibus abſint, intellectu finito infinitam omnium poſſibilium ſcientiam non capiente; aliquo tamen modo adumbrari & illuſtrari poteſt. Rectius ſentiuntur bona malis permixta: nec malorum cumulus bona ſuperare credendus, cum exigua pars univerſi vel, ſi mavis, civitatis Dei nobis nota ſit, & exigua mali ſpecimina ſufficiant ad utilitatem, quam bonum capit ex malo. Nihil prohibet etiam fixas innumeras incoli a creaturis felicibus & in ſpatiis cœlum ſtellatum ambientibus bona abundare. Quærenda autem eſt origo mali in natura ideali creaturæ, quatenus in veritatibus æternis ut poſſibilis includitur, quæ independenter a voluntate Numinis in ejus intellectu exiſtunt. In creatura enim eſſentialiter limitata imperfectio quædam originalis ante peccatum datur: unde eſt, quod non omnia ſciat & hinc ſe fallere poſſit. Hæc regio veritatum æternarum eſt cauſa idealis mali; phyſica vero poſitiva ſeu efficiens nulla datur, ſed potius deficiens, formali quippe mali ratione in privatione conſiſtente. Eſt itaque malum licet non neceſſarium, poſſibile tamen & quia mundum etiam poſſibilium optimum ingreditur, Deus ad id admittendum per ſuam ſapientiam determinatus fuit. Ut vero rectius intelligatur, quomodo Deus malum velit vel permittat, tenendum eſt, voluntatem conſiſtere in inclinatione ad aliquid faciendum pro ratione boni, quod includit. Tendit adeo voluntas antecedens ſeu prævia ad omnia bona pro cujusque gradu, conſequens vero voluntas ſeu decretoria ex conflictu omnium antecedentium voluntatum reſultat. Malum morale Deus prorſus non vult, phyſicum non vult abſolute, ſed interdum tanquam pœnam culpæ debitum, interdum tanquam medium ad finem quendam conſequendum aptum. Malum morale non admittitur, niſi quatenus

ſpecta-

ſpectatur ut neceſſarium conſequens officii indiſpenſabilis. Et hoc Autor generale principium permittendi mali ſtatuit commune Deo vel alteri ſubſtantiæ rationali, ut tum demum permittatur peccatum alienum, cum non poteſt excludi ſine proprii officii violatione, ejus nempe quod quis vel aliis, vel ſibi debet. Recte igitur Theologis Scholaſticis Deus eſt cauſa ejus, quod eſt materiale in peccato, non autem ipſius formalis peccati, id eſt poſitivi, non privativi. Omnis nempe perfectio a Deo; imperfectiones vero & defectus operationum ſunt a limitatione creaturarum originali. Exempli cauſa voluntas hominis generatim appetit bona & voluntas oritur ex ſenſu perfectionis. Sed ſi in ſenſuum externorum voluptate, quæ confuſa eſt, acquieſcamus, nec ultra progrediamur ad diſtinctas voluptates, quas lucida veritatis perceptio & naſcens inde virtus comitatur; ex hoc defectu progreſſus ulterioris malum morale enaſcitur. Deus dat conatum animæ ad bona, ſed ipſa per ſuas imperfectiones ad limites huic conatui præſcribendos determinatur, uti flumen navem onerariam deferens dat ei impetum, ſed qui ab onere tardatur, ut navis tardius procedat, quam ſi minus onerata foret. Materiale ergo ſeu poſitivum motus vel ipſa velocitas a flumine eſt, formale tarditatis ſeu limitatio ab onere ſeu inertia materiæ, quam primus *Keplerus* eleganter obſervavit. Vidimus hactenus originem mali non pugnare cum attributis divinis. Conſideremus nunc porro, quomodo difficultates circa libertatem hominis & contingentiam rerum ortas tollat illuſtris Autor.

Statuit nempe, liberam eſſe animam non modo a coactione, ſed etiam a neceſſitate, Geometrica ſcilicet. Nequaquam tamen largitur libertatem in indifferentia perfecti æquilibrii conſiſtere, tum quod iſtiusmodi æquilibrium impoſſibile intelligatur, tum quod experientiæ repugnet: ſemper enim datur aliqua ratio, cur anima in hanc potius, quam aliam partem propendeat. Itaque omnes boni & graves autores ſemper ſtatuerunt, a boni malive impreſſione voluntatem ad agendum inclinari: fictitia autem æquilibrii indif-

ferentia

ferentia exemplo caret & in cerebro quorundam Scholaſticorum nata eſt, quaſi unquam contingat omnia intus extraque pro utraque parte ſe perfecte eodem modo habere. Sed etſi inclinatio ſemper adſit ad id quod agimus, ea tamen non eſt neceſſitas. Quamobrem actiones humanæ liberæ exiſtunt &, quæ iis tribui poteſt ſoletve, neceſſitatis ſpecies non eſt abſoluta, nec moralitati repugnans, cum actionum earum oppoſitum contradictionem minime involvat; verum hypothetica, quatenus eam Deus ut liberam prævidit. Neceſſitas autem abſoluta, non hypothetica contrariatur libertati & contingentiæ. Præſcientia divina veritati futurorum contingentium nil ſuperaddit, niſi quod cognoſcatur. Neque enim veritatem magis determinat; ſed e contrario prævidetur, quia eſt determinata & vera. *Determinatio* autem ſeu certitudo objectiva infallibilis a natura veritatis proficiſcitur, nec libertati præjudicium facit. Contingentia vero in eo conſiſtit, quod contrarium non involvat contradictionem. Nempe duo ratiocinandi dantur principia; alterum *contradictionis*, vi cujus ex duabus propoſitionibus contradictoriis altera vera eſt, altera falſa; alterum *rationis determinantis* vel *ſufficientis*, vi cujus nihil contingit, quod non habet cauſam aliquam ſeu rationem determinantem. Neceſſariæ veritates poſſunt probari a priori per ſolum principium identitatis ſeu contradictionis, & earum oppoſitum redigi poteſt ad abſurdum ſeu impoſſibile. Contingentes vero veritates pendent ex principio rationis ſufficientis & oppoſitum earum eſt inconveniens. Semper ideo ratio aliqua prævalet, quæ voluntatem ad electionem determinat; ſed ut conſervetur libertas, ſufficit quod ſaltem inclinet, non neceſſitet. Ita Deus eligit quidem optimum, ſed ad electionem non cogitur, neque ex parte objecti ulla eſt neceſſitas, quoniam alia rerum ſeries æque eſt poſſibilis. Electio itaque libera eſt & a neceſſitate independens, quia fit inter plura poſſibilia, & voluntas non determinatur niſi per bonitatem objecti prævalentem. Similiter ſe res habet cum libertate hominis, ubi tamen non ſemper bonum verum, ſed ſæpe apparens prævalet. Interim quantus-

Q cunque

cunque ſit affectus, quantumcunque præjudicium, ſemper tamen reſiſti poſſet, ſi quis viribus, quas habet, recte uteretur. Datur autem ſemper *prædeterminatio* quædam in ſtatu præcedente creaturæ liberæ, quæ ad ipſam ad ſe determinandum inclinat, alioqui nulla *ratio ſufficiens* eventus daretur. Neque vero aut hæc prædeterminatio, aut decretum Dei rerum contingentiæ & libertati contrariatur, quoniam decretum hoc Dei nihil aliud eſt, quam voluntas producendi hunc mundum, omnem præteritorum, præſentium & futurorum ſeriem complexum, quem ex innumeris poſſibilibus optimum invenit & in cujus ſtatu poſſibili ſeu ideali omnia jam videt, qualia ſunt eruntque, libera nempe & contingentia, ita ut tantum accedat divinum verbum *Fiat*. Ita nonniſi unum decretum concipitur pro toto hoc univerſo, neque magis hoc modo divina providentia ſeu præordinatio, quam præſcientia libertati & contingentiæ præjudicium facit, cum providentia poſſibilitati ſeriei tantum addat approbationem, præſcientia autem ex hac ipſa decretoria approbatione naſcatur. Revera enim Dei præſcientia ex ipſius decreto univerſali pendet. Licet autem jam nihil ſtante ſapientia divina in mundo mutari poſſit, cum in Deo errori & pœnitentiæ locus non ſit; non tamen inde ſequitur, Deum non poſſe miracula patrare, aut preces, vota, merita, demerita eſſe inutilia. Etenim hæc omnia fuere ante Deum præſentia & in ſerie univerſi eligenda jam contenta, antequam eorum exiſtentiam decerneret, & idealiter jam tum valuere Deumque ad decernendum pro parte ſua moverunt, uti poſtea actu ipſo movent ad decreti executionem. Nam talia omnia repræſentata ſunt, qualia nunc actu exiſtunt. In ſumma quatuor objiciuntur contingentiæ, adeoque libertati, 1 futuritio, ſeu futurorum contingentium determinata veritas, 2 præſcientia Dei, 3 præordinatio. His jam ſatisfactum eſt & oſtenſum, tantum hinc probari poſſe, res eſſe determinatas ſive certas vel infallibiles, ſed non ideo eſſe abſolute neceſſarias. Quartum, quod objicitur, eſt dependentia effectus ex cauſis. At illa quoque non eſt abſolutæ neceſſitatis, ſed tantum inclinans. Et

tantum

Digitized by Google

tantum abeſt, ut hic nexus fatum abſurdum, ſeu Turcicum faciat, ut potius tollat, & remedium contra ipſum, & a fato Chriſtiano diſcrimen ſuppeditet. Fati enim abſurdi hoc proprium eſt, ut effectum divellat a cauſa, tanquam proditurus ſit abſoluta quadam neceſſitate, quicquid agas aut non agas. Hinc Turcis attribuitur, quod hominem morti ex peſte deſtinatum peſte moriturum putant, ſive evitet contagium ſive non, quod abſurdum eſt. Nam qui providetur peſte obiturus, etiam prævidetur cauſas ad peſtem ducentes non evitaturus, nempe ut Germanico proverbio recte dicitur: mors vult habere cauſam. Itaque ſi quis peſte moritur, ſi quis damnatur &c. hoc fit, non quicquid agat aut non agat, ſed quia contagium non evitat, quia impœnitens decedit &c. Fatum igitur Chriſtiamum & rationi conveniens monet, ut qui bonum quærit, qui malum fugit, ſciat eſſe ſibi expetendas boni, vitandas mali cauſas, quia nihil niſi per cauſas conſentaneas exiſtit. Hac occaſione ſyſtema ſuum harmoniæ præſtabilitæ attingit Autor, quod univerſalem rerum nexum oſtendit, de quo nonnihil dictum eſt alibi in his Actis. Concedit *Hobbio* & aliis neceſſitatem abſolutam defendentibus, ſi (per impoſſibile) actiones humanæ abſolute neceſſariæ forent, non ideo omnino pœnas & præmia ſublatum iri: nam etiam pœnas medicinales, quæ tendunt ad emendationem & exemplum, fore neceſſarias & præmia itidem. Sed hinc tamen non ſequitur, eas pœnas locum habituras, quæ (ſecluſa omni emendatione & exemplo) ex vi juſtitiæ vindicativæ oriuntur & quas convenientia rerum ſapienti extorquet. Sed talis abſoluta actionum humanarum neceſſitas ſine fundamento ab *Hobbio* & *Spinoſa* poſt antiquos nonnullos fingitur, nec cum natura rerum conſiſtere poteſt. Tantum hac vice, reliqua proxime.

SYNTAGMA THEOLOGICO-PHYSICO-Metaphyſicum; Autore RUARDO ANDALA, *Philoſophiæ Doctore & Profeſſore.*

Franequeræ, apud Wibium Bleck, 1711, 4.
Alph. 4 plag. 14.

COmmendavimus Cl. Autoris in illuſtranda Philoſophia Carteſiana ſtudium, cum in Actis A. 1709 p. 132 & ſeqq. Exercitationes ejus in Philoſophiam primam & naturalem recenſeremus. Sed nova commendatione opus eſt, poſtquam Syntagma ipſius Theologico-Phyſico-Metaphyſicum prodiit. Neque enim ſolum Theologiam naturalem, a *Carteſio* breviter admodum traditam, fuſius explicat, veſtigiis tamen Philoſophi inſiſtens; ſed ad ipſum etiam ejus textum facilius intelligendum manuducit & nobiliora quædam argumenta data opera pertractat. Complectitur nimirum opus eruditum 1 Compendium Theologiæ naturalis, 2 paraphraſin in principia philoſophiæ *Carteſii*, 3 diſſertationum philoſophicarum heptada.

Theologia naturalis quatuor Partibus abſolvitur. Prima de exiſtentia Dei tractat. Poſtquam enim Cl. Autor cognitionem Dei innatam, tum ex propria experientia & conſcientiæ dictatis, tum ex conſenſu gentium, tum ex opinionis hujus conſtantia probavit, indeque collegit, haud dari Atheos, qui totali & finali exſtirpatione omnem Numinis cognitionem animis ſuis eradicarunt; cum *Carteſio* primum ex notione Entis perfectiſſimi exiſtentiam ejus infert, deinde ad eam ulterius confirmandam argumentis ab idea Dei, ab exiſtentia mentis, a conſcientia, a conſideratione finium in fabrica corporis humani, ab unione mentis cum corpore, cujus non alia niſi Deus cauſa eſſe poteſt, a viſu, auditu, loquela, tactu, guſtu & odoratu, a productione ac conſervatione mundi, a motu nec ex corporis natura, nec a mente finita procedente, ex contemplatione Solis, fixarum, planetarum ac cœlorum, ex meteoris, a magnitudine & ſtabilitate Telluris, a varietate corporum tam animatorum, quam inanimatorum petitis utitur. In Parte ſecunda eſſentiam atque perfectiones Dei contemplatur. Illam cum *Carteſio* in perfectisſima cogitatione conſiſtere affirmat, quia perfectiſſima cogitatio complectitur, quicquid in Deo eſt, & nihil in eo præter cogitatio-

gitatio-

gitationem ſumme perfectam concipimus. Variis attributorum diviſionibus in propria & metaphorica, poſitiva & negativa, communicabilia & incommunicabilia, abſoluta & relativa &c. explicatis, de aſeitate ac independentia agit, quam Deo competere, ex notione entis perfectiſſimi, ex neceſſaria ejus exiſtentia, ex abſurditate progreſſus in infinitum in ſubordinatione cauſarum probat. Iisdem rationibus nititur Dei primitas & æternitas, & de eodem negatur omnis momentorum ſucceſſio. Infinitatem Dei ex ejus idea, notione ſumme perfectæ cogitationis, aſeitate, independentia, omnipotentia, beatitate, acquieſcentia, dependentia rerum omnium aliarum ab ipſo infert, indeque porro incomprehenſibilitatem, immutabilitatem & ex hac ſimplicitatem, ex ſimplicitate tandem unitatem colligit. Vitam Deo tribuit perfectiſſimam, hoc eſt, eſſentiam actuoſam vi intellectus & voluntatis, cujus utriusque conſiderat objecta, modum, diviſionem & attributa. Illius attributa facit intelligentiam, ſcientiam, ſapientiam, omniſcientiam, præſcientiam; hujus libertatem tam ſpontaneitatis, quam indifferentiæ, potentiam & poteſtatem ſeu ſupremum Dei dominium & omnipræſentiam. Ideas rerum a voluntate divina, non ab intellectu derivat, quod Deus ſolus neceſſariam habeat exiſtentiam, ſolus independens & a ſe, nec intellectus, nec voluntas Dei ab iis pendeat, *Poiretum* ſecutus, cum quo defendit, minime hinc fluere, quod aliter ſe habere non potuerint. Tandem veracitatem, bonitatem, ſanctitatem & juſtitiam Dei conſiderat, una cum beatitate & gloria Dei, & Theologiam naturalem inſufficientem eſſe probat ad ſalutem peccatoris, quod nec perfectiones Dei in ordine ad ſalutem peccatoris, nec Dei nomen, quatenus ad ſalutem cognoſci debet, nec Trinitatem perſonarum doceat. Parte tertia de operibus Dei internis & externis agitur. Interna ſunt ipſius decreta, quæ libera, æterna, immutabilia, efficacia, ampla, & in ſe ſpectata pro unico habenda. Externa ſunt creatio & providentia divina. Creatione mundi ſtabilita, totum creandi proceſſum ex Scriptura repetit, ac *Carteſii* coſmogoniam approbat. Circa providentiam divinam more

Digitized by Google

conſueto conſervationem, concurſum & gubernationem expendit. Creaturas revera agere; Deum tamen infinita virtute ſua ipſam creaturæ operationem efficere & ad operationem effectum ipſum ſiſtere aſſeritur. Et in ſpecie actus peccaminoſos, quatenus phyſici, a Deo effici atque ad fines ipſo dignos, nobis vero ſæpe occultos, dirigi; omnem vero culpam in creaturas rejici. Pars denique quarta practica eſt: in ea enim de religione agitur & officia tam erga Deum, quam nos ipſos & proximum recenſentur. Poſtquam nimirum in facultates hominis & ejus ad Deum relationem inquiſivit; ex hac conſideratione principia & cauſas religionis naturalis eruit. Summum hominis bonum ipſum Deum eſſe ſtatuit, quia omnium rerum creator & prima omnis realitatis cauſa, quia ſumme perfectus, quia cognitio Dei tam innata, quam acquiſita nos ad Deum ducunt tanquam ſummum bonum. Actus religionis naturalis tres conſtituit, nempe verum de Deo ſenſum, congruum in ipſum affectum & ſtudium faciendi, quod Deo gratum eſt. Objecta virtutis interna numerat actiones morales, affectus & habitus cum innatos, tum acquiſitos; externa vero bona & mala hujus vitæ. Qua occaſione data non affectuum modo naturam, ſed virtutis etiam indolem declarat. Eſt autem ipſi virtus ſtudium agendi, quicquid laudabile & honeſtum eſt, atque cum recta ratione convenit. Virtutes cardinales ipſi ſunt diligentia, obedientia, juſtitia & humilitas; particulares vero pietas, fortitudo, temperantia & æquitas. Præmia religionis & virtutum in hac vita commemorat amicitiam cum bonis, dignitatem, felicitatem civilem, amicitiam cum Deo, pacem animi, ipſam virtutem & tandem veram atque æternam vitæ futuræ felicitatem. Epilogi loco monſtratur, quomodo Theologia naturalis ad Scripturam Sacram nos manuducat.

Paraphraſin principiorum Philoſophiæ *Carteſii* in gratiam tyronum edidit, quibus ipſam textus Philoſophi lectionem proficuam fore judicat. Cum Philoſophia enim experimentali ſyſtematicam conjungendam eſſe cenſet, quam ex *Carteſii* principiis optime hauriri arbitratur. Breviter autem

in

in hac paraphraſi attingit, quorum uberior tractatio in Exercitationibus ſupra laudatis occurrit. Non ſtricte iis inhæret, quæ Philoſophus habet; ſed alia hinc inde ſuperaddit, in nonnullis ipſum quoque redarguit, e. gr. quod motum reciprocum finxerit, cauſam duritiei a quiete derivaverit, mundum indefinitum dixerit. Regulas motus omiſit, quod eas nullius in Phyſicis uſus judicet. Gravitatis cauſam non a motu circulari ipſius vorticis, ſed ab alio motu citiſſimo & rapidiſſimo materiæ ſubtilis circa terræ centrum ejusq; conatu ad recedendum ab eodem derivat. Ceterum paraphraſi ſubjungit ephemerides obſervationum meteorologicarum a 7 Id. Octobr. A. 1709 usque ad menſem Julium A. 1710, quibus nonnulla de barometro & thermometro præmittit una cum 9 regulis, juxta quas de tempeſtate futura judicium fieri poteſt ex obſervato Mercurii in barometro aſcenſu & deſcenſu.

Diſſertationum Philoſophicarum prima argumentum pro exiſtentia Dei a priore, jam olim a D. *Thoma* reprobatum, a *Carteſio* vero renovatum, contra Cl. *de Vries & Roellium* propugnat, & non hunc modo, ſed ipſum etiam Cl. *de Volder* reprehendit, quod Philoſophi mentem non ſatis perceperit. Diſſertationes quinque ſequentes oppoſitæ ſunt potiſſimum Cl. *Clerico*, quia pleraque circa mentem humanam dubia reddere anniſus. Defendit nimirum cum *Carteſio*, mentis eſſentiam in cogitatione conſiſtere, eam eſſe realiter a corpore diſtinctam, unionem ipſius cum corpore abſolvi mutua actionum & paſſionum communione & communicatione, naturæ utriusque convenienter, libertatem non perfectam requirere indifferentiam, quam ſoli Deo tribuit; immortalitatem a Dei voluntate pendere. Diſſertatione denique ultima fluiditatem a particularum disjunctarum & ſubtilium varia agitatione, duritiem a partium craſſiorum nexu & quiete, non autem ab hac ſola derivat. Tribuit etiam aliquid quoad poſteriorem compreſſioni a materia ſubtili profectæ.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE &c.

i. e.

NOVÆ BIBLIOTHECÆ SCRIPTORUM Eccleſiaſticorum Tomus XV; Autore LUDOVICO ELLIES DU PIN, *Doctore Theol. Pariſ. & Prof. Regio. Editio Secunda.*

Amſtelodami, apud Petrum Humbertum, 1710, 4.
Alph. 2 pl. 14 $\frac{1}{2}$.

CElcberrimus Autor cum ſæculi ſexti decimi hiſtoriam Eccleſiaſticam quatuor libris, vel, ut ipſe vocare maluit, capitibus perſequendam ſuſcepiſſet, priora duo Tomis XIII & XIV Bibliothecæ ſuæ Scriptorum Eccleſiaſticorum (a nobis Anno 1703 p. 202 & 253 recenſitis) complexus, jam duo poſteriora cum eruditis communicat. Capite igitur tertio hiſtoriam Tridentini Concilii diligentiſſime pertractat, non ſatis habens, decreta ejus recenſuiſſe, ſed ſingula ſcitu digna, quæ ibi contigerunt, mira ſolertia ex monumentis & hiſtoricis fide dignis ob oculos ponens. Cum autem duo in primis nobiles ſint hujus Concilii Scriptores, Paulus Venetus, & Cardinalis Pallavicinus, permirum Pinio videtur, eos, diverſiſſimo ac plane contrario conſilio ad ſcribendum incitatos, tamen ordinarie eadem narraſſe, & alterum inde Pontificis auctoritatem ſtabilitum, alterum deminutum iviſſe. Sic exempli gratia, uterque tradit, Pontificem ejusque legatos præcipua polluiſſe autoritate in iſto Concilio. Verum Paulus eo id affert, ut manifeſtum reddatur, Concilium non fuiſſe liberum: Pallavicinus contra ex eo demonſtrare nititur Pontificis ſupra Concilium poteſtatem. Hujus autem Concilii uberrimæ deſcriptioni Autor noſter adjunxit & immiſcuit cetera, quæ in idem temporis intervallum inciderunt. Unde hic & legas hiſtoriam libri *Interim*, Mutationem Religionis in Anglia ſub Eduardo VI, Maria & Eliſabetha, item in Gallia, qua occaſione multis agit de Poſſiacenſi colloquio, & bellis cum Hugonotis geſtis. Denique Capite IV hiſtoriam religionis inde a finito Concilio Tridentino pertexit ad finem usque totius ſæculi. Nimirum Pontificibus primum ordine §. 1 deſcriptis, tumultus in Gallia religionis cauſa excitatos

citatos ad Nannetenſe usque Edictum §. 2 enarrat, §. 3 Belgicos motus, & §. 4, quæ in Germania de religione acta ſunt, perſequitur. Qua ratione Lutheraniſmus & Calviniſmus radices in Hungaria, Transſylvania, Polonia, Suecia & Dania egerint, §. 5 commemorat, addens bellum Ducis Sabaudi cum Valdenſibus, & Calvinianorum ex Neapolitano Regno ejectionem. Hinc §. 6 hiſtoria Sociniaiſmi pertractata, §. 7 ſtatum religionis in Britannia, Eliſabetha & Maria Scotica regnantibus, exponit. Concilia Provincialia, cum in aliis regionibus, tum maxime in Gallia celebrata, §. 7 recenſet, adjungens §. 8 omnes Cleri Gallicani conventus ad finem usque ſæculi ab anno 1561 habitos. Cumque §. 9 Cenſuras Facultatis Theologicæ Pariſinæ propoſuiſſet ordine, tandem §. 10 de Ordinibus Sacris hoc tempore vel inſtitutis vel ſuppreſſis ita agit, ut plurimum curæ impendat hiſtoriæ Ordinis Jeſuitarum. Nos ex tam uberi ſegete aliquod faciemus ſpicilegium, notatu quædam digna more noſtro allaturi. Ubi primum animadvertimus, Pinium cum cura annotaſſe, Legatos Papæ in Concilio a ſolo Pontificis nutu pependiſſe, nec quidquam decernere auſos prius fuiſſe, quam Roma mandatum per litteras expetitum accepiſſent. Hinc lectu perjucundum eſt, quam hæſitent Legati illi, ubi ex tempore aliquid definiendum ſe offert, quamque aſtute cauſas inveniant, deciſionem aliud in tempus differendi. Idem noſter Autor ex MSto fide p. 24, 25.
digno refert, quantus in quinta ſeſſione fuerit Epiſcoporum diſſenſus circa decretum de immaculata conceptione Mariæ, & obſervat, articulum hunc in antiquis editionibus priorum ſex ſeſſionum hujus Concilii non reperiri, ſed demum inſertum fuiſſe decretis Concilii ſub Pio IV impreſſis in editione Concilii Romana, quam hic Papa curaverit, & ab eo inde tempore deprehendi in editionibus omnibus. Nec minus memoria digna eſt contentio Epiſcopi de la Cava, juſtifica- 34.
tionem & ſalutem ſoli fidei attribuentis, ſpemque & caritatem non pro cauſis juſtificationis, ſed pro individuis fidei ſatellitibus & comitibus habentis. Qui idem cum alio tem- 36.
pore multos libros ſecum attuliſſet ad confirmandam ſuam

ſententiam, accidit, ut Dionyſius Zannetinus, Epiſcopus de Chiron, profiteretur, ſe in proxima Congregatione omnia ab Epiſcopo de la Cava dicta confutaturum, eique ſuam ignorantiam cum pertinacia conjunctam demonſtraturum eſſe. Unde Epiſcopus de la Cava ira percitus in Zannetini barbam
p. 37. involavit, piloſque ei inde evellit. Is vero ob facinus hoc in carcerem conjectus, ac tandem a Cardinali Montano Pontificis nomine abſolutus eſt ea ſub conditione, ut rediret ſuam in
165. diœceſin, & poſthac a Concilio abeſſet. Occaſione ita ferente alio loco etiam Bezæ vita breviter deſcribitur, eique encomium tribuitur viri excellenti ingenio politiſque moribus
193 ſeq. præditi: copioſius autem vita Andreæ Dudithii. Gallorum libertatem & in hoc concilio ſui documenta reliquiſſe poſteris, vel ex eo patet, quod, cum in aliqua congregatione Verdunenſis Epiſcopus quædam ſatis dura proferret in Romanam
308. Curiam, ac Vanzius, Epiſcopus Urbevetanus (*d' Orviete*) ei reſponderet his verbis: *Nimium cantavit Gallus*; Petrus Daneſius, Epiſcopus Vaurenſis, alta voce exclamavit: *Utinam ad hujus Galli cantum reſipiſceret Petrus, & fleret amare!*
377. Notatur hic etiam, quantopere deliberatum Romæ ſit de Concilii hujus confirmatione, aliis Cardinalibus eam plane fieri nolentibus, aliis tantum decreta de fide confirmanda cenſentibus, omiſſis de reformatione decretis, aliis a confirmatione excipientibus quædam capita, quæ Epiſcopis nimium autoritatis concedere videbantur. Tandem vero Cardinalium omnium impetrato conſenſu Concilium ſimpliciter & ſine ulla exceptione fuit confirmatum A. 1564, d. 26
379. ſeq. Januarii. Fruſtra autem fuerunt quicunque ſive Papæ ſive Cleri Gallicani conatus, ad Tridentini Concilii in Gallia receptionem adhibiti. Meminit quidem Petrus de Marca Edicti cujusdam Regii A. 1597 eam in rem editi, quo juſſum ſit Concilium Tridentinum recipi in rebus fidei, non in rebus ad diſciplinam pertinentibus. Sed Pinius negat, illud Edictum exſtare, addens, nullum ejus temporis ſcriptorem feciſſe illius mentionem. Cur autem in Gallia non receptum
381. ſit hoc Concilium, duas Noſter producit cauſas. Prima eſt, quod

quod quædam in eo inſint Regis ac Magiſtratuum juribus adverſa. Id quod probaturus Pinius omnia ea Concilii capita adducit, in quibus Concilium ſibi aut Epiſcopis tribuit autoritatem & jurisdictionem in bona vel homines. Altera eſt, quod illud Concilium ſubruere viſum eſt libertatis Eccleſiæ Gallicæ fundamenta, inter quæ has eſſe ſententias ait Noſter, quod Concilium ſit ſupra Papam, item quod ex antiquo more Epiſcopi Galliæ in Gallia ſint judicandi, nec permittendum, ut ſubjecti Regis trahantur in forum alienum,
& hujus generis alia. Ceterum ingenui animi eſt, cum Pi- p. 386.
nius fatetur, pacem cum Hugonotis A. 1570 factam crudeliſſima ratione violatam eſſe per lanienam illam A. 1572 die
S. Bartholomæi factam. Quando vero Henricum IV ad 390.
edendum Nannetenſe edictum coactum eſſe ſcribit neceſſitate malique majoris metu, & ita innuit, ſublata illa neceſſitate Regis obligationem quoque finem nactam eſſe, aliquid dediſſe videtur Pinius amori ſui Regis, a quo Edictum illud ſublatum fuiſſe, nemo neſcit & quam plurimi graviter queſti ſunt. Ex Cenſuris Theologicæ Facultatis duas
ſolum afferemus, quarum altera A. 1559 d. 16 Junii Commen- 429.
tarius Johannis Feri in Evangelium Matthæi plane ſupprimi
juſſus eſt, plenus ſcilicet hæreſium & errorum: altera A. 1571 431.
Theatrum Vitæ humanæ, a Theodoro Zuingero editum, damnatum eſt tanquam opus refertum plurimis hiſtoriis falſis Eccleſiæque injurioſis. Ceterum quod ab exteris ſcriptoribus ſubinde peccari ſæpius in his Actis notavimus, etiam Pinius errata aliquot in patriæ noſtræ hiſtoria admiſit, ut
cum nominat Academiam Wittebergenſem, Lipſienſem & 393.
Miſnicam, item Academias Jenenſem, Thuringicam, Brunſuicenſem, Halenſem & Mansfeldenſem. Sic Johannem Fridericum Ducem Saxo-Altenburgicum, rigidorum Lutheranorum patronum, Friderici Electoris Saxonici filium com-
memorat. Pari errore inter autores Formulæ Concordiæ 394.
refert *Comerum*, qui *Cornerus* vero nomine appellatus eſt. Co- 396.
lonienſem Archiepiſcopum, *Gebhardum Truchſeſium* vocat

Gebehardum Truſchs. Chriſtianum primum Electorem Saxoniæ dicit filium Friderici Electoris, & pro Lazaro Suendio meminit Lazari Simendæ. Sed hi quidem & alii hujus generis leves ſunt in tam pulchro corpore nævi habendi.

CORPORIS HUMANI ANATOMIÆ Liber primus, una cum Supplemento Anatomico ſive Anatomiæ corporis humani Libro ſecundo, in quo partium ſolidarum, Libro primo deſcriptarum, uſus & munia explicantur; Autore PHILIPPO VERHEYEN, in Univerſitate Lovanienſi Art. & Med. D. Anat. & Chirurg. Profeſſore Regio & ordinario.

Bruxellis, apud Fratres t' Serſtevens, 1710, 4.
Alph. 4 plag. 19 & Fig. Tabb. 46.

Quanto celebrius Anatomicos inter experientiſſimus Autor ex prima Anatomiæ ſuæ editione, Lovanii A. 1693 impreſſa & in Actis Menſe Octobri ejusdem anni a nobis recenſita, conſecutus fuit nomen, tanto ſolertiorem is operam, cum in Libro altero, quem de Functionibus promiſerat, abſolvendo, tum in Anatomia ipſa augenda, videtur impendiſſe. Dolendum unice, quod Clariſſimus noſter Anatomicus vitam cum morte citius commutare habuerit neceſſe, quam opus integrum typis exſcriptum prodiret, adeoque Præfationis novæ loco vitæ ipſius compendium nunc occurrat præfixum; ex quo potiora ſub finem Menſis ſuperioris retulimus. Nunc ad ipſum opus, quod præ manibus habemus, convertimur, cujus *Librum primum Anatomicum* ita perluſtrabimus, ut non tam de Capitum & Figurarum ænearum numero, quo ille multum præter Indicem capitum increvit, quam de controverſiis potius nonnullis interſperſis, atque obſervationibus novis, hinc inde in Capitibus & figuris occurrentibus, ſimus ſoliciti. Etenim quemadmodum de certarum partium ſubſtantia glandulosa cum *Ruyſchio*, & de corde ac fibris carneis cum *Vieuſſenio* quædam controvertuntur, ita imprimis circa

circa uterum, laryngem, naſum, & coſtarum muſculos ali-
qua etiam nova annotantur & delineantur. *Ruyſchio* nempe, p. 21.
cerebri corticem, renes, &c. ex glandularum claſſe proſcri-
benti, conceditur quidem, contextum iſtarum partium eſſe
totum vaſculoſum, negatur tamen, rectius inde inferri eun-
dem non eſſe glanduloſum, quam aliquot glandulas eſſe to-
tas vaſculoſas, etiamſi alia inſimul ſubſtantia admixta, quæ
vaſcula iſta fulciat, non temere conjiciatur. *Vieuſſens* pari- 127.
ter pro fermento cordis adſtruendo interiorem hujus mem-
branam contra Lovverum oſtendens perviam eo facilius pro-
batur, quo evidentius liquor vel flatus, in coronariam cor-
dis venam injectus per varia oſcula in ejusdem ventriculorum
& auricularum cavitates ſoleat erumpere. Idem nihilomi-
nus Autor porro auriculis cordis omnes denegans venas, fora-
minula interne a ductibus aliis, quam venis derivans, fer-
mentumque ſpeciale per iſtas vias advehi affirmans, oppido
repudiatur, quod plures venæ in utraque cordis auricula que-
ant demonſtrari, oſculorum dictorum cum venis conti-
nuatio ex allegata liquoris & flatus in venam coronariam in-
jectione pateſcat, fermentum vero a ſanguine diverſum hic
nondum habeatur evictum. *Vieuſſens* itidem ſanguinis cir- 181.
culum non modo per arterias atque venas, ſed & per fibras car-
neas cordis, uteri, ventriculi, &c. deducens ſine negotio ad-
mittitur, fibras vero tales carneas ideo vaſcula nerveo-lym-
phatica ſalutari & a contractionis munere removeri, maxime
improbatur. Ex utero virgineo aqua macerato, tum rugæ 145.
vaginæ fere transverſæ, minus tamen regulares, cum glandu-
lis nonnullis, tum muſculus cervicis conſtrictorius, tum in-
terna cervicis corpuſcula innuuntur ac figuris expri-
muntur, ultima vero hæc corpuſcula ſive veſiculæ pro glan-
dulis habentur, quam pariter de iis ſententiam *Morgagni* nunc
viſus eſt amplecti, nunc in medio denuo relinquere. In 188.
bobus duos epiglottidis Noſter reperiit muſculos, poſterius
& lateraliter a parte ſuperiori cartilaginis cricoidis enatos, in
baſi autem epiglottidis finientes hancque modo aliquatenus
deprimentes, modo ad latus ſaltem moventes, prout vel uter-

que, vel alteruter tantum eorum contraheretur. Sed præ-
p. 189. ter laryngis glandulas, quas Morgagni arytænoidæas ſalu-
tavit, longas & admodum graciles, alia glandula in parte
poſteriori a Noſtro fuit inventa, ſuperiori margini cartila-
ginis annularis duas inter cartilagines arytænoides incum-
256. bens, tituloque innominatæ in figura depicta. Naſo exter-
no Anatomici non niſi quinque adjudicarunt cartilagines,
usque *Ruyſchius in Epiſtola problematica octava* novem ea-
rum enumerans, utrinque inter ſupremam & infimam carti-
laginem duas minores oſtenderet & cum duabus illis ma-
joribus in figuris exhiberet, a nobis in *Actis* transſcriptis, cum
Epiſtolam illam *A. 1697 p. 385* recenſeremus. Quas Noſter
in homine bene naſuto indagans inter ſuperiorem ac inferio-
rem cartilaginem non tam duas, quam tres alias minores, ad-
eoque in univerſum undecim naſi cartilagines obſervavit, in-
que *Tabula 28* quinque utrinque laterales, una cum Ruy-
ſchianis, ideo figuris adumbravit, ut differentia non ſolum
intuitu numeri, ſed & magnitudinis atque figuræ appareret
inſignis, omnis interim diverſitas ſubjectorum magis impu-
taretur varietati, quam fidei Ruyſchii ſubleſtæ. Circa co-
349. ſtas demum quos muſculos Steno levatores harum appella-
vit, ii Noſtro audiunt ſupracoſtales, duplicis tamen generis,
breves alii, in coſta proxima inferiori deſinentes, alii longi in
altera coſta terminum obtinentes ac in thoracis potiſſimum
353. parte inferiori occurrentes. Antagoniſtæ vero ipſorum mu-
ſculi ſalutantur infracoſtales, intra thoracem, ab interna
facie coſtæ inferioris emergentes & inſtar intercoſtalium
internorum, aliquando tamen obliquius, aliquando rectius,
ad terminum adſcendentes, quem in limbo vel coſtæ pro-
ximæ, vel ulterioris acquirant, numero utrinque nunc ſex
vel ſeptem, nunc octo vel novem, omnes cum prioribus in
352. *Tab. 35* delineati. Ne ſileamus muſculos ſterni, in quos tri-
angularem ſic dictum Steno ſubdiviſit, ſterno-coſtalium ti-
197. tulo ab Autore efferri; cum potiori jure glandulas bron-
chiales in peculiari capite ſuperius propoſitas neglexerimus,
quod partem illæ jamjam conſtituant Appendicis, cum Ani-
madver-

madverſionibus nonnullis in Anatomiam Blancardianam & Epiſtola ad Ruyſchium editioni primæ A. 1697 adjecta. Et tantum de Libro I Anatomiæ: ſuperſunt multo plura dicenda de Libro II, quæ in Suppl. T. IV Sectionem X rejecimus.

DE L' ASTROLOGIE JUDICIAIRE ENTRETIEN Curieux, par Mr. Bordelon. P.P.

hoc eſt,

DE ASTROLOGIA JUDICIARIA DIALOGUS curioſus; Autore BORDELONIO P.P.

Bruxellis, juxta editionem Pariſienſem, apud Joh. Baptiſtam de Leeneer, 1710, 12

Conſtat plag. 6.

FUndamenta Aſtrologiæ judiciariæ, quæ contingentes rerum eventus ex ſiderum poſitu prædicit, in hoc Dialogo ſolidis argumentis evertuntur & ad ſingula reſpondetur, quæ in ipſius gratiam dici poſſunt. Poſtquam enim Vir doctus *Bordelonius* diſcurſu hiſtorico non inerudito docuit, tum quanto in pretio & olim habita fuerit, & etiam nunc habeatur Aſtrologia apud integras gentes, tum quomodo a Patribus aliisque Doctoribus Eccleſiæ, ipſo D. *Thoma Aquinate*, defensa; argumentum *Thomiſticum* primum ſub incudem rationis revocat. Ita nimirum *Thomas* argumentatur: Superiora ſunt cauſæ inferiorum in terra contingentium. Inter cauſas vero & effectus datur neceſſarius nexus, ita ut nihil ſciatur niſi per cauſam ſuam. Quare qui cœlum cognovit, is cognoſcit effectus eorum, quæ in terra ſunt, in ſua cauſa. Hi ergo cum certitudine prædici poſſunt. Sed bene reſpondet *Bordelonius*, diſtinguendum eſſe inter cauſam univerſalem atque remotam & cauſam particularem atque proximam. Huic, non iſti, adſcribendos eſſe effectus particulares. Jam vero eventuum in humanis rebus cauſas particulares non eſſe cœlum, neminem dubitare. Quare etiamſi univerſalis eſſet; nullum tamen in eo præſidium reperturos Aſtrologos. Enimvero ne hoc quidem univerſaliter, hoc eſt, de omnibus aſtris conce-

concedit, quod generalem quendam in eventus rerum humanarum influxum habeant. Licet enim radiorum Solarium influxus ſint manifeſti, & de Luna quoad nonnulla adhuc ſub judice lis ſit; de ſignis tamen Zodiaci, Saturno, Mercurio & Planetis reliquis nihil tale probari, multo minus ullam rationem aſſignari poſſe, cur aliquis effectus huic potius, quam alteri aſtro attribuendus ſit. Quemadmodum itaque rationem reddituri, cur aliqua planta hic melius, quam alibi efflereſcat, non ad cauſam generalem, aquam, ſed ad particulares, e. gr. ſeminum differentiam recurrimus: ita leges, conſuetudines, educationem & exempla ſi intueamur, exinde rectius, quam ex aſtris multa de hominum fatis nos prædicturos eſſe. Hinc abſurditatem Aſtrologorum vivis coloribus depingit, quod momentaneæ ſiderum conſtellationi omnes vitæ eventus attribuantur, præſertim cum una multi infantes naſcantur, quorum per vitam eventus prorſus diverſi exiſtunt: ubi ſemel urget, quod raro exacte momentum nativitatis cognoſcere liceat, nec loca ſiderum per calculum ad quodvis momentum ſatis accurate habere poſſint, immo paucis in locis altitudo poli exacta ſciatur, a quibus tamen conſtellationis ratio ita pendeat, ut, ſi in iis aberretur, ipſa plane ignoretur. Evincit ulterius, ad experientiam minime provocari poſſe, cum a condito orbe eadem conſtellatio nondum redierit, revolutione magna intra 36000 annorum demum abſolvenda. Aſtrologorum quoque in principiis conſtituendis, in modo calculandi & in Tabulis, juxta quas calculus ineundus, eligendis diſſenſum ſalſe perſtringit, & imaginum aſtralium, quas Galli taliſmannicas (*talismans*) vocant, vanitatem ridet, perverſamque illorum opinionem abominatur, qui aureum Moſis ſerpentem pro tali imagine habent. Poſtquam varias hiſtorias recenſuit, quibus fidem prædictionibus Aſtrologicis venantur nonnulli; primo generatim quædam reponit, poſtea ad caſus ſpeciales ab ipſo enarratos reſpondet. Illorum ſumma capita hic commemorari fas eſt. Obſervat igitur, 1 Aſtrologos tam multa tamque diverſa prædicere, ut fieri nequeat, quin caſu nonnunquam prædictionibus reſpondeat

deat eventu. Has ab Hiſtoricis annotari; reliquas fallaces omitti. 2 Prædictiones Aſtrologorum eſſe nimis generales, obſcuras, ambiguas & conditionatas, ut eventui præſenti conveniens interpretatio fieri, aut, cur non contigerit, excuſatio prætendi poſſit. 3 Aſtrologos interdum ab iis, qui eos conſulunt, in prædictionum interpretationibus adjuvari, ut convenientes appareant. Ejus rei ex propria praxi exemplum memoratu dignum recenſet. Nimirum cum aliquando in multorum præſentia juvenis quidam, qui in ſchedis ipſius annotationes quasdam in Aſtrologiam & Chiromantiam viderat, aſſeveraret, quod in utraque arte excellat; complures prædictiones chiromanticas urgebant, nec obſtante pertinace in excuſando ſtudio unus tandem, qui primus manum porrexerat, extorquebat. Ad repetitas enim inſtantias voce gravi in hæc ruebat verba: *Cave tibi a ſcala tua.* Ille attonitus per aliquod temporis ſpatium hærebat, & ubi ad animum redierat, regerebat: te in chiromantia excellentem experior; ab aliquo enim jam tempore foramen quoddam interitum minans in ſcala obſervavi, per quam in cubiculum meum aſcendo. Addit 4, ipſos interdum Aſtrologos omnem movere lapidem, ut prædictionibus ſuis fidem concilient. Ita e. gr. *Cardanum* fame perire, quam vitam ſervare maluiſſe, ne vanus augur fuiſſe videretur. Monet denique 5, non omnibus, quæ narrantur, hiſtoriis credendum eſſe: quod multis exemplis ſpecialibus confirmat. Hac vero occaſione in genere notat, ab antiquis hiſtoricis vulgi ſæpius errores recenſeri, quibus ipſimet fidem non adhibuerint: quomodo *Plinius* etiam excuſandus ſit. Ad caſus ſpeciales ubi non minore ingenii vi reſpondit, principia Aſtrologiæ arbitraria eſſe evincit atque ridicula; riſu ſcilicet digna revinci, ne gravitatem odorentur: & eorundem impietate exemplis compluribus confirmata, abſurda inde conſequentia recenſet. Horum in numero habetur, 1 quod aſtra efficaciter influant in voluntatem hominis, conſequenter nulla inſit actionibus humanis imputativitas: 2 quod fides noſtra, adventus Salvatoris & verbi divini prædicatio ab Apoſtolis facta

inter inutilia ſint referenda: 3 quod crimina & flagitia delinquentibus perperam imputentur: 4 quod precum nulla utilitas. Exagitat quoque Autor præſagia ab eclipſibus & cometis deſumta & varia Autorum, qui de re agraria & hortenſi ſcripſerunt, loca adducit, quibus quadraturarum lunæ in agricultura & horticultura obſervatio oppugnatur & tanquam vana rejicitur.

NICOLAI HARSCHERI, ELOQUENTIÆ & Hiſtoriarum in Academia Marburg. P.P. de Divinatione Ciceronis Diatribe, in exemplum Divinationis Civilis propoſita.

Marburgi, apud Joh. Kurſnerum, 1710, 8.
Plag. 9.

OPportunam memorabilis Ciceronis ſententia, ampliſſimo Cornelii Nepotis teſtimonio confirmata, qua is, *nunquam de Republica niſi divine ſe cogitaſſe*, gloriatus eſt, elegantiſſimam de *Civili Divinatione* Diſſertationem conſcribendi occaſionem Cl. Autori noſtro ſubminiſtravit. Quum enim Tullius nobili divinatione ſua bellum civile, Pompejum inter & Cæſarem oriturum, atque ex illo futuram Reipublicæ converſionem prædixerit; Noſter eam exempli loco proponere, ſimilemque ex probatiſſimorum Scriptorum monimentis inſtituendi viam aliis, origine ad finem per cauſas & effectus rerum civilium deducta, commonſtrare præclare allaboravit. Principio igitur perho-
p. 1. norificum Nepotis de Ciceronis ſive prudentia, ſive divinatione judicium affert, atque, utrum conſtans eventuum præſenſio rerumque futurarum ſcientia Romani eloquii Prin-
4 ſeq. cipi jure tribuatur, diſquirit. Rationibus autem variis diverſum ſuadentibus productis, plurimisque teſtimoniis ex ipſius Ciceronis ſcriptis deſumptis firmatis, fatetur, ſe non eum in finem argumentum de divinatione civili pertractandum ſuſcepiſſe, ut Nepotis ſententiam, de Ciceronis divina prudentia latam, operoſius defenderet; ſed ut illuſtre quoddam civilis divinationis exemplum, quo omnem ejus inſti-

tuendæ

ſtuendæ rationem quis diſcere, quidque certi incertive ſtatuere debeat, pervidere poſſit, proponeret, atque in Cicerone exhiberet. Itaque aliis documentis in medium allatis, priorem ſententiam, Ciceronis divinationem labefactaturam, deſtruit, eumque divinandi arte plurimum valuiſſe, fuſius comprobare ſtudet. Hinc de ſubſidiis & adminiculis, quibus hanc artem ſibi compararit, inveſtigandis ſolicitus eſt, eumque & exemplis aliorum, & doctrinæ præceptionibus, & rerum uſu, tanquam certiſſimo fundamento, omnem divinationem ſuam ſuperſtruxiſſe tradit. Quibus Parte I generatim monitis, ad II progreditur, in qua Romanæ Reipubl. ortum converſionesque usque ad Ciceronis tempora enarrat, exactisſima harum rerum cognitione eum præditum fuiſſe, teſtificatus. Parte III Urbis Romanæ ſub Cicerone Conſule ſtatum exponit, animumque non modo præteritarum rerum cognitione inſtructum, ſed & præſentium contemplatione imbutum, de futuris tutius conjicere merito arbitratur. Itaque legum, judiciorum, ordinum ac morum in Civitate Romana, quæ Ciceronis ætate adhuc florere videbatur, examinata conditione, concludit, omnia jam tum inclinare cœpiſſe, atque ruinam ejus imminere, ſignificaſſe. Nominatim vero avaritiam, luxuriam, ambitumque, ubique regnantia vitia, fœnerationes, largitiones munerum, turbas in Comitiis excitatas, ſpretam religionem, diſſidia ac contentiones potentiorum civium, libertinorum licentiam, factiones nobilium, frequentia mulierum, arcana maritorum prodentium, adulteria, in cauſis enumerat, quæ Rempublicam turbarunt, ac peſſum dederunt. Deinceps Triumvirorum, Pompeji, Cæſaris & Craſſi, Catonis etiam, animorum characteres, mores & ſtudia, Ciceroni perſpectiſſima, commemorat, & hujus quoque ingenium deſcribit. Denique Parte IV ad divinationem ipſam aggreſſurus, Ciceronem ex tribus potisſimum indiciis, Rempublicam aut evertentibus, aut in alium ſtatum convertentibus, hoſtibus videlicet externis, conjurationibus, ac bellis civilibus, de inſtante inſigni in Romana Republ. converſione prudenter divineque judicaſſe arbitratur. Quum autem ea tempeſtate ter-

p. 8 · 13. · 21. · 49. · 51 ſqq. · 88.

ror Romani nominis omnes hoſtes externos facile cohibere po-
tuerit, ne tantum imperium ultro laceſſerent, parum illos hoc
in negotio curat, ac de conjecturis, ex conjurationibus maxi-
p. 95. me belliſque civilibus capiendis, ſolicitum ſeſe præbet. Ci-
ceronem igitur, ex Pompeji, Cæſaris & Craſſi conſpiratione
imminentia Reipublicæ mala præſagientem, ad omnes perſo-
narum, temporis, ſtatus Reipubl. circumſtantias reſpexiſſe,
nec modo ſuſpicione aliqua, quam primus divinandi modus
excitet, ſed cauſarum etiam cognitione probe deducta, ad eam
divinandi peritiam perveniſſe, ſibi perſuadet. Etenim conje-
99 ſqq. cturas, quas Cicero ſibi forte animo formare potuerit, percen-
ſet, eaſdemque idoneis documentis, non ſolum ex illius variis
ſcriptis, ſed & præſtantiſſimis Hiſtoricis, Polybio, Livio, Vel-
lejo, Plutarcho, Suetonio, aliiſque depromptis, comprobare
140. conatur. Ad extremum ſuum de hoc divinandi genere judi-
cium ſubjecit, & Diatriben hanc eo comparatam eſſe voluit,
ut facto iſto divinationis experimento, Hiſtoriarum ſtudioſi
uberrimi ex ejus cognitione fructus colligendi rationem &
141. methodum diſcerent pariter atque adhiberent. Antequam
vero Diſſertationi finem imponit, *Corollaria* ſuppeditat, Ele-
menta quædam artis hujus complexa, atque eo inprimis ſpe-
ctantia, ut quilibet conjectandi ratiocinia, a ſe propoſita & in-
culcata, facile comprehendere ac dijudicare queat.

VITA GREGORII VII, PONTIFICIS Romani, concinnata a JUSTO CHRISTOPHORO DITHMARO, in Acad. Viadrina Hiſtor. Prof. Extraord.

Francof. ad Viadrum, impenſis Jer. Schrey & Joh. Chriſtoph. Hartmanni, 1710, 8.

Conſtat 10 plag.

QUoniam in vita famoſi hujus Pontificis nihil magis memorabile eſt, quam quod ille *primus*, ut Aventinus loquitur, *imperium Pontificium condidit* & *inveſtituram Epiſcoporum* Imperatori eripuit, Autor in illa deſcribenda id potiſſimum operam dedit, ut hujus controverſiæ hiſtoriam ſimul illuſtraret.

Sectione

Digitized by Google

Sectione I, quæ ratio inveſtituræ Epiſcopalis ante Gregorium VII fuerit, exponit, &, inde a Caroli M. temporibus jus illud ſemper penes Imperatores Auguſtos, imo jam ante conſtitutum Imperium Romano-Germanicum penes Franciæ Reges & Majores Domus fuiſſe, demonſtrat, decreta autem Adriani I & Leonis VIII, quibus ille Carolo M. hic Ottoni I jus inveſtiendi Epiſcopos & eligendi Pontificem Romanum vulgo tribuiſſe creditur, ut ſuppoſita, rejicit.

Sectionis II caput primum priorem vitæ Hildebrandi partem, quæ Pontificatum anteceſſit, complectitur: ubi Autor de genere & natalibus ejus communem ſententiam retinet, juxta quam humili loco, patre Bonizio fabro lignario, Soanæ Hetruriæ oppido natus eſt: etſi Oldouinus, Maimburgius & R. Simonius, eum antiqua Aldobrandeſcorum & Pitilianorum Comitum Soanenſium ſtirpe ortum eſſe, contendunt. Inter munera ejus Eccleſiaſtica ante Pontificatum adminiſtrata præcipuum fuit munus Cardinalis & Archi-Diaconi Rom. Eccleſiæ, in quo jam tum futuri dominatus fundamenta jecit, tantumque ſibi ſumpſit, ut Alexandro II anteceſſori ſuo nihil niſi nomen Pontificis relinquere videretur. Cum vero huic ipſe tandem ſucceſſiſſet, nihil intentatum reliquit, quo non modo Imperatorem Romanum, ſed omnes totius orbis Chriſtiani Reges ac Principes ſibi obnoxios redderet, idque cum aliis artibus, tum præcipue jure illo, quod diximus, inveſtiendi Epiſcopos ſibi arrogato, efficere ſtuduit: id quod *Cap. II.* poſterioris Sectionis fuſius exponitur, & quantas ambitio hæc turbas atque calamitates excitarit, luculentis teſtimoniis demonſtratur.

ELOGIUM VIRI ILLUSTRIS SAMUELIS STRYKII, JCTI.

Elatus eſt die trigeſimo primo Julii anni proxime elapſi in vicina Halenſi Academia Vir doctrina & meritis illuſtris, *Samuel Strykius*, Jure-Conſultus non Germaniæ ſolum noſtræ, ſed totius Europæ præſtantiſſimis accenſendus. Excepit naſcentem *Lenzena*, Marchiæ Pregnicenſis oppidum, anno ſuperio-

perioris ſeculi quadrageſimo, die vigeſimo ſecundo Novembris: Patre *Elia Strykio*, Præfecto primum, deinde etiam Quæſtore ibidem; Matre vero *Eva Calovia* omni virtutum genere cultiſſima fœmina. Puer ab optimis Parentibus Scholæ *Sebuſiana* in veteri Marchia, dein Gymnaſio, quod *Coloniæ ad Spream* floret, traditus, tam felices in vera pietate & elegantioribus literis progreſſus fecit, ut ætate nondum ad octodecim perducta majoribus rebus par judicaretur. Petiit igitur *Vitenbergam* anno quinquageſimo octavo, qua in Muſarum ſede ubi animum præceptis Philoſophiæ præeuntibus Viris clariſſimis, *Joh. Sperlingio*, quo duce de *Aquis ſupra cæleſtibus* ex cathedra publice diſſeruit, & *Georgio Caſparo Kirchmayero*, probe imbuiſſet, primis annis fere unice Theologiæ vacavit, donec hortatu amicorum quorundam ab eadem ægre licet detractus, Jurisprudentiæ nomen daret. Hunc ampliſſimum ingreſſus campum ducem præ reliquis ſecutus eſt incomparabilem Virum *Caſparem Zieglerum*, *Chriſtianum* item *Klengelium* & *Joachimum Nergerum*, doctiſſimos Jurium Interpretes, quorum monitis inſtructus A. M DC LXI *Francofurtum ad Oderam* migravit, ibique eruditione ſua & morum venuſtate ſingulari celeberrimi Anteceſſoris *Joh. Brunnemanni* amorem ſibi conciliavit, eoque moderante perelegantem *de Dardanariis* Diſſertationem publico examini expoſuit. Animum inde peregrinationibus adjecit, & peragrata *Anglia* in *Belgium* redux, perluſtratis *Lugdunenſi*, *Grœningana*, *Ultrajectina* Academiis, *Lovanii* aliquantulum ſubſtitit, fama permotus *Antonii Perezii*, magni nominis JCti, cui etiam familiariter innotuit: dehinc *Franequeram* accedens, aliquandiu ex ore *Johannis Jacobi Wiſſenbachi* pependit, qui docendo pariter & ſcribendo ingentem nominis celebritatem ea ætate indeptus erat. Tot tantisque domeſticorum & exterorum Doctorum exemplis firmatus *Francofurtum* repetiit, & autore *Joh. Deckero*, JCto clariſſimo, d. XI Septembr. A. M DC LXV ad *Licentiæ*, quem vocant, gradum evectus, die XVII Septembris anni, qui ſequabatur, a *Johanne Brunnemanno* Doctorali quoque dignitate cumulatus eſt. Col-

legia

legia igitur aperuit, ac præter frequentes Diſputationes, quæ de ſelectiſſimis quibusque Juris capitibus ſcriptæ publice proſtant, *Jus Senſuum* laborem a plerisque omnibus aut intentatum hactenus, aut non niſi levi brachio tractatum, juſto volumine feliciter exhibuit; ut jam non Juvenum modo ſtudioſorum, qui catervatim ipſum ſequebantur, applauſus, ſed & totius Orbis literati ſuffragia mereretur. Permovit ea res potentiſſimum Electorem FRIDERICUM WILHELMUM, ut eodem adhuc anno ſexageſimo ſexto menſe Octobri ad *extraordinariam Novellarum Profeſſionem* Strykium vocaret, quam ille quoque d. X Novembris ſolemni Oratione *de commodo & incommodo ex mutatione Juris in Rempublicam redundante*, proſpere auſpicatus eſt, tamque ex voto omnium ornavit, ut ei A. M DC LXVIII Junio menſe *Inſtitutionum ordinaria* & poſt exceſſum Soceri *Johannis Brunnemanni* A. M DC LXXII *Pandectarum Profeſſio* demandaretur: quo eodem anno die XII Auguſti a Divo LEOPOLDO *Comitiva* quoque *Sacri Palatii* donatus fuit. Anno deinde M DC LXXXVI mortuo *Philippo Jacobo Wolffio* in *Profeſſione Codicis* ſuffectus, non multo poſt Illuſtri Viro *Johanne Friderico Rhetio*, ab obitu inde B. *Brunnemanni* Ordinis Juridici Præſide & Conſiliario Electoris, ad Aulam evocato interque Conſiſtorianos Comites relato, ſolus in poſſeſſionem munerum ipſius abitu vacantium mitti meruit. In hac ſpecula poſitus, tam præclare cuncta egit, tamque late eruditionis prudentiæque ſuæ famam diffudit, ut A. M DCXC a *Sereniſſimo Electore* JOH. GEORGIO III in locum defuncti *Caſparis Ziegleri*, Præſidis ſui Ordinis, ſurrogaretur ac inter Aſſeſſores *Summi Provocationum Tribunalis*, quod *Dresdæ* eſt, reciperetur: quam utramque provinciam adeundi a Potentiſſimo Poruſſorum Rege venia quidem ei facta eſt, iis tamen conditionibus, ut quam primum ad priſtina ſua munia appellaretur, ſponte ſe ſiſteret; & ne dimiſſus videretur, in ipſo abitu Conſiliarii Aulici honores accipere juſſus eſt. Neque vero longa Vitenbergæ commoratio fuit. Siquidem biennio exacto, cum per id tempus *Hala Saxonum*

novæ

novæ Academiæ fundamenta ponerentur, volente ita Potentiſſimo Poruſſorum Rege, regendam eam A. M DC XCIII menſe Decembri ſuſcepit, poſtquam ipſi & *Conſiliarii intimi* & *Præſidis in Collegio Juridico Ordinarii* dignitas collata eſſet, quam per integros XVII annos magna cum laude dexterrime obivit. Id commemoratione dignum eſt, eodem tempore, quo diſceſſum ſuum ex Vitenbergenſi Academia Aulæ Dresdenſi ſignificaret, a Potentiſſimo Daniæ Rege *Conſiliarii Status* & *Moderatoris Regiæ Hafnienſis Academiæ* munia cum ſtipendio haud pœnitendo eidem oblata eſſe, quæ tamen ille modeſtisſime deprecatus eſt. Fuit in hoc Viro ingenium ſolers, ſublime ſed moderatum, judicium acre & longa experientia ſubactum, memoria eorum, quæ vel legiſſet, vel audiviſſet, tenaciſſima, eruditio recondita & cum facundia in docendo & diſputando admirabili conjuncta, animus laborum tolerantiſſimus. Accedebat nativa quædam vultus habitusque majeſtas, quibus omnibus id efficiebatur, ut a cunctis amaretur & coleretur, & quocunque ſe verteret, totas Colonias literarias deducere videretur, ex ejusdemque Schola maxima quæque Pacis Decora per Germaniam finitimasque regiones prodierint. Ad rem domeſticam quod attinet, d. 19 Mart. A. M DC LXV in matrimonium duxit *Annam Sabinam*, filiam *Joh. Brunnemanni* JCti natu majorem, ex qua duos liberos ſuſcepit, *Evam Sabinam*, octavo ſtatim poſt nativitatem die extinctam, & *Joh. Samuelem Strykium*, Conſiliarium Aulicum Saxo-Iſenacenſem, & Profeſſorem Juris Ordinarium, quem per plures annos laborum Socium Collegamque habuit. In magna felicitatis ſuæ parte ponere ſolebat, quod inter eos, quibus Doctorales honores diſpenſavit, primus hic fuerit in *Fridericiana*, quemadmodum primus in *Francofurtana* fuerat Frater, *Fridericus Strykius*, Sereniſſimo VVirtenbergico & Olsnenſi Duci a Conſiliis & Cancellariæ Director. E vivis ſublata *Brunnemanna*, d. 27 Jun. A. M DC LXXVII thori ſociam elegit *Catharinam Wordenhoſiam*, *Erici Wordenhoſi*, JCti & apud Hamburgenſes Senatoris, filiam, qua & ipſa fatis cedente A. M DCC VII, ille triennio fere poſt X nimirum Cal. Aug. anni præteriti placidiſſima morte, ſed magno Reipublicæ literariæ incommodo, ſecutus eſt. Fœnerantur ei vitam, præter ſpiſſa doctiſſimarum *Diſſertationum* Volumina, pereruditæ de *Jure Senſuum*, *Succeſſionibus ab inteſtato*, *Cautelis circa Contractus*, *ultimas Voluntates* & *Juramenta adhibendis*, *de Conſenſu Sponſalitio*, & *uſu Pandectarum moderno* Commentationes, *notæ* item ad *B. Brunnemanni Jus Eccleſiaſticum*, & *Compendium Schuzianum*, aliaque præclara monimenta, quæ neminem latere arbitramur.

Proſtat Supplementorum Tomi IV Sectio X.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis, Anno M DCC XI.

RELIQUIÆ ANTIQUÆ URBIS ROMÆ, quarum ſingulas INNOCENTIO XI, ALEXANDRO VIII & INNOCENTIO XII P. P. M. M. diligentiſſime perſcrutatus eſt, ad vivum delineavit, dimenſus eſt, deſcripſit atque in æs incidit BONAVENTURA AB OVERBEKE. Opus poſthumum MICHAEL AB OVERBEKE ſuis ſumtibus edi curavit.

Amſtelodami, excudit Johannes Crellius, 1708, in fol. patentiſs. Alph. 4 pl. 8 fig. æn. 150 plag.

SI, quo tempore nihil par, nihil ſecundum Romæ erat, & ipſa ingenti numero præſtantium architectorum, ſculptorum ac pictorum abundabat, illorum aliquis veras ſplendidiſſimorum ædificiorum effigies poſteritati ſervaſſet, majori nunc cum voluptate priſcæ magnitudinis monimenta ſuſpiceremus, quam qua inter rudera illorum erramus, quæ magna ſui parte incerta, ſqualida, deſerta, ac immane interdum ſpectaculum præbentia, lugubre antiqui ſplendoris teſtimonium perhibent. Niſi forte ſeculorum & gentium orbis ſervitutem ulciſcentium barbaries, dum ipſas moles validas adeo & æternitati minantes exſcidit, tenues earum umbras, effigies delineatas aut pictas, una cum innumeris præclariſſimorum ingeniorum &, quæ ſervarentur, digni oribus operibus peſſum dediſſet. Recentiores autem artifices, qui cælo ſuo antiquariorum libros illuſtrare aggreſſi, veterum incuriam ſupplere auſi ſunt, nimium arti ſuæ indulſiſſe queritur Nobiliſſimus hujus Operis Autor. Sæpe enim paucis ædificii

 alicu-

alicujus reliquiis cetera aut ab alio, quod ſupererat, intempeſtive translata, aut ex ingenio legum ſuarum & ornatus nimis ſtudioſo addidiſſe. Ipſe itaque, cum Romæ primum eſſet, tanto majori omnia ſtudio & oblectatione in privatos uſus delineavit, quanto vehementius ad ejusmodi labores propriæ naturæ ſtimulis urgebatur. Quippe puer adhuc adeo illos coluit, ut parentem quoque & cognatos, a quibus ad ſtudia unice deſtinabatur, obſecundare deſideriis ſuis cogeret, & celeberrimorum artificum inſtitutione, inprimis *Gerardi de Laireſſe*, cujus magna in pingendis hiſtoriis dexteritas fuit, contubernio tanto felicius poſtea proficeret. Reverſus in patriam cum moneretur, ut laudatas eruditis & ſculptoribus, quotquot viderant, ſchedas cum publico communicaret, Romam repetiit, accuratius cuncta ad monimentorum faciem exacturus. Defunctus ſecundo itinere decrevit, operum, quorum reliquias depinxerat, brevem notitiam, vocatis in partes, præter Autores Latinos veteres, antiquariis omnibus, numis ac inſcriptionibus, texere, & menſuras geometricas, architecturæ ordines, marmorum genera, quæque detexerat, Architectorum nomina indicare. Ubi cum incerta multa occurrerent, non piguit, cum aliter ſe extricare non poſſet, tertium Romam petere, ut oculorum judicio uteretur. Tum demum admovit manum ipſemet & æri ſollicite incidit, quicquid iconum conquiſiverat, palmo in dimenſionibus uſus Romano. Ceterum vero univerſam totius molis faciem expreſſiſſe contentus, ſingulas imagines in ea occurrentes (quod forte nonnulli dolebunt) leviter tantum & obſcure adumbravit. Per fati autem legem non licuit illi abſoluto opere frui, ſed phthiſis quadam ſpecie interiit, cum jam elegantiſſimæ tituli effigies a Matthia Pool, cui morbo impeditus ſculpendas tradiderat, eſſent expeditæ. Sed Nobiliſſimus Patruus ejus imponi operi coronidem, & præcipue numos, ex armariis Illuſtriſſ. Comitis Schvvartzburgii Dominorumque de Barry & Uilenbroek, aut optimorum Scriptorum libris deſumtos, ſculpi, verſionem Gallicam adornari, & quæ imperfecta manſerat, deſcriptionem murorum Romæ ex conſilio Cl. Johannis Clerici ſuppleri curavit, ac ipſum opus

Sere-

Sereniſſ. ANNÆ Reginæ Britannorum dedicavit. Nobis vix quicquam præter ſeriem hujus operis indicare licebit, quod ipſum adeant neceſſe eſt, qui tantarum ruinarum umbra delectari cupiunt. Unam hanc legem inſuper nobis figimus, ut, quæ poſteritatis cura adjuvit, ornavit, aut reſtituit, indicentur, ut, quænam neglecta jaceant, dignoſcere Lector facilius queat.

Tomo I *Tab. I p. 1* delineatur porta *Flumentana*, nunc Populi. *Tab. II p. 3 Collatina*, nunc Pinciana. *III, 5 Agonenſis, Quirinalis, Salaria, Lavernalis*, & *ſalutaris* quondam, nunc Collina appellata. *IV, 7* reliquiæ *Viminalis*, quæ & *Tigulenſis*, aut *Catularia* olim vocata eſt. *V, 9 Nomentana*, nunc S. Agnetis & Pia. *VI, 11 Exquilina*, quæ & *Metia, Prœneſtina, Tiburtina, Gabina, Taurina, Libitina*, nunc S. Laurentii. *VII, 13 Labicana* ſeu *Lavernalis, Navia, Rauduſculana*, ſeu *Caſtellum aquæ Claudiæ*, nunc Porta major. *VIII, 15 Cœlimontana, Aſinaria, Laterana*, nunc S. Johannis, quam *Ferentinam* quoq; antiquis temporibus audiviſſe diſputat contra illos, qui Latinam hoc nomine veniſſe affirmant. *IX, 17 Gabiuſa*, nunc occluſa, quæ eadem cenſetur cum S. Gregorii porta *Metronis*, aliis Metrodii nominata. *X, 19 Valeria, Piacularis*, quibusdam inſuper *Ferentina*, nunc Latina. *XI, 21 Capena, Appia, Camœna, Fontinalis, madida*, nunc S. Sebaſtiani. *XII, 23 Trigemina, Oſtienſis*, nunc S. Pauli. *XIII, 25 Navalis*, (quod nomen ei contra alios vindicatur, qui S. Pauli portam eo inſignitam fuiſſe exiſtimant) *Ripæ, vinaria*, nunc Portuenſis. *XIV, 27 Aurelia, Janiculenſis*, & quibusdam, absque Veterum tamen autoritate, *Trajani*, nunc S. Pancratii. *XV, 29 Fontinalis, ſubtus Janum* (unde poſtea Settignana,) nunc Septiminiana. *XVI, 31* templum rotundum, quod alii *Fauno*, alii *Claudio* Aug. alii *Baccho* ſacrum fuiſſe ſtatuunt, & Simplicius I Papa D. Stephano conſecravit. *XVII, 33* rudera ingentis templi, quod *Veneris* & *Cupidinis* fuiſſe Noſter autumat. *XVIII, 35* templum *Romuli*, ab Adriano I Papa D. Theodoro, vulgo, S. Toto, dicatum. *XIX, 37* aliud *Romuli* & *Remi* (falſo nonnulli *Caſtorem* & *Pollucem* ſubſtituunt) a Felice IV, qui in illo ſepultus eſt, SS. Coſmæ & Damiano ꟾↃXXX dicatum, ac ab Urbano VIII CIꟾↃ ꟾↃCXXXIII funditus reſtauratum. *XX, 39* rudera incluti maxime

xime templi *Pacis*. *XXI, 41 Pantheon*, nunc S. Mariæ rotundum, cui illud Bonifacius IV ɪↄcvɪɪ conſecravit. *XXII, 45* templum *Minervæ*, hodie S. Mariæ ſupra Minervam, quod nobis quidem videtur recentius eſſe, nec plane illius locum tenere. *XXIII, 47* templum S. Adriani, quod in locum *Saturnii* ſucceſſit. *XXIV, XXV, 49* reliquiæ templorum *Veneris* & *Romæ*, quæ Hadrianus junxerat, a Fulvio Urſino *Iſidi* & *Serapidi* manifeſto errore, a Marliano *Soli* & *Lunæ* nulla autoritate tributæ. *XXVI, 51* moles non informis, in foro boario prope ædem S. Georgii; reliqua ex grandi & quadrato ædificio, portis quatuor pervio, qualia *Jano* conſecrari ſolebant, deſtinata conventibus negociatorum, quibus hodie porticus noſtræ (burſas vocant) ſerviunt. *XXVII, 51* reliquiæ templi *Junonis*. *XXIIX, 55* templum *Fortunæ virilis*, quod Volaterranus *Fortunæ bonæ*, Urſinus *Pudicitiæ patriciæ* non recte tribuunt, nunc S. Mariæ Ægyptiacæ & nationis Armenorum. *XXIX, 57* templum *Herculis* in foro boario, quod a Sixto IV ſolo æquatum, a familia Savellorum reſtitutum vocatur S. Stephani a le Crozze, vel Madonna del Sole, & ſub quo rudera adhuc *latrinæ maximæ* a Tarquinio Priſco exſtructæ viſuntur. *XXX, 59* templum *Jovis Capitolini*, quod nunc Ara Cœli vocatur, & Franciſcanorum eſt. *XXXI, XXXII, 61* rudera templi *Concordiæ*, & *XXXIII, 63* templi *Jovis Statoris*. *XXXIV, XXXV, 65* templum *Antonini* & *Fauſtinæ*, nunc S. Laurentii in Miranda. *XXXVI, XXXVII, 67* reliquiæ templi *Jovis tonantis*. *IIXL, 69* Baſilicæ *Nervæ*. *IXL, 71* templi *Palladis*. *XL, 73* Panthei *Minervæ Medicæ*, ut exiſtimat Noſter cum Montfauconio, aliis pro *Cajo* & *Lucio Cæſaribus*, Auguſti nepotibus, aliis pro *Hercule Callutio*, depravata pronuntiatione *Callaico*, ſententiam ferentibus. *XLI, 75* columnæ reliquæ ex baſilica *Antonini*, in qua rationarium provinciarum olim fuit, ab Innocentio XII in ornamentum palatii, quo vectigalia perſolvuntur, adhibitæ. *XLII, 77* Sepulcrum *C. Ceſtii*, VIIviri epulonum. *XLIII, 79* aliud *C. Poblicii L. F. Bibuli*, Ædilis plebis. *XLIV, 81* Mauſoleum *Hadriani* ab ipſomet exſtructum, poſtea vero in munimentum belli converſum, ac a Pontificibus, præſertim Urbano VIII, munitum,

munitum, hodie nomine Caſtri S. Angeli clarum. *XLV*, *83* parietinæ ſepulchri *Auguſti*. *XLVI*, *85* columna ſepulchralis *Trajani* a Dominico Fontana, ſi quæ vetuſtas deleverat, reſtituta, antequam a Sixto V A. 1587 S. Petro dedicaretur.

Tomo II exhibentur in *Tab. I*, *II*, *III*, *p. 1* Arcus *Titi* marmoreus omnium, qui exſtant, antiquiſſimus, quem ſublato jam e vivis Tito poſitum eſſe, Noſter cum Cl. Borrichio, contra Angelonum & Nardinium, propugnat. *IV*, *3* Arcus *Septimii Severi*. *V*, *5* Ruinæ veteris portæ, pro arcu *Horatii Coclitis* falſo a nonnullis habitæ. *VI*, *7* alius *Septimii Severi* arcus in foro boario, ubi quædam de nominibus Getæ, in inſcriptionibus publicis juſſu fratris Caracallæ deletis, diſſerit, quod etiam p. 3 jam monuerat. *VII*, *9* Arcus *Gallieni*. *VIII*, *IX*, *11* Arcus Conſtantino a Senatu erectus, in quem tamen, quæ pulchra ſunt, ex monimento aliquo Trajani inepte translata eſſe judicat. *X*, *13* obeliſcus, S. Mahuti vocatus, quia ante ædem SS. Bartholomæi, Alexandri & Mahuti Epiſcopi erectus. *XI*, *15* obeliſcus Barberinus & *XII*, *17* Ludoviſianus, uterque ter fractus. *XIII*, *19* alius ex hortis Mediceis in monte Pincio, rurſusque *XIV*, *21* ex hortis Cœlimontanis Ducum Mattheiorum. *XV*, *23* obeliſcus, qui Mauſoleo *Auguſti* quondam ſacer, deinde A. 1587 a Sixto V S. Mariæ Majori erectus eſt. *XVI*, *25* alius ab Auguſto in circo maximo *Soli*, a Sixto V 1589 ante ædem Mariæ Populi poſitus. *XVII*, *27* obeliſcus, quem Alexander VII ad ædem S. Mariæ ſupra Minervam a Bernino rurſus erigi, & a Kirchero explicari curavit. *XVIII*, *29* alius, quem Caligula *Auguſto* & *Tiberio* dicavit, Sixtus V autem A. 1586 opera Dom. Fontanæ translatam in area baſilicæ Petri S. Cruci ſacram eſſe juſſit. *XIX*, *XX*, *31* Pamphilius ab Innocentio X reſtitutus. *XXI*, *33* obeliſcorum numerum claudit, quem Sixtus V reparari, & S. Cruci ante baſilicam Lateranenſem aſſeri curavit. *XXII*, *XXIII*, *35* Forum *Nervæ*. *XXIV*, *37* Columna e lapideis illis, quæ per vias ſpatii ſignandi cauſa locari conſueverant, uno quondam ab urbe milliari poſita. *XXV*, *39* *Duiliana*, a *C. Duilio* in monimentum navalis triumphi, quem primus egit ſtatuta, ſeu recentior potius in ejus locum condita. *XXVI*, *41* incognita quæ-

dam. *XXVII, 43* columna ex templo *Pacis*, cui a ſitu liberatæ ſimulacrum B. Virginis impoſuit Paulus V. *XXVIII,45 Antoninia,Marco Aurelio Antonino Philoſopho* a Senatu & filio Commodo poſt fata ejus erecta, quod propugnat Noſter contra ipſam inſcriptionem, qua inſignita eſt, cum auſpiciis Sixti V a Dominico Fontana A. 1589 reparata, S. Paulo dedicaretur. In ea enim Antoninus Philoſophus Socero Antonino Pio illam ſtatuiſſe aſſeritur. Columnas excipiunt thermarum parietinæ; ut *XXIX, XXX, 47 Titi*, *XXXI, 49 Philippi* Aug. ut conjicit, *XXXII--XXXIV, 51 Diocletiani*, quarum partem monaſterium & templum Carthuſianorum ſatis amplum occupat, partem calidariorum tenente templo rotundo D. Bernardi; tum & *XXXV, 53 Agrippæ* & *XXXVI--XLII, 55 Antonini*, omnium quondam nobiliſſimarum, nec non *XLIII, 57 Neronis ab Alexandro* Aug. reparatarum, quarum parti palatium Juſtinianorum ſuperſtructum eſt. Poſt thermas *XLIV, 59* offerunt ſe veſtigia balneorum Pauli, ad quæ alluſiſſe credit Juvenalem Sat. VII, 211 (rectius 233)

Dum petit aut thermas, aut Pauli balnea;

quanquam & agnoſcat alios illo loco legere *Phœbi*. *XLV, 61* labrum fontis antiquum. *XLVI, 63* aquæductus *Claudii*, & *XLVII, 65 Antoninianus* a *Baſſiano Caracalla* nomen id ſortitus, qui pars prioris fuit. *XLVIII, 67 Neronis*. *IL, 69* ductus *aquæ virginis* omnium ſaluberrimæ. *L, 71 Caſtellum* ſeu receptaculum in aquæductu, quo aqua colligebatur, inde ad regiones ac ædes diſtribuenda, *aquæ Marciæ*, qua occaſione explicatur, quis fuerit apud Veteres Caſtellanus, aut cuſtos caſtelli aquarum.

Tomo III oculis ſubjiciuntur primum pontes in *Tab. I, p. 1 Horatii Coclitis, Sublicius, Herculis, Sacer* & *Æmilii Lepidi*, cujus vix locus agnoſcitur. *II, 3 Senatorius* & *Palatinus*, nunc Mariæ Ægyptiacæ. *III, 5 Exquilinus*, & *Ceſtius*, nunc S. Bartholomæi. *IV, 7 Tarpeius* & *Fabricius*, nunc IV capitum. *V, 9 Janicularis, Aurelius, ruptus*, nunc Sixti, ab ejus nominis Pontifice IV A. 1575 reſtauratus. *VI, 11 Triumphalis, Vaticanus, Ampliſſimus*. *VII, 13 Ælius*, & *Hadriani*, a Clemente IX reparatus,

qui

qui tamen nec nominis, nec gentis Roſpiglioſæ, nec aliud ſui monimentum in eo exſtare voluit, ſecus ac alii Pontifices, qui ſtudioſiſſime operum ejusmodi memoriam ſervavere. *VIII, 15* Inſula Tiberiana, Æſculapio quondam ſacra, ubi & ſtatua, Simoni Mago a nonnullis, quos Noſter falli fatetur, tributa fuit. *IX, 17* veſtigia horreorum ad ripam Tiberis. *X, 19* horti omnium, cum ſuperſtites eſſent, amœniſſimi, *C. Criſpi Salluſtii*, quorum partem Ludoviſiani facere videntur. *XI, 21 Mons Cælius*, cujus ruinæ adeo invicem confuſæ ſunt, ut dignoſci nequeant. *XII-XVIII, 23-32 Palatinus*, qualis ejus verſus ortum, meridiem, & ſeptentrionem facies eſt. *XIX, 33* Vetus *Capitolium. XX, 35 Tarpeia rupes*, hodie mons caprinus, in quo palatium Ducis Caffarelli. *XXI, 37* Ruinæ prope Eccleſiam S. Mariæ Cacabarinæ, quas Noſter credit reliquias eſſe columnarum *circi Flaminii. XXII, 39 Curia Hoſtilia. XXIII, 41* domus exigua, e regione S. Mariæ Ægytiacæ, quæ ſine ulla veri ſpecie *domus Pilati* vulgo vocatur. *XXIV, 43 Theatrum Marcelli. XXV, 45 Amphitheatrum caſtrenſe. XXVI, 47 meta ſudans*, ex cujus cacumine aqua deſtillat. *XXVII—IIL, 49-52 Amphitheatrum Veſpaſianorum* ſeu *Coloſſæum*, quod terræ motus A. 1702 graviſſime afflixit, cum jam antea multæ domus ex illius lapidibus eſſent exſtructæ. *IL, 53 Mons teſtaceus, figularis*, ſeu *doliolum. L, 55 Muri Romani*, cum erudita de iis tractatione. Ceterum icon, ſitum univerſæ urbis adumbrans, reliquis omnibus eſt præmiſſa.

DAVIDIS CZVITTINGERI NOB. HUNG. SPECImen Hungariæ literatæ, Virorum eruditione clarorum, natione Hungarorum, Dalmatarum, Croatarum, Slavorum atque Tranſylvanorum vitas, ſcripta, elogia & cenſuras ordine alphabetico exhibens; accedit Bibliotheca Scriptorum, qui exſtant de rebus Hungaricis.

Francof. & Lipſ. ſumtibus Jod. Gvil. Kohleſii, Altdorf. Typogr. 1711, 4.

Alph. 2 plag. 14.

Dolet

DOlet in Præfatione Nob. Autor, quod dum extra Patriam hæc ſcriberet, nec libris in ſola Hungaria impreſſis uti, nec literarum commercio inopiam ſuam ſolari potuerit, & multos ſe ignorare fatetur, quorum hic locus fuiſſet. Itaque quotquot eruditorum civium in biographis invenit, in ſpecimen iſtud congeſſit, ſecundum alphabeti ſeriem diſpoſitos, additis, ubi ſeſe obtulerunt, aliorum de iis judiciis ac laudibus. Nec ad antiqua ſolum tempora aſcendit, ita ut ipſum Abaridem celebrem Philoſophum Scytham attingat; ſed omnium quoque rationem habuit, de quorum eruditione non niſi ex una alterave exercitatione Academica, aut aliorum ſive elogio, ſive cenſura conſtitit. Ut vero nomina, ex vulgari apud Hungaros ſcribendi ratione expreſſa, imperiti iſtius idiomatis Lectores pronuntiare poſſent, ſubjecit tabellam orthographiæ Hungaricæ, quæ legendi modum declararet. Pleraque cum ex fontibus non adeo incognitis hauſta ſint, nonnulla ex iis, quæ vel Autori noſtro ſingularia, vel non ubivis ſaltem obvia ſunt, repetemus. Illuſtrant eruditam Hungariam plurimi, qui literarum ſtudia & librorum ſcriptionem non infra partam ſibi armis gloriam reputavere. Inter illos Michael Apaffi Tranſylvaniæ Princeps M. F. Wendelini compendium Theologiæ in Hungaricum idioma eleganter tranſtulit. Et Stephano Bathoreo, Poloniæ poſtea Regi, carcer muſæum præbuit. Cum enim a Jo. Sigismundo Principe Tranſylvaniæ, cui mortuo ſucceſſit, ad Maximilianum II miſſus, & quod domi interim pacis conditiones violarentur, cuſtodiæ datus eſſet, totum iſtud, quod captivus egit, biennium lectioni antiquorum Autorum impendit. Valentinus Balaſſæ, Comes, fortitudine non minus, quam ingenii in pangendis Latinis Hungaricisque carminibus ſuavitate excelluit. Nicolaus Iſtvánſi, qui omnes ferme Europæ linguas, ipſamque Turcicam calluit, inter primarios honores, magnus ad ſenectutem usque miles, res Hungaricas ab exceſſu Matthiæ Corvini usque ad Matthiam II Regem Hungariæ libris XXXIV ſcite conſcripſit. Ex Præſulibus Hungariæ Petri Pazmany, Cardinalis & Archiepiſcopi Strigonienſis, hic ideo mentionem facimus, quia Tyrnaviæ Academiam fundavit,

Digitized by Google

fundavit, quæ A. 1635 d. XIII Nov. dedicata, non contemnendis ſubito incrementis aucta eſt. In prima diſputatione publica, cui argumentum præbuere theoremata quædam Logica, ipſe Cardinalis opponentis officium, quod nec poſtea in diſputationibus Logicis menſtruis dedignatus eſt, in ſe ſuſcepit. Johannes Telegdi Archiepiſcopus Colocſenſis in hac Academia convictum Nobilium, & Ferdinandus Palfi Epiſcopus Agrienſis ſcholas Academicas condidiſſe p. 310 memoratur. Georgius Borſon Epiſcopus Varadienſis, Præpoſitus Szebuſienſis, S. Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Conſiliarius Cameralis, autor declaratur funeſti admodum Proteſtantibus in Hungaria libelli, qui iſtum titulum præfert: *Veritas toti mundo declarata, argumento triplici oſtendens S. Caſ. Regiamque Majeſtatem non obligari tolerare in Hungaria ſectas Lutheranam & Calvinianam, quam catholicæ religionis zelo concinnavit* G. B. E. V. P. S. S. C. R. M. C. C. Sanctorum, qui natales ſuos Hungariæ debent, Martini Epiſcopi Turonenſis, Albani, Eliſabethæ Landgraviæ Thuringiæ, Emerici, Gerhardi, Guntheri, Hieronymi, Ladislai, Margaritæ, & Stephani ſuo partim loco fuſius memoratorum notitiam brevem exhibet, ubi de S. Martino agit, & ad Johannis Tomko, Dalmatæ, Epiſcopi Bosnenſis, Hiſtoriam Sanctorum Illyricanorum Lectorem ablegat. Ex reliqua eruditorum Hungarorum corona paucos in ſcenam hanc reducemus. Quæ enim de M. A. de Dominis, Dudithio, Jano Pannonio, Johanne Sambuco, Paulo Scalichio, Verderiis, aliisque Viris oppido clariſſimis afferuntur, aliunde ſatis nota ſunt. Hoc forte non omnes norunt, quod de Matthia Flacio, ex Hieron. Zanchii epiſtola ad Lavaterum refertur, moribundo negaviſſe ſacrum viaticum eccleſiæ miniſtros. De Chriſtophoro Laknero J. U. D. & Cos. Sempronienſi, magnoque religionis ſuæ Evangelicæ ſtatore, qui Ferdinandi II incredibili gratia ac pene familiaritate uſus, memorabile eſt, a patre ſuo aurifabro artem illam egregie fuiſſe edoctum, vaſaque ſua argentea, propria manu artificioſe elaborata, eidem Imperatori legaſſe. De Johanne Bayero, erudito Philoſophiæ Chriſtianæ aſſertore, ſed cujus obſcura hactenus notitia fuit, hinc diſcimus, quod Eperieſini

U

rieſini loco tenui natus, & beneficio Senatus Patrii Vittebergæ ſtudiis circa A. 1650 operatus, Lycei in Patria Rector fuit conſtitutus, inde Neoſolii ac tandem Varallii Eccleſiæ miniſterio admotus. Inter Scriptores jurium Hungaricorum locum Noſter concedit Matthiæ Fronio, Saxo-Tranſylvano, in civitate Coronenſi Notario, qui Statuta Saxonum Tranſylvanorum primus in ordinem redegit, a Stephano Bathoreo ac Leopoldo I confirmata. Jus conſuetudinarium Hungariæ digesſit Stephanus Verböczi J. U. D. & Protonotarius Judicii curiæ Regiæ, quæ ſumma JCtorum in iſta terra dignitas eſt, ſub Uladislao II, qui hoc Juris Hungarici corpus approbavit: prodiit aliquoties, & auctius Tyrnaviæ in f. Cui utique jungenda eſt Franciſci Comitis de Nádasd Cynoſura Juriſtarum, Pottendorfii 1666 in octava forma divulgata. Ceterum admixta huic operi nonnulla ſunt, hiſtoriæ civilis amatoribus non diſplicitura. Nam p. 38 & ſeq. Bathoreorum familia, quæ A. 1613 cum Gabriele intercidit, illuſtratur, & p. 67 ſeq. inſeritur Johannis Deika, Gabrielis Bethlenii Concionatoris aulici, ad Davidem Pareum epiſtola, quæ Genealogiæ gentis Bethleniorum lucem affundit. Gabriel vero ille male plurimis Hiſtoricis Gabriel Bethlen Gabor appellatur, ut hac occaſione Autor noſter obſervat, cum Gabor Gabrielem ſignificet, & cognomini ex more Hungarorum poſtponatur. Bibliotheca Hiſtoricorum Hungariæ in tres claſſes diſpeſcitur. In prima, quæ non indiligenter collecta augeri tamen poteſt, eos qui (1) antiquitates & origines Hungarorum, (2) qui Chorographias aut Topographias, (3) hiſtoriam & bella, (4) Politiam & jus publicum, (5) Hiſtoriam eccleſiaſticam, (6) qui de Nobilitate Hungarorum, illuſtriumque perſonarum factis & genealogiis, deniq; (7) qui de naturalibus, mineralibus, antiquitatibus, inſcriptionibus &c. ſcripſere, ac tandem MSC. Hiſtoriæ Hungaricæ recenſet, quibus ultimis adjungenda Hiſtoria Eccleſiaſtica Hungariæ, quam Johannes Burius Hungarus reliquit, a filio ejus Eccleſiæ Neoſolienſis Miniſtro aucta, & publicanda, ceu in ipſo hoc ſpecimine relatum eſt. Secunda claſſis eorum Scriptorum quosdam enumerat, qui præter res a ſuis gentibus geſtas,

cas

eas, quæ in Pannonia veteri ac moderna acciderunt, ſparſim operibus ſuis immiſcuerunt, eodem ordine diſpoſitos. Tertia continet nonnullos Auſtriæ, Bohemiæ, Poloniæ, Reipublicæ Venetæ, & Imperii Turcici Hiſtoricos. Ordo in hac Bibliotheca eſt alphabeticus, & monenda nonnulla forent, ſi noſtri id inſtituti eſſet.

OCTAVII FERRARII, PATRICII MEDIOLANENſis, Equitis, & in Lyceo Patavino quondam Profeſſoris incliti, Opera varia, Proluſiones, Epiſtolas, Formulas, & varias inſcriptiones complectentia; collegit, in ordinem redegit & emendavit JOHANNES FABRICIUS.

Tomi II.

Helmſtadii, impenſis Godofredi Freytag, 1710, 8.
Alphab. 4.

NOn ſatis eſt ſumme venerabili Editori, ſua ſcripta cum litterato Orbe communicaſſe: qualia ſunt *Amœnitates* Theologicæ, *Conſideratio* variarum controverſiarum, ejusque Defenſio, *Memoria* Martini Beerii, & Friderici Ulrici Calixti, *Orationes* duæ, quarum altera agit de templis veterum Chriſtianorum, altera de reſignatione Magiſtratus Academici, *Diſſertatio* de reverentia erga ſacra, *Epiſtolæ* tres, & *Oſculum* Theologiæ ac Philologiæ; niſi etiam aliorum libris præſtantioribus ſive edendis, ſive recudendis ſtudium & operam adhiberet. Sic edidit ac recognovit Parentis ſui, *Joannis Fabricii* Prælectiones Theologicas, & Homilias in Jobum, nec non alphabeticas, *Joannis Sauberti* explicationem difficiliorum locorum ſacræ Scripturæ, & tractatum de ſacerdotio Ebræorum, *Wolfgangi Gundlingii* Annotationes in canones Concilii Gangrenſis, *Valentini Franckii* origines nationum, & præcipue Saxoniſcæ in Tranſylvania, *Guilielmi Forbeſii* Conſiderationes Controverſiarum, cum *Compendio Veroniano*, *Melchioris Zeidleri* Diſſertationem de peccato actuali infantum. Atque nunc in lucem producit pro ſuo in litteras amore & affectu, *Octavii Ferrarii*, incomparabilis Oratoris, Opera varia. Magnum profecto ipſe contulit laborem & diligentiam in his colligen-

dis: neque vero quis reperiri facile poterat, qui ea communicaret cum orbe erudito. Egit enim ipſe Vir doctiſſimus cum Ferrario, cum eſſet in Italia, perſpexitque in eo ingentes, quibus cumulatus, animi dotes: imo & ab hujus Filio & clariſſimis aliis hominibus per litteras accepit, quæ negata aliis. Conſtant vero Op ra hæc Proluſionibus, ſeu Orationibus ſtudiorum auſpicalibus, Epiſtolis ad Viros eruditos & illuſtres ſcriptis, Formulis ad petendum Doctoris inſignia, quibus Latinitatem elegantiorem candidatis commendavit, & inſcriptionibus, ſeu encomiis varii generis. Inter Proluſiones ad rem litterariam imprimis faciunt II Apollinis infelicitas, III Juventutis otium negotioſum, IV Artium ac diſciplinarum auctio, V Bos, academiæ Patavinæ titulus, VI Nuptiæ philologiæ, VII Suppetiæ Criticis latæ, VIII Cauſſæ pereuntium litterarum, IX Litteratorum infelicitas, X Studiorum neceſſitas, XII Pretium litteris ac litteratis a Principibus habitum, XIV Litteratorum funus, XVII Gymnaſium Patavinum, XXVI Muſarum ſecretum, XXVIII Peplus Venetus, quo nobiles Veneti eruditi exhibentur, XXXII *Chiron*, ſive recta inſtitutio, XXXIII *Cecropides*, ſive vera nobilitas, XXXVI *Clypeus Minervæ*, ſeu litterarum & Profeſſorum tutamen: ut reliquas magnam partem jam antea editas taceamus. Sequuntur deinde Epiſtolæ, quarum pleræque ad Viros omnium gentium eruditiſſimos ſcriptæ ſunt, quorum & reſponſoriæ nonnullæ hic inſeruntur. Admixtæ tamen & ſunt aliquæ, quas ad Philippum IV, Hiſpaniæ, & Fridericum III, Daniæ Regem, tum & ad Chriſtinam Suecicam aliosque Principes dedit. Acceſſit præterea Tomo II curriculum vitæ ab ipſomet Ferrario ad Editorem perſcriptum, item Excerptum Caroli Patini de vita Ferrarii, ejusque Epitaphium, & multa eruditorum de Autore judicia ac teſtimonia & elogia: qua in re etiam ab illuſtri *Magliabechio* benevole ſe adjutum fuiſſe, grato animo fatetur. Dedicationi autem, ubi in laudes *Ferrarii* excurrit, ac Præfationi, in qua inſtitutum ſuum exponit, duas annectit Epiſtolas, alteram Editoris ad generoſiſſimum *Julium Ferrarium*, Octavii filium, & hujus ad illum alteram. Ceterum non eſt, ut

operoſe

Digitized by Google

operoſe commendemus hæc *Ferraris* ſcripta, quæ maximis litteratorum, & ſummis imperantium, ſicut ex Epiſtolis & teſtimoniis eruditorum patet, in pretio ac delitiis ſemper fuerunt, ac futura ſunt, quoad litteris ac eruditioni, atque imprimis eloquentiæ, qua Autor ille præ aliis excelluit, honor ac pretium habebitur. Saltem e vitæ curriculo, ab ipſo Ferrario compoſito, pauca delibari, nequaquam ingratum Lectori judicamus. Nimirum, cum quadrimus Patrem amiſiſſet, in patrui Franciſci Bernardini Ferrarii, editis de Epiſtolis eccleſiaſticis, de ſacrarum Concionum ritu, deque acclamationibus ac plauſu libris clariſſimi, contubernio enutritus eſt. Hinc cum in Ambroſiano Collegio Græcis & Latinis innutritus & conſueta Philoſophiæ & Theologiæ curricula emenſus eſſet, annos natum viginti & unum Federicus Card. Borromæus, in cujus intimæ familiaritatis ſacra inductus erat, ſupremis tabulis in idem Collegium allegit. Sed hinc poſt ſexennium a Veneta Republica in Gymnaſium Patavinum evocatus, ſcholam illam prope deſertam brevi florentiſſimam reddidit; qua re permoti Patres Veneti, novis poſt ſingula ſexennia incrementis ad usque bis millena ſtipendium ejus auxerunt. Mortuo deinde Joſepho Ripamontio, celeberrimo Mediolanenſium hiſtorico, ab urbis patriæ Decurionibus abſens in ejus locum ducentorum aureorum ſtipendio ſuffectus eſt, ad res Mediolanenſes poſteris tradendas, quo tamen munere, cum poſt fruſtra quotannis in patriam ſuſcepta itinera nihil ex archivis ſuppeditaretur, ſe abdicavit, & jam octo Libros confectos ea lege mandavit hæredi, ne unquam publici juris fierent. A Chriſtina quoque Regina Sueciæ, cui publica oratione de inauguratione ſua gratulatus eſt, millenorum aureorum torque, & a moderno Galliarum Rege quingentorum aureorum honorario per ſeptennium donatus eſt. Plura vero poſteritati reliquit monimenta, in quibus *Origines linguæ Italicæ* opus varium ipſe vocat & multorum annorum labore confectum. Ceterum ut ſingulari vitæ comitate multorum Principum & Virorum eruditorum amicitias ſibi comparavit, ita animorum conciliandorum mirus fuit artifex, ut vulgo *Pacificator* appellaretur: invidiam

vero ſemper generoſe contempſit, adeo ut (quæ ſunt ipſius verba) latrantes rabulas ne reſponſo quidem unquam dignatus ſit, eorumque crebras obtrectationes laudis & gloriæ incitamentum habuerit. Obiit, ut teſtatur Carolus Patinus in Lyceo Patav. p. 14, Non. Mart. A. 1682, cum paucis ante diebus poſtremam prælectionem publice de Manibus & umbris habuiſſet.

MEMOIRES SUR LA PRETENDUE DECLARATION de l'Univerſité de Helmſtad &c.

h. e.

COMMENTATIONES IN DECLARATIONEM Academiæ Helmſtadienſi tributam, de mutata religione REGINÆ Hiſpaniæ.

Roterodami, apud Abrahamum Acherium, 1710, 8.
Plag. 11 cum dimid.

POſtquam tertio abhinc anno Sereniſſima Princeps Guelferbytana Eliſabetha Chriſtina Carolo III Potentiſſimo Hiſpaniarum Regi, mutatis antea ſacris, deſponſata eſt, magnos animorum motus non ſolum in Germania, ſed & in exteris quibusdam regionibus concitavit ſcriptum aliquod, in quo cum fundamentalis inter Eccleſiam Evangelicam & Romanam conſenſus, tum tranſitus etiam ad iſtam, ut licitus, defenditur. Hoc in locis cœtui Romano addictis magno tripudio exceptum, ac primum quidem ſub D. Jo. Fabricii, tunc Profeſſoris Theologiæ apud Helmſtadienſes ordinarii, nunc honorarii, deinde vero totius Ordinis Theologorum Helmſtadienſium nomine recuſum, ipſisque Ephemeridibus Trevoltienſibus A. 1708 Menſ. Majo, quaſi, neſcio quod, de Proteſtantium religione trophæum, inſertum eſt.

Noſter vero malæ ac deſperatæ cauſæ argumentum interpretatur, quod, ad occupandos credulorum animos, poſt tot alia ſcripta notha mortuis ſuppoſita, quorum fere ducenta ipſimet Pontificii agnoſcant, Proteſtantes vero duplum numerum demonſtrent, nunc etiam vivis, imo univerſo cuidam ordini Theologorum adhuc ſuperſtiti talia affingantur. Ut ergo

veram

veram totius rei geſtæ rationem pariter ac gloriationis inde captatæ vanitatem perſpicue omnium oculis exponat, primo occaſionem Reſponſi illius, quod dicitur, Helmſtadienſis, atque adeo omnes ritus ac formulas, quibus Sereniſſima Princeps ad cœtum Romanum traducta eſt, recenſet: deinde publicam Theologorum Helmſtadienſium declarationem profert, qua ſe neque auctores illius eſſe, nec argumentum & ſententiam ejus probare, teſtantur. Addit etiam, præter ipſum D. Niemeieri de illa ſacrorum mutatione a Sereniſſimo Duce Guelferbytano conſulti reſponſum, privatas reliquorum Theologorum Helmſtadienſium, nominatim D. Smidii & D. Wideburgii, literas, quibus reſponſum illud ſibi nec, antequam ederetur, viſum eſſe, & poſtquam editum eſt, vehementer diſplicuiſſe, aſſeverant. Porro, quantopere alii Theologi Lutherani ſcriptum hoc, ſimul ac in lucem prodiit, deteſtati fuerint, ipſorummet verbis demonſtrat, & inter eos præcipue D. Fechtium, Theologum Roſtochienſem, D. V. E. Lœſcherum, quem quidem pro Vitembergenſi, ſive potius Dresdenſi, falſo Lipſienſem Theologum vocat, Frickium Ulmenſem & Edzardum Hamburgenſem collaudat. Denique, quam longe fœtus iſtius abortivi ſententia a publica Evangelicorum doctrina abhorreat, cum aliis, tum eorum quoque Theologorum, qui leniores judicantur, ut Calixti, Speneri &c. teſtimoniis confirmat. Quin ipſius D. Fabricii, qui auctor illius vulgo perhibetur, ad Theologos Tubingenſes epiſtolam, qua eam ſuſpicionem a ſe amotam cupit, adjungit, cui quidem iſti poſt alias fideles admonitiones his inter alia verbis reſpondent: *Grata nobis fuit proteſtatio contra ſcriptum ſub nomine tuo editum. Gratius erit, ſi publico ſcripto oſtendes, quam atrox ſit peccatum defectio a fide Evangelica. Gratisſimum, ſi periculoſam & multis jam animabus exitialem deſeres ſententiam, quod conſenſus ſit fundamentalis inter Pontificiam Eccleſiam, qua talem, & noſtram.*

KERK-

KERK-EN WEERELDS-STAET &c.
h. e.
STATUS ECCLESIASTICUS ET POLITICUS USque ad noſtra & ſequentia tempora, oſtenſus ex vaticinio Jeſaiæ de Duma per PETRUM HAMER, *V.D. M. Numansdorpienſem.*

Lugduni Batavorum, apud Henricum Teering, 1707, 8.
Plag. $14\frac{1}{2}$.

HIc libellus continet homiliam ſacram a Cl. Autore A. 1676 Middelburgi in Selandia pro concione habitam, quam iisdem verbis, quibus tum eam conſcripſerat, prelo ſubjiciendam curavit, variisque annotationibus ſubjectis illuſtravit. Ipſum vaticinium, in quod hæc homilia eſt compoſita, deſumtum eſt ex *Jeſ. XXI, 11* & *12*, atque his verbis conſtat: *Onus Dumæ. Clamatur ad me ex Seir: cuſtos! quantum noctis proceſſit? cuſtos! quantum noctis proceſſit? Cuſtos dicit: advenit tempus matutinum & adhuc nox eſt. Si quærere vultis, quærite, re-*
p. 16. *vertimini, advenite.* Per Dumam Cl. Autor cum pleriſque Interpretibus intelligi ſtatuit Idumæam, cujus pars montana Seir dicta fuit, dicique per aphæreſin Dumam, uti Ram pro Aram, quod Syriam ſignificat, *Job. XXXII, 2:* poſſe tamen ea, quæ de Idumæa hoc loco dicuntur, ad ipſam etiam Judæam applicari. Cuſtodis nomine indigitari aut Deum ipſum, aut Propheta-
35. rum aliquem. Noctem hic eſſe tempus anguſtiæ, doctrinæ ac vitæ impiæ, pœnæque a Deo immiſſæ. Tempus matutinum explicat de plenitudine temporis, qua Deus miſerit Filium ſuum, qui ſit lumen illud, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum. Sed quia tenebræ illud non comprehende-
46. rint, ideo Prophetam ſubjungere, eſſe adhuc noctem. Hæc omnia ad noſtra tempora, inprimisque ad ſtatum eccleſiarum Proteſtantium applicat, quas, licet lux in iis fulgeat, nondum tamen a quisquiliis Romanis, uti loquitur, penitus eſſe repurgatas exiſtimat. Conqueritur, inter doctores, qui cuſtodes
53. eſſe debebant, æque ac inter auditores reperiri permultos, qui officio ſuo minime ſatisfaciant. Spiritum ſolere extingui,

eos,

eos, qui optimis donis, ac præcipue ſecundum Pauli conſilium
dono prophetandi ſtudeant, contemni, cum tamen Chriſtus
promiſerit, ſe daturum credentibus omnibus Spiritum ſan-
ctum, qui futura ipſis ſit annunciaturus. *Joh. XVI, 13.* In fine p. 85.
inter alias adhortationes auditores excitat, ut pro ſalute hodi-
ernorum incolarum Idumææ & univerſorum Turcarum ac Ju-
dæorum ſerias preces ad Deum fundant. Spem etiam fovet,
fore, ut Turcæ aliquando ad Deum ſe convertant, qua de re in
dicto *Jeſ. XIX, 23,* ubi in ſermone Hebræo dicitur, Ægyptum
ſervituram Aſſuri, & utrumque populum tandem populo Dei
annumeratum iri, vaticinium ſibi deprehendiſſe videtur. Verba 105.
ipſa Autoris, quibus in annotationibus homiliæ ſubjectis uti-
tur, hæc ſunt: *Spiritus Sanctus docet nos hoc loco vi ſermonis
Hebraici, Ægyptum Chriſtianam, imprimis Germaniam, poſt tot
viciſſitudines cladium ac victoriarum tandem aliquando magna
ex parte ab Aſſure Turcico eſſe ſubigendam: victores vero tum
tertiam partem populi Dei conſtituturos, & benedictos futuros in
medio terræ.* Hoc vaticinium Autoris uti e loco Jeſaiæ allega-
to difficulter erui poteſt, ita illud quoad converſionem Turca-
rum impleri, quoad ſubactionem vero partis Germaniæ falſum
eſſe merito optamus. Appendicis loco ſubjungitur brevis
Paraphraſis libri Obadiæ, ob ſimilitudinem argumenti, quia
itidem contra Idumæam eſt ſcriptus.

ESSAIS DE THEODICEE:
h. e.
TENTAMEN THEODICÆÆ.

Amſtelodami, apud Iſaacum Trojel, 1710 in 8.

EXpoſuimus nuper principia, quibus Illuſtris *Leibnitius* ad vindicandam veritatem religionis tam naturalis, quam revelatæ, & diſſolvendas objectiones contra eam factas, utitur, ſicque ſatisfecimus pro ſcopo noſtro Diſcurſui præliminari & Parti primæ operis prorſus eximii. Reſtat igitur, ut enarremus, quænam in Partibus reliquis & Appendicibus contineantur. Nimirum *Parte ſecunda & tertia* objectiones *Balianas*

Digitized by Google

ad trutinam accuratam Autor appendit & nodos, quos pro inſolubilibus venditaverat, feliciſſime ſolvit. Et *Pars* quidem *ſecunda* objectionibus ſatisfacit, quæ reſpiciunt cauſam moralem mali moralis ſeu peccati, eamque a Deo in hominem transferre conantur. *Pars* vero *tertia* agit, tum de cauſa morali mali phyſici ſeu dolorum, tum denique de cauſa phyſica mali moralis, Deique ad peccatum concurſu. Equidem inſtituti noſtri ratio non permittit, ut ſingulas objectiones *Belianas*, cum reſponſionibus exactis perſpicaciſſimi *Leibnitii*, in medium proferamus; præcipua tamen totius controverſiæ momenta annotari conſultum ducimus. Primo igitur loco Vir profundi ingenii expendit novendecim propoſitiones Philoſophicas, quas ſeptem aliis Theologicis opponit doctiſſimus *Belius*. Ubi inter alia arguit errorem *Belii* ſibi perſuadentis, corruptionem originalem per operationem quandam divinam & quaſi per miraculum in mente hominis effectam eſſe, cum potius naturale peccati conſequens extiterit, & miratur, ipſum hypotheſi de duobus principiis tantum tribuere, quaſi ea melior originis mali explicatio haberi debeat, quæ proprium mali principium idque inexplicabile admittit, cum contra potius talis hypotheſis ſit ſimilis ſcholaſticæ, cujus defenſores pulchre chyli aut ſanguinis aliorumq; rationem ſe reddidiſſe putant, ſi facultatem chylificam vel ſangvificam fingant. Difficultates vero circa malorum originem enatas ſublaturus, variorum ea de re errores, *Hobbii* inprimis & *Spinoſæ* fatum cœcum, Calvinianorum quorundam ſupralapſariorum decretum Dei indifferens & arbitrarium, aliorumque naturam juſtitiæ arbitrariam refellit. Contra hos oſtendit, divinæ Majeſtati parum conſuli, ſi Deus dominium in creaturas deſpoticum exercere, aut juſtitiam & virtutem pro arbitrio ſuo, ſine naturæ rationalis fundamento, conſtituiſſe dicatur: revera enim actiones non eſſe bonas, virtuoſas, juſtas, niſi quatenus perfectioni ſerviunt, vel imperfectionem impediunt: quæ adeo ſtatui ideali creaturæ rationalis conveniunt, antequam Deus eam creare decernit, & hinc recte per ſe bonæ dicuntur. *Puffendorfium* in talibus minus verſatum, rem non ſatis perpendiſſe

pendiſſe notat: qui abſolutum decretum acriter in ſuo Fæciali impugnans, id quod eſt maxime in eo abſurdum, & ſine quo tolerari facilius poterat, concedit & propugnat. Evincit præterea Noſter, tolerari non poſſe illorum ſententiam, qui mundum meliorem a Deo fieri potuiſſe affirmant, utpote ſapientiæ ac bonitati Numinis derogantem: ubi tamen notat, *Alphonſum* Caſtellæ Regem, quem culpant, quod aſſeruerit, ſyſtema mundi melius conſtrui potuiſſe, nonniſi de Syſtemate *Ptolemaico* tunc temporis recepto judicaſſe. Ceterum totius hujus præjudicii fundamentum in eo ponit, quod perperam aſſumatur, quod optimum eſt in parte, idem eſſe optimum in toto, cum tamen malum partium ſæpius bonum totius augeat, & ad boni in toto incrementum tendat. Hanc vero de origine malorum doctrinam in Parte tertia fuſius perſequitur. Mala quidem Metaphyſica, id eſt, imperfecta & inordinata, quorum exempla ſunt monſtra aliæque irregularitates, contineri ſtatuit in ordine rerum, tanquam medium ad ordinem perveniendi, imo tanquam requiſita neceſſaria ad ordinem explendum in toto. Ita e. gr. tellurem multas paſſam eſſe notat mutationes, ut in eum ordinem redigerentur terreſtria, in quo nunc comparent, & ubi humanis commodis ſunt adaptata. Dubia hic enata ſtatim evaneſcere arbitratur, ubi ad ſyſtema harmoniæ generalis reſpicimus: cum etiam in Muſicis conſtet, diſſonantias apte inſperſas gratiorem reddere totam melodiam. Quod ſi urgeas Deum per miraculum aliquod exiguum ingentem malorum numerum antevertere potuiſſe, lapſu ſcilicet Evæ præternaturaliter impedito: generaliter quidem reſpondet, in optima rerum ſerie ſemel electa nihil immutari potuiſſe, ut tamen idem diſtinctius appareat, in miraculorum indolem penitius inquirit. In duo itaque genera miracula diſpeſcit. Alia eſſe naturalia (etſi ſupra naturam nobis notam) & ea poſſe produci cum ope aliarum naturarum occultarum, tum ſpeciatim miniſterio angelorum corporibus junctorum multo ſubtilioribus & efficacioribus quam noſtra; alia vero ſuperare omnem naturam creatam, & omnem vim creaturarum tranſcendere. Hæc totum univerſi curſum turbant propter corporum connexionem, & Deus in nonnullis

miraculoſe ſtatum naturalem mutans, etiam in ceteris miraculoſe efficere tenetur, ne nimia oriatur perturbatio & ut omnia demum ad verum modum redeant. Unde ratio ſufficiens apparet, cur non tam facile miracula vere ſupernaturalia ſint admittenda. Ceterum, dum *Balius* perfectionibus divinis indignum judicat, quod mala prædominentur bonis; erroneam hanc eſſe ipſius ſuppoſitionem, clariſſime Autor demonſtrat, cum *Carteſio* defendi debere ratus, in hac etiam vita plus boni quam mali eſſe. Bonum namque phyſicum non modo in voluptate, ſed & in ſtatu medio, qualis eſt e. gr. ſanitas, conſiſtit, & probe conſiderandum, uſum voluptatis nimis frequentem ipſasque voluptates nimis intenſas maximum quoddam fore malum. De voluptatum indole tractans monet, voluptates mentis eſſe magis puras & conſtantes voluptatibus corporis, ita ut *Cardanus* ſenex ſtatum ſuum cum juvene divite, ſed indocto non commutaſſet. Habent enim ſcientiæ aliquid dulcedinis, quam concipere neſciunt niſi experti. Notat etiam, multam animi inquietudinem, & pleraque incommoda locum non habitura, ſiquidem principiis veris mentem imbuamus, eamque ad virtutem exerceamus: ita enim obtinetur, ne metuamus, quæ nobis deſtinata ſunt, nec conqueramur de iis, quæ obtingunt. Addit, poſſe nos non tantum obtinere patientiam & nudam tranquillitatem, quia ferendum eſt, quod mutari non poteſt; ſed etiam lætitiam & animum contentum, quia res a Deo perfectiſſime & pro nobis etiam ipſis (ſi modo velimus) feliciſſime ſunt ordinatæ. Ut taceam, multa mala per bonam educationem, aut per conſuetudinem vel diminui, vel plane tolli & inſenſibilia reddi poſſe. Mala prævalere vulgo credi notat, quoniam magis excitant attentionem noſtram quam bona, quibus aſſuevimus, & quæ proinde ſunt frequentiora. Et ſi quis vellet bona a Deo reddi magis ſenſibilia, eum non intellecturum, quid petat, & in ſua ipſum vota pugnaturum eſſe. Ita enim futurum, ut mala ſint frequentiora, bona rariora. Quod mala culpæ ſeu peccata concernit, concedit equidem, quod bonis apud homines prædominentur; eorum tamen opinionem improbat, qui nimium faciunt hoc prædominium,

Digitized by Google

minium, adeo ut virtutes ethnicorum ſplendida peccata appellent. Ceterum non judicandum de civitate Dei ex parte exigua ejus nobis nota, cum ipſius etiam hiſtoriæ generis humani nonniſi exiguam partem cognoſcamus, & alias ſubſtantias rationales univerſi fere penitus ignoremus. Hinc ſufficit ad ſalvandam ſapientiam & bonitatem Numinis, quod in univerſo ſit plus boni, quam mali, licet in genere humano plus mali, quam boni exiſteret, quod tamen ipſum non penitus conceditur. Minus negotii faceſſunt mala pœnæ, cum ex malis culpæ quadam naturæ neceſſitate conſequantur. Cum igitur illa ſancte permittere potuerit Deus; multo minus hæc declinari omnino neceſſarium fuit. Immo pœna plerumque emendationem continet culpæ. Malum vero pœnæ quoniam ex malo culpæ enaſcitur, quamdiu durat malum culpæ, tamdiu durare debere malum pœnæ infert: quo admiſſo, manifeſta redditur ratio damnationis æternæ, ut non neceſſe ſit ad infinitatem Dei læſi recurrere. Hanc in rem celeberrimum *Fechtium* aliosque Theologos noſtros allegat. Et quia quidam libertatem hominis impugnant, ut probent, mala non ipſi, ſed Deo attribui debere, Autor reſponſurus ad libertatem tria requirit, 1 cognitionem ſufficientem objecti ad deliberandum; 2 ſpontaneitatem, qua principium eſt in nobis, ut nos determinemus; 3 contingentiam determinationis, quæ neceſſitatem abſolutam ſeu Logicam aut Metaphyſicam excludit. Cognitio eſt vel diſtincta, nempe rationis, vel confuſa, nempe ſenſuum. Neutra libertati repugnat, ubicunque cum electione agimus: & poſt deliberationem ad illud propendimus, quod nobis melius apparet, aut nos magis afficit. Spontaneitas eatenus nobis competit, quatenus in nobis principium noſtrarum actionum habemus, rebus externis phyſice in eas non influentibus: id quod ex ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ optime apparet, in quo liquet, in curſu naturæ ordinario quamlibet ſubſtantiam proprie dictam ſeu ſimplicem eſſe cauſam unicam ſuarum actionum; eandemque exemtam eſſe ab omni influentia phyſica alterius ſubſtantiæ, excepto ordinario Dei concurſu. Falli autem monſtrat, quotquot cognitionem

boni malique noſtræ determinationi inſervientem, libertati adverſam ſtatuunt. Licet enim intellectus ipſe neceſſitetur, ſi perceptio clara & diſtincta adſit, affirmationem eo ipſo jam involvens, & licet voluntas appetat bonum, quod intellectus evidentius repræſentat; hæc tamen ideo neceſſitati non eſt obnoxia. Eſt nimirum voluntas conatus agendi ex boni vel mali perceptione ortus, qui antequam perficiatur, tempore opus habet. Hinc variis incidentibus ſuſpendi aut per novam perceptionem vel cogitationem mutari poteſt, ut adeo anima veritati vel errori multis modis reſiſtere queat, nec nexus usque adeo neceſſarius inter intellectum & voluntatem deprehendatur. Sane hinc etiam, ubi nihil tale intervenit, ut in Deo, ſemper tamen verum manet, voluntatem non neceſſitari, ſed tantum inclinari ab intellectu. Interim apud nos fit, ut indirectam quandam poteſtatem voluntates noſtras mutandi habeamus. Divinæ autem voluntates ſemel poſitæ mutari non poſſunt, etſi per ſe ſint liberæ, optima electione, certa quidem ſed non neceſſitante natæ. Falli quoque demonſtrat Carteſianos & cum ipſis *Belium*, nimiam Deo indifferentiam tribuentes, veluti cum ſtatuunt, quaſi Deus ad tales motus, quales producit corpus calidum, ideam quam ſentimus mero quodam arbitrio conſtituerit, ita ut nobis ad eosdem motus dare potuerit ideam, quam nunc habemus frigoris & vice verſa, ſi voluiſſet. Nihil enim in natura contingit plane arbitrarie, aut quod non dependet vel a veritatibus neceſſariis, vel a rationibus convenientiæ: unde tam leges motuum, quam perceptionum naſcuntur, & in operationibus Dei rationes ab electione rationis ſummæ ſunt petendæ. Equidem vulgo ſupponunt, leges motus eſſe arbitrarias; ſed judice *Leibnitio* hoc inde fit, quod eas non ſatis examinarunt. Quamvis namque concedat, eas pure Geometrice, ſeu ex principiis meræ neceſſitatis demonſtrari non poſſe; enaſci tamen docuit ex principio perfectionis & ordinis cum rationibus Geometricis conjuncto, ut adeo exiſtentiam cauſæ intelligentis ac liberæ optime evincant. In his Actis paſſim jam obſervavit, quod harum legum ratio reddi poſſit, ſi ſupponatur effectus viribus cauſæ æqualis,

ſeu

ſeu, quod idem eſt, eandem ſemper virtutem conſervari: hoc vero axioma Geometrice demonſtrari nequit. Simile principium eſt, actionem ſemper eſſe æqualem reactioni, quod repugnantiam materiæ adverſus mutationem externam ſupponit, nec ab extenſione, nec ab impenetrabilitate petendam. Aliaque id genus principia hic occurrunt, non a *neceſſitate* quadam abſoluta & Geometrica, ſed *convenientia* petenda, quæ inter neceſſarium & arbitrarium quodammodo medium tenet. Hinc vero optime eluceſcit diſcrimen inter neceſſitatem omnimodam &, ut ſic dicas, brutam, quæ a cauſis efficientibus poſitis mathematica quaſi conſequentia pendet, ac inter moralem, vel, hujus filiam, phyſicam a libera electione ſapientis intuituque cauſarum finalium ortam: quod diſcrimen ſpecioſum Naturaliſtarum fundamentum evertit. Quemadmodum vero leges motuum, ita & perceptionum mere arbitrariæ non ſunt, & ſpeciatim quod ideæ rerum ſenſibilium mero arbitrio Dei conſtitutæ non ſint, hunc in modum exponit illuſtris Autor. Repræſentatio aliquo modo exprimere debet rem repræſentatam. Quare ideæ caloris, frigoris, colorum, reſpondentes eis motus in organis repræſentant, ſed valde exiguos & multiplices. Unde fit, ut ipſa multitudo & exiguitas repræſentationem diſtinctam impediat: idque etiam ſenſibus cognoſci poteſt & ex confuſa perceptione fieri diſtincta e. gr. oculo armato, qui in colore viridi particulas flavas & cæruleas diſtinguit, quas nudus diſcernere nequit. Unde facile intelligitur, multa ineſſe, quæ nec nudus, nec armatus diſtinguere queat. Quemadmodum igitur idea coloris viridis a Deo nobis data non eſt arbitraria, ſed ex confuſione perceptionum flavi & cœrulei oritur, ita facile judicari poteſt, ſimiliter ipſam flavi vel cœrulei, vel etiam quamcunque ſenſibilem ideam in repræſentationes cauſarum has qualitates ingredientium reſolutum iri, ſi nos analyſin aliquo artificio vel ingenio eo usque promovere poſſemus. Porro præſcientiam Dei non præjudicare libertati hominis & rerum contingentiæ, multis modis oſtendit & illuſtrat; ſed illud inprimis inculcat, totam rerum ſeriem a Deo ceteris præferendam judicante cum mentis actu

atque

atque decreto electam & ad exiſtendum deſtinatam fuiſſe, cum omnibus partibus & circumſtantiis eam ingredientibus. Itaque cum in illa ſerie ideali ante exiſtentiam res repræſententur, quales futuræ ſunt (nempe contingentes & liberæ,) per præſcientiam autem & decretum Dei nihil accedat niſi actualis futuritio: patet, neque præſcientia, neque decreto contingentiam libertatemque ullo modo lædi, cauſarum etiam cum effectibus connexionem omnia quidem certa & determinata reddere; ſed certitudinem hanc non magis quam præſcientiam libertati obſtare. Cauſarum enim contingentium nexus ſemper eſſe inclinantes, nunquam neceſſitantes. Et hunc nexum in perfecta quadam totius univerſi partiumque ejus harmonia conſiſtere, quæ tanta eſt, ut Deus in præſenti ſtatu rei ſtatum ejus præteritum & futurum, immo in qualibet parte integrum univerſum videat. Denique quod concurſus divinus libertati & contingentiæ rerum non obſit; ex ejus indole monſtrat. Dat ex ipſius mente Deus continuo, quicquid realitatis in nobis & actionibus noſtris deprehenditur, quatenus perfectionem involvit: aſt quicquid limitationis aut imperfectionis occurrit, limitationum præcedentium, quæ creaturis originarie inſunt, conſequens habendum. Hac vero occaſione oſtendit, argumentum *Weigelii*, Profeſſoris quondam Mathematum Jenenſis, pro exiſtentia Dei a continuata creatione deſumtum & in Philoſophia Mathematica p. 33 & ſeqq. pro demonſtratione Mathematica quavis Euclidea fortiore perperam venditatum, a vera demonſtratione quam longiſſime abeſſe. Cum enim, inquit *Weigelius*, totus mundus ſingulis momentis loco nihili reddatur recens, neque tamen ulla res in mundo id efficere poſſit; neceſſum eſt ut detur extra mundum, præter mundum, infinitum ens, quod indefeſſus ſit creator. Ergo datur Deus. Optime vero perſpicaciſſimus *Leibnitius* obſervat, probari debere, creaturam continuo ex nihilo prodire & ſtatim in id recidere, nec niſi ens neceſſarium per naturam ſuam ultra momentum durare debere: immo difficultatibus de compoſitione continui idem argumentum implicari, quæ Labyrinthus Philoſophorum exiſtunt. Quemadmodum vero omnis actio

creaturæ

Digitized by Google

creaturæ eſt quædam modificationum ipſius mutatio; evidens eſt, actionem a creatura proficiſci intuitu limitationum aut negationum, quas includit & quæ per hanc mutationem variantur. Omnis ſubſtantia ſuas producit actiones & paſſiones internas, neque opus eſt, ut propterea ſciamus, quomodo eas producamus, etenim non ex voluntate, ſed ex natura noſtra fluunt, quæ quoad perceptiones confuſas infinitum involvit, nec a nobis perfecte cognoſci poteſt. Clauditur *Pars tertia* ſeu ultima fictione quadam eleganti, rem populariter exhibente, cœpta a *Laurentio Valla*, ſed non abſoluta, cum nodum Gordium quaſi gladio ſecaſſet: quam Autor ita ad finem deducit, ut ſimul ſolutio nodi appareat. Ibi *Apollo* præſcientiam, ſeu ſcientiam viſionis; *Jupiter* providentiam; *Pallas* ſcientiam ſimplicis intelligentiæ repræſentant. Binæ quoque in Parte prima & ſecunda digreſſiones elegantes inſeruntur, quæ legi merentur; una de conjectura Autoris hiſtorica, quod *Ormaſdes* & *Arimanius*, quibus *Zoroaſter* duo principia, unum boni, alterum mali, deſignavit, videantur nomina fuiſſe duorum magnorum Principum, *Ormiſdæ*, antiquiſſimi ſuperioris Aſiæ Regis, & *Irminis* ſive *Hermanni*, Ducis Celto-Scytharum, ex Germania & Sarmatia in Aſiam irrumpentium; altera de Theologia quadam Aſtronomica fictitia, quam neſcio quis commentus eſt.

Sequuntur appendices. Et primum, quæ fuſius contra *Balium* & alios in Parte ſecunda & tertia diſputata ſunt, in breviſſima *epitome* exhibentur, *argumentis* ad nonnullorum deſideria *in formam redactis*, & reſponſionibus juxta leges diſputantium adjunctis. Occurrunt deinde *Animadverſiones in opus Hobbeſii de libertate, neceſſitate & contingentia* & tandem aliæ *in opus Kingii de origine mali*. Opus *Thomæ Hobbeſii*, de quo hic agitur, nondum hactenus, niſi lingua Anglicana prodiit. Fuit ipſi lis de illo argumento cum *Johanne Bramballo*, Epiſcopo Remenſi, mutuis aliquot ſcriptis agitata, quæ uno volumine in 4 prodiere. *Hobbeſium* quædam eleganter & ingenioſe expoſuiſſe, agnoſcit ingenioſiſſimus Autor Tentaminum, quæ recenſemus, & confuſas quorundam Philoſopho-

rum & Theologorum notiones non male exagitaſſe, ſed in neceſſitate abſoluta eventibus adſcribenda modum exceſſiſſe; nec recte id, quod nec fuit, nec eſt, nec erit, cum impoſſibili confudiſſe. *Kingii*, Eccleſiæ Anglicanæ Prælati celebris, ingenium & eloquentiam laudat, & dimidiam fere ſyſtematis ejus partem probat, ſed alteram impugnat, dum ſcilicet Vir doctus ſibi perſuadet, voluntatem divinam humanamque habere facultatem rebus per ſe indifferentibus tam vere, quam apparenter, ſine ulla ratione dandi boni malique qualitatem & gradum, ipſa electione aut rejectione nullo plane fundamento nixa, & in illa tam mira facultate res ſibi accommodandi omnem conſiſtere vim, omnem uſum abuſumque libertatis. Quæ Autor noſter cum praxi vitæ veræque rationis principiis prorſus pugnare oſtendit.

Subjungitur demum Operi Tractatus Latinus, isque mole exiguus, in quo Autoris principia & dogmata in compendium methodicum miſſa leguntur, in uſum eruditorum, qui fuſe & populariter ad captum plerorumque lectorum expoſita, nunc ad ſcholarum morem nervoſis theſibus comprehenſa, in conſpectu habere fortaſſe deſiderabunt: cui inſtituto Latinus ſermo aptior eſt viſus. Methodus etiam hujus compendii Tabella in fine adjecta tanquam compendio compendii repræſentatur. Qua in Tabella cum error aliquis errore typographi admiſſus ſit, eum hic corrigere operæ pretium erit. In parte ſcilicet ſecundæ Tabulæ vel, ſi mavis, in Tabula ſecunda ſic formanda eſt ejus pars:

- Corruptio 75. ejusque
  - conſtitutio in
    - cauſa a
      - lapſu protoplaſtorum, cujus rurſus
        - cauſa quoad
          - Deum 76—78.
          - Hominem 79.
        - conſtitutio 80.
      - propagatione in poſteros, ubi de origine animæ 81 – 85.
    - peccato
      - originali (ubi quæſtio, quatenus damnet) 84—90.
      - derivativo 91.
        - actuali 92.
        - habituali 93—96.

D. JO.

D. JO. GEORGII ABICHTII, S. L. PROF. PUBL. Ord. *Ars diſtincte legendi & interpretandi Scripturam V. T.*

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtoph. König, 1710, 8.
Plag. 21.

IN quo diu deſudarunt multi, quod anxie anhelarunt plures, quod ex aſſe hucusque conſecuti videntur pauci, id ad liquidum nunc perducere ſtuduit Celeberr. Abichtius, SS. Theol. D. & L. L. O. O. in Acad. Lipſ. Prof. Publ. noſterque in colligendis his Eruditorum Actis Collega perinduſtrius. Cum enim is, ingens omnino evidentiſſimumque genuinæ S. Literarum interpretationis adjumentum, ab Accentuum Hebr. cognitione dependere intellexiſſet, non poterat non ex animo dolere tantum perutilis hujus & accuratæ doctrinæ neglectum, in iis non modo, qui Hebraicam linguam ne quidem a limine ſalutarunt, ſed etiam in iis, qui ejusdem non ignari, Hebræorum tamen diſtinguendi rationem, ne primis quidem, quod ajunt, labris deguſtarunt, reperiri. Cauſam ejus, re altius ponderata, non invenire poterat aliam, quam quod doctrinam hanc a multis (quorum nubem pertexere animus non eſt) impari Minerva ſuſceptam, & vel intricate ſatis & ſubobſcure, vel in maximis inſuper & lectorum patientiam ſuperantibus voluminibus, vel denique ſub diverſis prorſus & invicem pugnantibus hypotheſibus propoſitam eſſe intelligeret, quo aliter evenire vix poterat, quin primo aſpectu deterrerentur multi, difficultatibus perſpectis, alii Accentuum Hebr. auctoritatem pariter ac antiquitatem enervare conarentur. Quo ergo tanto malo ſtrenuum tutumque adferret remedium, pro ea, qua pollet, ingenii felicitate, nervoſe, perſpicue & in nucleo exhibendum eſſe duxit, quod diuturnus uſus, & indefeſſa S. Literarum evolutio ipſi de Accentuationis Hebraicæ utilitate ſuppeditaverat. Prodiit itaque ejusdem Ars diſtincte legendi & interpretandi Scripturam, in cujus fronte ſtatim ac Præfatione hypotheſin ſuam, quod ex intentione Autoris Accentuum, diſtinctivi ſemper & ubique (diſpari licet, pro loci diverſitate, gradu) diſtinguant, omnes contra accentus ſervi, ſemper & ubique copulent,

lent, modeſte proponit, accentuumque ſimul antiquitatem contra Baſnagium & Capellum rationum ponderibus defendit. Quibus expeditis de genuino Accentuum officio agendum ſibi eſſe exiſtimat, quod in decenti vocum modulatione, chorali noſtro cantui haut abſimili, diſtinctaque legendi ratione conſiſtere, non ſine ratione ſibi perſuadet. Allatis enim ex Talmude, Hieroſolymitano æque ac Babylonico, Maſora item & Elia Levita (qui unanimi conſenſu, Scripturam ſecundum Accentus lectam & decantatam eſſe, profitentur) fide dignis teſtimoniis; ex duplici vocum quorundam accentuatione, Accentuum ſervorum multitudine, & Hebraicorum Accentuum cum Græcorum Notis Muſicis convenientia, commode idem probari poſſe confidit. Ut vero noſtris hiſce temporibus, Muſicum Accentuum Hebr. uſum vel exſpiraſſe prorſus, vel ob ingentem Judæorum Germanorum & Polonorum in cantu diſcrepantiam, incertum ſatis eſſe, non diffitetur Cl. Autor: ita ſufficere arbitratur, quod Oratorum nobis diſtinctiones, ore prolatas, vocumque in lectione & cantu vel diviſionem vel connexionem (non duorum ſaltem, quod aliis erronee placuit, ſed plurium etiam vocabulorum) inſinuare ſoleant.

His præſuppoſitis ad inſtitutum propius accedit, eo quidem ordine, ut primo loco de Accentibus Proſaicis, ſecundo de Metricis agat, tertio, quæ prolixe erant propoſita, in compendium mittat, quarto de Accentuum abuſu quædam moneat, & quinto denique in exemplis uſum tam Proſaicæ quam Metricæ Accentuationis perſpicue ſatis & accurate oſtendat.

De Proſaicis Accentibus, quo calculum rite perducat, Cap. II, tam diſtinctivorum, quam ſervorum Accentuum Proſaicorum figuras ſedemque depingit, ordinemque ſe non inverſum, qui aliis arridet, ſed rectum obſervaturum pollicetur. Cap. III, quot membris majoribus propoſitionibusque verſiculus abſolvi ſoleat, ſubſtratis ſemper larga manu exemplis, docetur. Cap. IV majorum membrorum ſubdiviſiones, adjectis pro more exemplis, lineolisque Accentuum valorem exprimentibus, proponuntur, eaſdemque non lacerate, ſed uno ore unoque ſenſu, Hieronymi exemplo, ab interprete efferendas

eſſe

eſſe perhibetur. Cap. V membrorum minorum, præcedenti Capite propoſitorum, ſubdiſtinctiones una cum ſervis enucleantur. De quibus notandum, quod, tametſi voces, connexæ per ſervos, ſecundum Grammaticam conſtruendi rationem aliter interdum efferri debeant, interpreti tamen facillimum ſit dignoſcere, quid ad conciliandum verum ſenſum conjungi, quidve ſeparari debeat. Quo obſervato, Hieronymus multis ſe feliciter expedivit difficultatibus, in quibus LXXII & Capellum adhucdum hærere non ignoramus. Cap. VI duplicis Accentuationis Hebr. cauſa in Muſicam Hebræorum devolvitur. Cum enim certum ſit & indubitatum, diſtinctivum majorem, minorem vel ſervum ordinarie ante ſe requirere, ubi ille defecerit, uni voci duo accentus neceſſario erant imponendi. Cap. VII duplex, quam in Decalogo obſervamus, Accentuatio ſub cenſuram vocatur, rejectaque Schneegaſſi & Reinbeckii, qui myſteria venantur, ſententia, duplicem Decalogi lectionem, alteram in feſto Pentecoſtes ſecundum X præcepta, alteram in menſe Schebat, ſecundum verſiculos, ſub eadem deliteſcere demonſtratur. Quod ut eo melius appareat, utraq; lectio ſigillatim cum accentibus exprimitur, teſtimoniisque tum libri Ein Jaacob, tum R. Jechaskiæ confirmatur. Ad calcem quoque hujus Capitis, controverſiam de genuino X præceptorum ordine inter nos & Calvinianos diu hactenus agitatam ex accentuum ſitu haut difficulter dirimi poſſe, docetur. Cap. VIII, Piskam (qui circello repræſentatur) unius verſiculi juxta codices nonnullos in 2 commata diviſionem indicare, aſſeritur, ejusdemque origo, recenſitis ſimul, in quibus apparet Piska, locis, ad variantes in diſtinguendis verſiculis codices in ſolidum refertur, ex quibus librarii accentus utrinque apparentes conjunxerint, finemque verſiculi alterius codicis, circello in medio commatis annotarint. Cap. IX, non unam ſemper & ubique diſtinguendi rationem ab Accentuum Hebr. Autore obſervari, adſtruitur. Idque, tum ob voces longiores, & pronuntiationem tardiorem, ubi diſtinctivi majores minorum ſæpe, & hi iterum ſervorum officio perfungantur: tum ob voces breviores argumentumque deproperans, ubi mem-

bra per minores diſtinctivos diviſa, vel cum antecedenti, vel cum conſequenti membro connectantur. Quod in Idiotiſmis, Parentheſibus & Exclamationibus obſervandum, cum contra euphonice alias multæ voces, immo & nomina propria, citra neceſſitatem ſoleant diſtingui. Atque hæc de Proſaicis Accentibus ſufficere poterant: quare Autor nunc ad Metricum diſtinguendi modum ſe porro confert, & Cap. X, quo pacto Accentus quidam Metrici tum ratione figuræ, tum ratione loci a Proſaicis differre conſueverint, accurate deſignat. Diviſiones inſuper commatum, tum majores, tum minores, tum minimas, evolvit.

Ne interim hæc Lectori nimis generaliter dicta videantur, retento, quem in Proſaicis ſibi elegerat, ordine, Cap. XI de verſus Metrici diſtinctionibus majoribus ex inſtituto agit Autor, verſumque una, duabus & tribus pauſis, totidemque, immo pluribus interdum propoſitionibus abſolvi poſſe, exemplis demonſtrat. Cap. XII ſubdiviſiones minores Mercæ Mahpachati, Cap. XIII Atnachi, Cap. XIV Rbhiæ Gereſchati, Cap. XV Sillucki, Cap. XVI Tiphchæ anterioris, Cap. XVII Sarcæ, Cap. XVIII Rbhiæ ſimplicis, Cap. XIX τȣ̃ Pſick Schalſcheleth, Cap. XX Paſeris, in varia minora membra, adjectis ſemper in ſchemate ſervis, ſubminiſtratisque pro rei exigentia exemplis, recenſentur. Cap. XXI peculiares quosdam in libris Metricis legendi modos examinaturus auctor, de titulis Pſalmorum & de voce סֶלָה ſuam, quæ ab aliis nonnihil diſcrepat, mentem ſincere exponit, coronidis loco adjiciens illud, quod multitudo ſervorum in Metricis, quæ voces in lectione conjungendas oſtendit, nequaquam prohibeat, quo minus pro dictamine Logico voces ſervis connexæ diſtinguantur. Verum enimvero, ne cui, quæ prolixe hactenus fuerunt tradita, tædium faſtidiumque creare poſſint, Autor in compendium ea revocare, unoque Cap. XXII concentrata quaſi comprehendere allaborat. Unde, cum verſum Proſaicum æque ac Metricum, vel tres diſtinctiones majores, vel duas, vel unicam tantum admittere docuiſſet: uniuscujusque ſimul ſub-

ſubdiſtinctiones tam majores, quam minores, una cum ſervis in ſchemate, lineolis pro accentuum valore diſtincto, ſubjungit.

Sed de abuſu quoque Accentuationis monere quædam non incongruum videbatur Cl. Autori. Expedivit ergo tricas, quibus involvere nonnulli Accentuationis Hebraicæ doctrinam voluerunt, dum myſteria, quæ Kabbaliſtæ in ſuo Iggereth Hatteanim, Homilius in diſp. in locum Jeſ. XXXI, 22. A. 1671 habita, & recentiores Accentuum doctores, qui Trinitatis myſterium ex accentibus eruere conantur, ex merito ridet, eorumque abſurditates denudat.

Supererat nunc, ut regulæ ſpeciminis loco propoſitæ exemplis confirmarentur, quod intuitu Accentuum Proſaicorum Cap. XXIII explicatione locorum Gen. IV, 7, Deut. XXXII, 8, Jud. V, 14--18, 20, Dan. XI, 37, Jeſ. XI, 2, 3, Gen. XXII, 13, Mich. V, 1 (in quibus exponendis LXXII, Clericus, Hieronymus & Leo Caſtrius, ob neglectum accentuum, interdum minorum, hallucinati ſunt) ſatis ſuperque præſtitum animadvertimus. Ubi ſimul occaſione Oraculi, quod Neh. II, 13 legitur, quid de קרי & כתיב ut & de Mem finali in medio Jeſ. IX, 6 Autor ſentiat, cordate proponit.

Neque vero in Metricis exempla jure deſiderabis, cum Cap. XXV varia dicta ex Accentuum Metricorum mente explicata propinet. Primum oraculum Job. XX, 17 invenitur, quo prolixe deducto, Cl. Autor ex Accentuum poſitu Hebræorum poeſin, quæ non in rythmorum dimenſione, quod Clericus (ductu Pſ. II ex inſtituto & data opera ab Autore refutatus) aliis perſuadere conatur, ſeu brevioribus ſententiis, certa melodia decantatis, conſiſtit, exiguo labore reſtitui poſſe oſtendit, dummodo ad tria majora verſiculi membra, Mercæ Matpachati, Atnachi & Sillucki, quæ verſus finiunt, attendatur. Cujus rei fidem facturus, in conſilium vocat Pſ. CL, eodemque ſecundum accentus, conſentientibus LXXII & Hieronymo, deſcripto, rythmicam Clerici diviſionem iterum varias ob cauſas perſtringit. Sed nec minus Accentuum Metricorum uſus in eo ſeſe exerit, quod pro iis locis, quos mancos

mutiloſve

mutiloſve eſſe credunt interpretes, egregie propugnent. Adducitur eam in rem Pſ. VII, 12, quem cum rythmorum gratia interpolaret Clericus, nec LXXII verſionis, qua uſus erat, veſtigia bona fide legit, nec vocabulum μακρόθυμος per רחום ſatis apte expoſuit. Pari modo in Pſ. XVI, 1, 2, 3, quem prolixe expoſuit Autor, Clerici verſio, 13 literas in ſex στίχοις immutans, rejicitur. Nec minus Hieronymum & LXXII ab intentione Spiritus S. in Pſ. XLII, 6, 7 & Pſ. L, 2, 3 nimium quantum receſſiſſe, ſenſu ab iis prorſus diverſo ex accentuum obſervatione emergente, oſtenditur.

Habes itaque B. L. concinnam libelli, qui Ars diſtincte legendi & interpretandi Scripturam inſcribitur, Sciagraphiam, ex qua quantum diligens ejusdem evolutio tibi promittat, tuapte ſponte aſſequeris. Non addimus plura, quandoquidem vinum vendibile expenſa hedera non indigere videtur.

JUSTI HENNINGI BÖHMERI, D. PROF. P. ET Fac. Jur. Aſſeſſoris in Regia Fridericiana, Diſſertationes Juris Eccleſiaſtici antiqui ad PLINIUM Secundum & TERTULLIANUM, genuinas origines præcipuarum materiarum Juris Eccleſiaſtici demonſtrantes.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchium & Fil. 1711, 8.
Alph. 1 pl. 8½.

AUtor Diſſertationum harum doctiſſimus *Juris Eccleſiaſtici antiqui* veterem diſciplinam Eccleſiaſticam, eamque potiſſimum, quæ per tria priora ſecula obtinuit, explicare intendit, idque ideo, quia jura Eccleſiaſtica potiora fundamentum ſuum inde petunt. Declarat hoc in Dedicatione ad illuſtrem Thomaſium, ubi ſtrictim oſtendit, per tria priora ſecula fundamenta ad ipſam Hierarchiam jacta, omnemque pene diſciplinam inſtitutam eſſe, quæ per ſubſequentia concilia magis magisque exculta eſt. Inde in Præfatione monet, JCto quoque cognitionem antiquitatum Eccleſiaſticarum eſſe admodum neceſſariam, ejus vero defectum in cauſa hactenus fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, quod ſatis frigide juri Eccleſiaſtico plerique invigilaverint: interim Zieglerum, Strauchium aliosque neceſſitatem hujus doctrinæ re ipſa oſtendiſſe, & hujus ſubſidio juris Eccleſiaſtici prudentiam priſtino nitori reſtituiſſe. Hujus veſtigia ſe preſſiſſe, Autor addit, & ſtudio antiquitatum Eccleſiaſticarum ſedulam operam dediſſe, unde tandem hæ Diſſertationes prodierint, quas ad Plinii ſecundi epiſtolam, *de rebus Chriſtianorum*, vel ideo direxit, quia in hac inſignes antiquitates penitius examinandæ occurrerent. Junxit Ethnico JCto Chriſtianum eumque juris peritiſſimum, Tertullianum, ex cujus libris loca antiquam diſciplinam repræſentantia adduxit. Ad Plinii ſecundi epiſtolam *de rebus Chriſtianorum* quinque Diſſertationes ſcripſit, quarum prima eſt *de ſtato Chriſtianorum die*, qua contra communem Commentatorum ſententiam oſtendit, ſatis probabiliter dici poſſe, illum haud fuiſſe diem *Solis*, ſed *Sabbati*, quod Bithyniæ Eccleſiæ quoad maximam partem ex converſis Judæis collectæ fuiſſe viderentur, quæ nec Judaicos ritus, nec ipſum Sabbatum ab initio depoſuerint. Hoc ut demonſtret, removet rationem dubitandi, quod ſcilicet Chriſtiani primævi Sabbatum haud colendum eſſe cenſuerint, & quod in locum ejus diem Solis ſubſtituerint, quorum prius admittit, ſed poſterius negat, ea tamen ſub declaratione, ut Sabbatum nihilominus *ex libertate* retentum, ſed ſimul dies Solis celebratus fuerit. Hac occaſione §. *XIII ſeqq*. agit de origine *diei Solis*, eumque quidem *Act. XX, 7* deſignari, interim tamen nullo præcepto Apoſtolico niti, ſed magis ex conſuetudine, imprimis in Eccleſiis ex Ethnicis collectis introductum eſſe docet. Inde pergit, combinationem utriusque diei inde factam eſſe, quod Judæi fideles Sabbato inſtiterint, reliqui autem ex Gentibus diem Solis prætulerint, & cum tandem ex Judæis & gentilibus plurimæ Eccleſiæ colligerentur, utrumque diem receptum & per plura tempora hunc morem propagatum eſſe: unde concludit, non poſſe aſſeri, diem Solis hac intentione a Chriſtianis eſſe introductum, ut in locum Sabbati ſuccederet. In *Diſſert. II* agit de *antelucanis Chriſtianorum cœtibus*, quos Ethnicis inviſos & ſuſpectos fuiſſe, ex jure aliisque anti-

quitatibus deducit. Inde argumentum deſumit *de loco conventus*, demonſtrans contra Anglum, Joannem Medeum, Chriſtianos primitivos nulla loca ſacra, aut uſibus ſacris tantum deſtinata habuiſſe, quem in finem ad varias objectiones reſpondet. Imprimis Luciani teſtimonium §. *XIII ſeqq.* ex quo etiam, loca ſacra deaurata Chriſtianis tempore Trajani fuiſſe, quidam credunt, plenius examinat, & ſatis probabiliter oſtendit, irriſoris verba ironice & ita plane in ſenſum contrarium capienda, non vero, prout Samuel Basnagius arbitratus eſt, de Mathematicis intelligenda eſſe. Comparat loca eorum, ubi conventus ſuos egerunt, cum *proſeuchis* & *oratoriis* Judæorum *domeſticis*, & Chriſtianorum ſententiam a cura templorum plane alienam fuiſſe, pluribus refert. *Diſſertatio III* diffuſior paulo eſt, prout materiæ dignitas poſtulavit. Agit in ea de *diſciplina Chriſtianorum confœderata*, unde omnem excommunicationem, pœnitentiam publicam, jurisdictionem eccleſiaſticam, & totam denique Hierarchiam derivandam eſſe cenſet. Potiora tantum inde referre liceat, cum ipſa tractatio varietate rerum admodum exornata ſit, ut in compendium omnia referri nequeant. Primo oſtendit, *diſciplinam* quandam *caſtigatricem* fuiſſe neceſſariam, ut calumniæ Ethnicorum retunderentur, & a peſſimis Eccleſiæ purgarentur; interim putat illam in ſacris non eſſe determinatam, quem in finem loca illa, quæ pro *jure excommunicandi* ex *jure clavium* & *poteſtate remittendi peccata* adducuntur, fuſius examinat, & ne quidem excommunicationes Judaicas huc trahi poſſe arbitratur, idque ex hoc fundamento, quod hæ neminem excluſerint a *ſacris*, ſed tantum a *commercio civili*; cum ejectio Chriſtianorum potiſſimum in denegatione omnis *commercii ſacri* conſtiterit. Inde colligit, diſciplinam Chriſtianorum *jus* plane *novum*, & ad hoc firmandum, *pacto* Chriſtianorum *mutuo*, ſeu *confœderatione mutua*, ut Tertullianus ait, opus fuiſſe, quod in ſtatu Chriſtianorum æquali nemo leges præſcribere, multo minus quandam diſciplinam caſtigatricem adornare potuerit; & hanc confœderationem revera factam fuiſſe, §. *XVII ſeqq.* oſtendit, hac ratione, ut nemo poſtmodum in communionem eccleſi-

Digitized by Google

cleſiaſticam receptus fuerit per baptiſmum, niſi antea ſe ad leges hujus diſciplinæ adſtrinxerit, quam *conteſtationem ſolennem* ex Tertulliano, Juſtino, Origene aliiſque probat. Inquirit porro in rationem, quare Plinius tam ſollicite in hanc *confœderationem* inquirere debuerit, quod ſcilicet Ethnici exiſtimaverint, Chriſtianos ſe obſtrinxiſſe in ſcelus ſolenni ſacramento. His præmiſſis §. *XXIII ſeqq.* docet, ex hac confœderata diſciplina profluxiſſe ejectionem impiorum, eamque exemplis firmat, cum naturale ſit, ut, qui leges fœderis frangit, a ſocietate, in quam ſub certis conditionibus receptus eſt, excludatur. Ab *ejectis* diſtinguit § *XXVI deſertores*, quos haud excommunicatos eſſe, prout alii volunt, cenſet, quippe qui ſuo proprio facto jus communionis & fraternitatis amiſerint. Hos autem tam *deſertores* quam *ejectos* rurſus receptos fuiſſe evincit per *pœnitentiam eccleſiaſticam*, ex quo deducit, eam non aliis, ſed his ſolis neceſſariam, adeoque catechumenos ei haud ſubjectos fuiſſe, quippe qui in legem fœderis eccleſiaſtici haud recepti erant. De *modo ejectionis* §. *XLI ſeqq.* docet, illam factam fuiſſe conſenſu plebis, qui etiam in receptione deſideratus fuit, idque ex natura confœderatæ diſciplinæ; non tamen aliter receptionem fieri potuiſſe, quam mediante abſolutione, & remiſſione injuriæ eccleſiæ illatæ, quæ peccatorum remiſſionem intuitu Dei haud involverit; qua occaſione §. *LI* genuinum *abſolutionis* conceptum ex Patribus evolvit, & naturam *exomologeſeos* antiquæ explicat, occaſionemque oſtendit, qua hæc in duriſſimam ſeveritatem pauliſper mutata fuerit. In §. *LXII* tandem declarat, adminiſtrationem hujus diſciplinæ requiſiviſſe figuram quandam judicii conſenſu plebis ab initio peracti, ſed paulo poſt ad Epiſcopos tracti, ita ut inde Epiſcopalis jurisdictionis prima fundamenta petenda ſint, quam deinceps quoque in Synodis exercuerint, quæ rurſus ex judiciis eccleſiaſticis ſingularum Eccleſiarum natæ eſſe viderentur. In *Diſſert. IV* agit *de coitionibus Chriſtianorum ad capiendum cibum*, ubi ſub illis ipſis *agapas* ipſamque *euchariſtiam* latere, originemque tam hujus quam illarum ex inſtitutis Judaicis derivandam eſſe, cenſet. Porro §. *XI ſeqq.* hæc capita pertra-

ctat, ab initio euchariſtiam agapis junctam, imo earum *poſt-coenium*, & ſic non niſi veſperi, peractam fuiſſe, Paulumque *1 Cor. XI* id ipſum ſatis oſtendere, tandem mane quoque euchariſtiam celebraſſe Chriſtianos, poſtquam coitiones ad capiendum cibum eis interdictæ fuerint, indeque occaſionem petendam eſſe, quod euchariſtia ſine agapis celebrata fuerit; interim fuiſſe ipſas agapas cum poſtcœnio a patribus familias intra parietes privatas peractas; in cœtu autem fidelium directionem earum Presbyteris committi debuiſſe, qui tamen in hac functione munus ſacerdotale haud obierint. Inde §. *XXIV* ad notabilem locum Tertulliani *de exhort. caſtit. c. 7* deducitur, cujus fata recenſet, eumque explicat. Pergit ad perſonas, & non alios excluſos fuiſſe, quam ejectos, nec oſtendi poſſe, Judam Sacræ Cœnæ haud interfuiſſe, cenſet, modumque & rationem harum epularum ſubjungit. Denique occaſione Plinianæ epiſtolæ curioſa quædam de *Heteriis*, *conviviis ſodalium*, & *eranis* addit. In *Diſſertatione V* explicat materiam de *Chriſtianorum cœtibus in vicis & agris*, ubi oſtendit, in agris Eccleſias conſtitutas, eisque Epiſcopos & Presbyteros eodem modo, quo in civitatibus, præpoſitos, quos *Chorepiſcopos* dixere, hos tamen poſtea varia ratione ſuppreſſos, & a civitatenſibus Epiſcopis ſub jugum redactos fuiſſe.

Sequuntur Diſſertationes ad Tertulliani loca quædam inſignia, & quidem *Diſſert. VI* agit *de diſcrimine Clericorum & laicorum*, rationemque denominationis ex ſacerdotio Veteris Teſtamenti deducit. Inter alia oſtendit, *cleri* appellationem per duo priora ſecula inauditam fuiſſe, nec Clementis Alexandrini locum, quem *Diſſert. IX* §. *2 p. 462 ſeqq.* explicat, huc pertinere, differentiam inter ordinem & plebem, *auctoritatem* ſeu *decretum Eccleſiæ* juxta ſententiam Tertulliani conſtituiſſe, idque ex ipſa origine Presbyterorum conſtare. Hac occaſione §. *19 ſeqq.* fuſius oſtendit, *Act. VI* non electionem *Diaconorum* ſed *Presbyterorum* recenſeri, & inſigni teſtimonio Chryſoſtomi *Homil. 86 in Matth c. 27* illuſtrari, imo primævum Presbyterorum officium in cura pauperum & viduarum conſtitiſſe. Oſtendit in ſequentibus diſcrimen fuiſſe inter *Presbyteros*

&

Digitized by Google

& *Doctores*, *hos* ſemper in Eccleſiis fuiſſe, *illos* demum *decreto Eccleſiæ* electos, libere fideles docuiſſe, nec *primario* Presbyteros ad docendum electos eſſe, qua occaſione Paulum *1 Tim. V*, *17* plenius exponit. Porro evincere conatur, Presbyteros ab initio laicos fuiſſe, & eundem ſtatum tenuiſſe, quem inter Judæos, prædicatum autem *cleri* induiſſe, poſtquam *ſacerdotium* ſibi applicare cœperint, idque cum gravi damno Eccleſiæ factum fuiſſe. In *Diſſert. VII de conſeſſu ordinis eccleſiaſtici* ediſſerit, indeque natales diſcriminis inter *Epiſcopos* & *Presbyteros* repetit. Hac occaſione de *conſeſſu judiciorum* & *Synedriis Judæorum* quædam affert, oſtendens, conſeſſum Presbyterii inde in Eccleſiis Chriſtianorum ortum traxiſſe, non tamen in omnibus hunc ipſum cum Judaicis inſtitutis æquiparari poſſe, quod in Eccleſiis Chriſtianorum magna libertas plebi indulta fuerit circa negotia eccleſiaſtica, quæ plebi Judaicæ in totum erat denegata, neque ulla apud ſcriptores, qui Synagogas Judæorum illuſtrarunt, extare veſtigia juris plebis Judaicæ. Ex hac diverſitate porro colligit, regimen Presbyterorum in Eccleſiis fuiſſe admodum temperatum, ſine imperio civili, ſine præſide & Principe conſeſſus, quin potius φιλοπρωτείαν reprobatam eſſe, idque exemplo Diotrephes conſtare. Fuiſſe porro Presbyteros æquales, nec Timotheum aut Titum Epiſcopatum, ſed munus Apoſtolicum vel Pauli vices geſſiſſe. Hac occaſione §. *XI* Dodwelli ſententiam de *origine Epiſcoporum* examinat, eamque omni fundamento deſtitui docet, adjiciens, demum poſt Apoſtolorum exceſſum primæ ſedis ſtudium prorupiſſe, ejusque auctoritatem hæreticis oppoſitam & veritatem traditionum inde deductam fuiſſe, acceſſiſſe præterea varias alias occaſiones, quibus tandem Presbyteri primæ ſedis in conſeſſu prærogativam obtinuerint, & *Epiſcopi* κατ' ἐξοχὴν dicti fuerint, introducta eorum electione. Succedit *Diſſertatio VIII*, *de vetere Eccleſiæ ſtatu*, ubi Autor præmittit varias denominationes vocis *Eccleſiæ*, eamque tum in genere *fideles*, tum *cœtum certum* denotare oſtendit. Hiſce præmiſſis, inquirit in natales Eccleſiarum, quatenus cœtum externum, a Judaicis ſacris ſeparatum & diſtinctum, con-

ſtituerunt, cenſetque, tales cœtus ab Apoſtolis haud collectos, ſed natos eos eſſe ex duplici occaſione: (1) poſtquam gentiles ad Chriſtum converſi, (2) fideles ex Judæis ab his ejecti, & communione ſacrorum privati ſunt, quod illi quidem Synagogis Judæorum intereſſe haud potuerint, hi vero ex Judæorum pertinacia coacti fuerint, ut ſe ab eis ſepararent. Ab hoc tempore cœtus quidem a Chriſtianis ſeorſim inſtitutos eſſe judicat, magna quidem ſimplicitate conſtantes, auctoritatem tamen iis tributam magnam in concertationibus cum hæreticis, adeo ut ſæpe incaute prædicata Eccleſiæ, in genere pro *fidelibus* ſumtæ, cœtui externo tributa fuerint. Hoc ipſo porro factum eſſe arbitratur, ut Presbyteros ſub voce *Eccleſiæ* intellexerint, eamque in Epiſcopis & clero conſtare crediderint, quod variis Cypriani teſtimoniis probat, indeque ſtatum Eccleſiarum mutatum eſſe putat. Subinde *§. XIX ſeqq.* ſpecies novas Eccleſiarum ſeculo IV natas indicat, occaſionemque hujus mutationis ex ſtructura templorum petit. In *Diſſert. IX* agit de *jure laicorum ſacerdotali*, & imprimis in Dodwello, qui idem thema peculiari libello pertractavit, taxat, partim quod Tertullianum minus dextre explicaverit, partim etiam, quod ex hypotheſi falſa de ſacerdotio N.T. non potuerit non falſas concluſiones deducere. Imprimis vero in eo ſollicitus eſt, ut oſtendat, quo ſenſu laicis & clericis *ſacerdotium* tribui poſſit, & qua ratione hoc prædicatum, omnibus fidelibus commune, ad clerum poſtea tractum ſit, quo ipſo ſimul inſignem jacturam rei chriſtianæ allatam eſſe cenſet, de qua jam antea *p. 278* egerat. Claudit denique tractatum *Diſſertatio X de jure dandi baptiſmum*, cujus originem ex inſtitutis Judaicis refert, eaque cum Johannis, & baptiſmo Apoſtolorum confert. Ipſum jus baptizandi, olim omnibus fidelibus commune, pedetentim tamen ad Presbyteros, & tandem ad Epiſcopum tractum fuiſſe cenſet, ut illi ſine hujus auctoritate baptizare haud potuerint, reſervato tamen ſemper Epiſcopo jure confirmandi.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI DE Libris anonymis ac pſeudonymis Schediaſma, complectens Obſervationes generales & Spicilegium ad PLACCII Theatrum.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielkium, 1711, 8.
Plag. 14.

CUm A. 1709 Menſe Januario Placcii Theatrum Anonymorum ac Pſeudonymorum perluſtraremus, monitum nobis fuit, non eſſe ita perfectum illud opus, ut non bene multa poſſint adjici. pag. 39. Idem deprehendens Cl. Autor præſentis Schediaſmatis, Seminarii Theologici, quod Iſenaci eſt, Director, noſterque in colligendis his Actis Collega diligentiſſimus, non ſolum plures Anonymos & Pſeudonymos ſupereſſe detegendos, verum etiam generales quasdam ex Philoſophia & arte Critica petitas obſervationes adjungendas eſſe judicavit. Quare libellum ſuum in duas diſcrevit partes, priore rurſus in quatuor diviſa capita, quorum primo modos varios nomen veri Autoris occultandi exponit, eosque ſuſpenſa quaſi in tabula lectoribus repræſentat. Altero capite de jure libros ſuppreſſo nomine edendi diſquirit, & hinc capite tertio, quod longiſſimum eſt, regulas Criticas, ad inveſtiganda verorum auctorum nomina neceſſarias, exhibet. Non eſt opus, eas percenſeri ſingulas. Sufficiat annotare hoc loco, Autorem, indicium haud infirmum ex ſcribendi methodo peti poſſe docentem, 38, ſqq. criticum huncce canonem illuſtraſſe exemplo Epiſtolæ ad Hebræos. Hanc enim ab Apollone, Actor. XVIII memorato, compoſitam eſſe, (quæ ſuſpicio jam olim in mentem venerat Luthero, cui tamen nullas producenti ſententiæ ſuæ rationes nemo adſtipulatus eſt,) multis argumentis veroſimile conatur reddere, ſimulque eorum ſententiam, qui Paulo eam tribuunt, aſſenſu plane indignam, pronuntiat. Alibi ad notitiam 46. veri Autoris perveniri poſſe tradens, ſi ad typos animum advertas, quibus liber exſcriptus eſt, probat, Jo. Clerici Harmoniam Evangelicam, in 4 editam, præſcripto Lugduni nomine, excuſam eſſe Altorfii typis Kohleſianis: Præfationisque

ſive

ſive Diſſertationis de ſcriptoribus Harmoniarum Autorem eſ-
ſe D. Langium, Theologiæ id temporis Profeſſorem in Acade-
pag. 58 ſq. mia Norica, pluribus paulo poſt confirmat. Eadem occa-
ſione de Pſeudonymi Sectani ſatyris, Romæ A. 1700 editis, (li-
47 ſqq. cet inſcriptio præ ſe ferat Amſtelodamum,) copioſius diſſerit:
quod nobis non ingratum eſt, propterea quod ejus libri recen-
56 ſq. ſio in Actis noſtris fuit prætermiſſa. Alium canonem ſecu-
tus exiſtimat, Gallicam verſionem libri Lockiani, *quod Chri-
ſtiana religio ſit maxime rationalis*, confectam eſſe a Jo. Cleri-
co. Denique ſub finem hujus Capitis demonſtrare aggredi-
60-71. tur, verum Autorem τῶν Φιλοσοφϰμένων, a Cl. Viris, Gro-
novio & Wolfio, editorum, neque Origenem eſſe, quod Grono-
vius contendit, neque Epiphanium, quæ Huetii opinio, nec
Aetium, quod ſuſpicatus fuerat Galeus, ſed Didymum illum
Alexandrinum. Verum cum hanc Cl. Autoris conjecturam
165 ſqq. jam Actis noſtris anno ſuperiore inſeruerimus, ejus argumen-
torum recenſione merito ſuperſedemus. Illud tantum hac
occaſione monemus, nos, neſcimus quo errore, in ejus Anni
Indice librorum Miſcellaneorum Autori noſtro prænomen
Chriſt. Adami dediſſe. Capite quarto agit de utilitate ſtu-
dii, quod in revelandos anonymos ac pſeudonymos Autores,
impenditur. Hic curioſitatem inter eruditorum vitia refe-
73 ſqq. rens, de ejus natura pauliſper diſſerit, notatque communem
mortalium errorem, quo, quæ nobis latent, multo majori &
auguſtiori ſpecie, quam pro vero, nobis repræſentare ſolemus.
Ex hoc Autor proficiſci arbitratur, ut plerique magnum ſta-
tuant pretium ſcriptis Chemicorum, fabulis Poetarum, Philo-
ſophiæ barbaricæ, itemque ænigmaticæ, qualis fuit illa Pytha-
goræ. Hoc curioſitatis æſtu abreptos permultos ait colere
hiſtoriam litterariam, non ſollicitos de vero ejus fructu, ſed ſo-
79 ſqq. lam animi voluptatem ſequentes ducem. Tandem judicat,
revelationem Anonymorum & Pſeudonymorum non multum
utilitatis afferre in libris dogmaticis, immo hic interdum no-
xiam eſſe, contra maximi momenti eſſe in ſcriptis hiſtoricis.

Poſterior libri Pars tria complectitur capita, quorum pri-
mo Placcium paucis aliquot locis, quæ perfunctorie librum le-
genti

Digitized by Google

genti ſibi occurriſſe ſcribit, emendat, altero illuſtrat, tertio auget. Ex his nonnulla ſpeciminis loco repetemus. Contra Pellerum, qui, edito libro ſub titulo *Politici ſcelerati*, Autorem *Compendii Politici* ſummæ impietatis & aperti atheiſmi accuſaverat, Noſter acriter diſputat, oſtenditque ex ipſo hoc pag. 95 ſq.
libro, Autori injuriam fieri non a Pellero modo, ſed & a Placcio aliisque, qui Pellerum ſunt ſecuti. Ex adverſo Autorem *Hiſtoriæ Sevarambum* male ab illuſtri Thomaſio defenſum eſſe 161 ſqq.
putat, eumque impiæ mentis reum agit allatis argumentis. *Chronicon Carionis* nulla ex parte ei, cujus nomen præfert, deberi, contra Cl. Neu evincere nititur. De *Chronico Schedeliano* 105 ſqq.
novam profert obſervationem, nempe Schedelium non eſſe verum primumque ejus auctorem, ſed tantum augmentis illud Chronicon locupletaſſe, idque ipſius Schedelii teſtimo- 141 ſq.
niis manifeſtum facit. Inter hæc etiam quædam litteraria furta doctorum Virorum animadvertit, ut Berneggeri, Mor- 115.
hofii, (in quo & notat immodicum amorem ejusmodi ſcripto- 116.
rum, qui Cabbaliſticas & alias ingenioſas nugas orbi propo- 174.
ſuerunt,) Puſendorfii. Infeliciſſimum vero eſt illud plagium 124.
recentiſſimi cujusdam ſcriptoris, quod in hiſtoria Epiſtolarum 121 ſq.
obſcurorum virorum notavit. Languetum *Vindiciarum contra Tyrannos*, præſcripto Stephani Junii Bruti nomine edita- 116.
rum, autorem eſſe, docet allato ipſius teſtimonio, quod omnem dubitationem eximit. Ab eodem ipſo præfationem iſti libro præmiſſam confectam eſſe ſub nomine Cononis Su- 119.
perantii Vaſconis, contendit pariter adverſus Bælium. Societatem Abbreviatorum, a non nemine inter Collegia erudita re- 132.
latam, fabuloſam declarat, ejusque erroris originem aperit. Platinam vero nomine vocari Bartholomæum de Platina, pro- 133.
bat teſtimonio Hieronymi Pauli, qui σύγχρονος idemque amicus Platinæ fuit. Sub Minii Celſi, cujus præfixo nomine 144 ſq.
exſtat liber de non occidendis hæreticis, nomine Lælium Socinum latere, non Seb. Caſtellionem, contra quosdam diſputat. De ſcriptis a Boineburgio & Conringio diſſimulato utriusque nomine editis, in cauſa Electoris Moguntini contra Colonienſem, ex Boineburgii quadam epiſtola adhuc inedita

Digitized by Google

pag. 154 ſq. certiorem tradit notitiam. Epiſtolam de præcipuorum Scriptorum Myſticorum principiis & characteribus, Arnoldi Hiſtoriæ Theologiæ Myſticæ annexam, aſſerit Petro Poireto.
173. Huic eidem tribuit *Recueil de diverſes pieces concernant le*
167. *Quietiſme & les Quietiſtes.* Ejusdem Oeconomiam divinam
171. ab Hohlfeldio quodam Latine verſam eſſe, eamque verſionem a Poireto penitus approbari, ex hujus ore confirmat. Deni-
185 ſqq. que nec aſſervatu indignam cenſuit ſchedulam, autores gloſſarum interlinearium, quæ in Bibliis Erneſtinis apparent, complexam, & eo ipſo tempore, quo de elaboratione iſtarum annotationum fuit deliberatum, ſcriptam.

M. URBANI GODOFREDI SIBERI, ECCL. SNEEberg. Archi-Diaconi, Commentatio de Illuſtribus ALEMANNIS.

Lipſiæ, ſumptibus Jo. Frid. Gleditſchii & Fil. 1710, 4.
Alph. 1 plag. 8.

Alemannorum nobiliſſimam & vetuſtiſſimam gentem, a ſeptingentis annis apud Magdeburgenſes perque omnem fere Europam inclutam, doctiſſimus Autor, Collega noſter perinduſtrius, quem nuper Schneeberga ad Diaconatum Lipſienſem vocatum gaudemus, ex fide documentorum ſiſtit. Nomen illorum gentilitium ab antiquis Alemannis depromtum exiſtimat, qui poſt debellationem ſuam paſſim oppidis & monaſteriis apud Hiſpanos, Italos & Gallos nomen dederunt. Idem in illuſtrioribus familiis hæſiſſe, hominum excellentium exemplis probat, præcipuosque hoc nomine notatos Magdeburgum conceſſiſſe. Quum antem veroſimile ſit, id jam diu ante ſeculum XI contigiſſe: attamen famæ illorum potiſſimum robur addidiſſe Altmannum ſeu Alemannum Paſſavienſium, alterumque, Martisbergenſium Præſulem, quorum propinquos Magdeburgo cum Ottonibus in Italiam abiiſſe, ac illuſtriſſimas quasque Alemannorum apud Italos, Gallos, Hiſpanos familias condidiſſe, propriis exterorum teſtimoniis confirmat, vitasque illorum atque potiſſimum Ludovici Alemanni Cardinalis Arelatenſis, Nicolai, Matthæi aliorumque fuſius

paulo

Digitized by Google

paulo deſcribit. Inde ad eos rediens, qui Magdeburgi reſtiterunt, præcipuosque & ampliſſimos magiſtratus geſſere, eorum e tabulis publicis Magdeburgenſibus catalogum ad usque noſtram ætatem exhibet, virtutes ampliſſimas inque patriam merita ita refert, ut ad hiſtoriam, patriam pariter ac literariam, non nihil conferre poſſit. Tandem ad ampliſſimum hujus gentis ornamentum & maximum Saxoniæ noſtræ decus JO. ÆGIDIUM ALEMANNUM, aliquot Electorum Saxoniæ Conſiliarium, & ad Palatium Imperatoris Legatum, ac Potentiſſimi Poloniarum Regis Miniſtrum Status, delatus, ingentia Viri merita brevi ſtylo, ſed ita tamen deſcribit, ut oſtendat, multa & maxima virtutum pondera illius memoriæ ſuo tempore adjici poſſe. Additur Commentationi Panegyricus, quem maxime Reverendus Bœrnerus noſter ALEMANNO, ex Legatione Viennenſi redeunti, olim recitavit, cum inſcriptione Joannis Schultzii, Gymnaſii Budiſſinenſium Rectoris (maturo fato nuper defuncti) qua Illuſtriſſimi Viri ad Comitia Luſatiæ acceſſum fauſta gratulatione publicavit.

M. URBANI GODOFREDI SIBERI, ECCL. SNEEB. Archi-Diac. Diſſertatio de Collaribus Clericorum tubulatis & planis.

Sneebergæ, ex typographia Fuldiana, 1710, 4.
Plag. 6.

QUum res veſtiaria variis mutationibus ſit obnoxia, neque in ulla re magis atque in exornandis corporis partibus ingenium hominis ludat, Cl. Autor de Collarium Sacerdotalium origine & progreſſu dicere conſtituit. Occaſio nata fuit ex ſuperſtitioſa Collarium defenſione a quibusdam inſtituta: quorum uſum ut conſuetudine magis quam lege irrepſiſſe declaret, e vetuſtis hiſtoriæ profanæ, atque inde ſacræ monimentis adſtruit, Oratores veteres collo nudo dixiſſe, quosdam vero gutturis defendendi gratia Focalibus uſos, ceterorum ludibria in ſe provocaſſe. Inde ad alia progreſſus colli ornamenta oſtendit ea fuiſſe laxiora, neque ita collum conſtrinxiſſe, quemadmodum collarium præſentium uſu fieri ſolet. Eundem

dem veſtitum Epiſcopis, Sacerdotibus, Monachis & omni Clero ignotum fuiſſe, e picturis veterum probat: vel ſi quæ tales reperiantur, eas ad errores vel figmenta pictorum referendas eſſe. Tandem Seculo XIV collaria tubulata & canaliculata a profanis hominibus excogitata Pontificis primum Romani Gregorii XI, atque inde reliquorum Sacerdotum colla invaſiſſe probat, quorum tamen luxuria creberrimis Synodorum decretis paulo poſt fuerit interdicta. Ceſſante vero illa apud Pontificios conſuetudine, nihilominus tamen in quibusdam Eccleſiis Evangelicis & Academiis Anglicanis eam reſtitiſſe: donec nonnulli Eccleſiarum Saxonicarum Præſules, reſectis fimbriis & canaliculis, planum, depreſſum, quadratumque ſub mento collare ſuſciperent. Hinc uſum eorum ex ſola conſuetudine, non lege ſuaderi poſſe exiſtimat, quum morum ſolennium abolitio variis, quod ajunt, ſcandalis fomitem præbere poſſit.

JUDICIA ERUDITORUM DE ORIGINE ELECTORUM, cum vera ſententia comparata, & cum diplomatibus huc ſpectantibus conjunctim edita a JO. GUILIELMO JANO.

Vitembergæ, apud Chriſt. Gerdeſium, 1711, 4.
Conſt. 1 Alph.

POſtquam Jo. Aventinus & Onuphrius Panvinius communem illam veterum, de collegio Electorali ab Ottone III Imp & Gregorio V P. R. inſtituto, opinionem confutarunt, diu multumque de eo inter eruditos, ſed tanta cum diſſenſione diſputatum eſt, ut propemodum quot Autores, tot ſententiæ fuerint, & vel propterea nonnulli de vera illius origine indaganda prorſus deſperarint. Tam varia igitur in hac controverſia ſcripta, judicia & argumenta doctiſſimus Autor hujus commentationis, Collega noſter honoratiſſimus, antequam ſuam ipſius ſententiam exponeret, in certum ordinem redacta, ſub unum quaſi conſpectum revocare operæ pretium duxit. Poſtquam enim Cap. I ſtatum controverſiæ propoſuit, atque Electoratum ſolitarium a primario, & utrumque ab officiis

aulæ

aulæ & Cancellariæ diſtinguendum eſſe, illum vero ante Ottones Imperatores ne locum quidem in Imperio Romano-Germanico habuiſſe, oſtendit, Cap. II vulgaris illius, quam dixi, opinionis autores, oppugnatores ac defenſores, una cum rationibus in utramque partem adhibitis, recenſet. Caput III ſimili modo judicia eorum, qui Electores poſt Ottonis III tempora certo Imperatoris cujusdam vel Principum Germanicorum decreto conſtitutos eſſe putant, exponit. Caput IV eorum ſententias complectitur, quibus illuſtriſſimum hoc collegium a nulla conſtitutione ſcripta repetendum eſſe, ſed ſenſim paulatimque per conſuetudinem ad tantum faſtigium aſcendiſſe videtur. Caput V veram de origine Electorum ſententiam proponit, & omnem fere obſcuritatem ac difficultatem, qua argumentum hoc tantopere impeditum eſſe creditur, tolli poſſe oſtendit per diſtinctionem, Capite I explicatam, inter Electores ſolitarios, qui ſoli, reliquis Imperii proceribus prorſus inconſultis atque excluſis, Imperatorem crearunt, & inter primarios, qui præcipuas tantum partes in comitiis Imperatoriis ſuſtinuerunt, interim vero reliquos Principes non prorſus excluſerunt; ſed ex eorum conſenſu & prætaxatione, ut Albertus Stadenſis loquitur, Regem Romanorum elegerunt. Utrorumque origo ſeparatim inveſtigatur, ac priores quidem A. 1273 in Rudolphi Habspurgici electione primum initium cepiſſe, Sect. I ſat evidentibus rationibus demonſtratur: ſed de poſteriorum primordiis juxta Sect. II non æque certo pronunciari poteſt, quia eorum jura ab occultis initiis ſenſim paulatimque creverunt. Quod ſi verba, ex quodam Friderici I diplomate a Windekio, aut teſtimonia Amandi & Welberti a Gewoldo ex libris manu exaratis prolata, ſatis germana & fide digna eſſent, evidentia Electoratus primarii veſtigia jam ante medium Sec. XII deprehenderentur. Sed cum iſta, eruditorum judicio, νοθείας pene convicta ſint, ex certioribus monimentis illum ſaltem usque ad tempora Friderici II pertingere, confirmatur. Quid? quod jam ſub Henrico VI, Philippo & Ottone IV aliquam Officialium in eligendo Imperatore prærogativam fuiſſe, Celeb. Leibnizius ex Innocentii III epiſtolis &

Digitized by Google

Gervaſii Tilberienſis Otiis Imperialibus ſuſpicatur. Caput VI agit de titulo Electoris, qui quidem in aliorum ſcriptis jam medio Seculo XIII VIIviris Officialibus tributus eſt, ſed ab his ipſis paulo ſerius uſurpari cœpit. Interim P. Albini aliorumque opinio non immerito refellitur, qui nullum Principem Electorem ex familia Anhaltina eo uſum fuiſſe exiſtimant, cum non tantum inde ab anno 1273 in epitaphiis Electorum ex illa familia Saxonicorum, ſed & in diplomatibus Rudolphi III aliorumque in curia Vitembergenſi aſſervatis reperiatur. Caput VII idque ultimum fontes errorum ac diſſenſionum in hoc argumento aperit, &, quicquid veri in reliquis opinionibus ineſt, cum ſententia ſupra expoſita conciliat. Ceterum obſervationes non contemnendæ, e. g. de Bellarmini retractatione, de controverſiis ob ſucceſſionem & hereditatem Electoratus ante Auream Bullam inter unius familiæ Principes ortis, de numero ſuffragiorum, quibus Ludovicus Bavarus Imperator electus eſt, de *νοθείᾳ* loci Matthæi Paris, cui Baronius totam ſuam de origine Electorum ſententiam ſuperſtruit, &c. hinc inde inſperguntur. Tum & hiſtoriam controverſiæ de origine Electorum pariter atque omnium comitiorum Imperatoriorum, quæ inde ab electione Henrici II Sancti usque ad Carolum IV per quatuor fere ſecula celebrata ſunt, partim ex ſcriptoribus coævis, partim ex monimentis publicis, quorum nonnulla ſub finem integra adjiciuntur, expoſitam hic reperire licet.

NOVA LITTERARIA.

Londini ſub initium cujusvis ſeptimanæ prodit novum Diarium ſub tit. *Memoires de Litterature*, quod, quæ in exterorum Diariis continentur, potiora exhibet, autore, ut creditur, *La Roche*, qui & Dictionarii Bæliani verſionem Anglicam multa cura revidit. Eidem tribuunt *Bibliothecam curioſam, or a Miſſcellany* &c. quæ paucis plagulis in 4 excuſa, curioſas Diſſertationes & excerpta librorum rariorum complectitur. Cantabrigiæ Johannes Hughes, Collegii Jeſu Socius, Chryſoſtomi de Sacerdotio libros ſex, Gr. & Lat. cum Diſſertationibus nonnullis procemialibus, de dignitate Sacerdotali, in 8

vulgavit.

vulgavit. Ibidemque Jo. Daviſius, Collegii Regin. Socius, poſt iteratam, quam ſub manibus habet, Minucii Felicis editionem, Ciceronis Opera Philoſophica, nec non Porphyrium de Abſtinentia, cum animadverſionibus edere parat; & Joſephus Waſſe, ejusdem Coll. Soc. Diodorum Siculum typis jam prope abſolutum mox ſpondet in lucem proditurum. Prodiit & illic Horatii elegantiſſima editio in 4 maj. a Viro Celeb. Richardo Bentlejo ſingulari cura & ſtudio procurata, quam apud Belgas mox recudendam ferunt. Doctiſſimus Jo. Erneſtus Grabius Diſſertationem novam de variis vitiis LXX Interpretum verſioni ante Origenis ævum illatis & remediis ab ipſo in Hexaplari editione adhibitis, deque hujus Editionis reliquiis tam MSptis quam prelo excuſis, edidit. Spes quoque eſt, Viri illuſtris Ezechielis Spanhemii de Uſu & Præſtantia Numismatum Tomum II, quem prelo paratum reliquit, obſtetricantibus Bentlejo & Grabio in Belgio propediem excuſum iri. Oxonii adhuc in edendo Joſepho occupatur Jo. Hudſon, ibidemque hactenus plures Scriptores, ut *Longinus*, *Dionyſius de Structura Sermonis*, *M. Antoninus*, *Palladius*, *Malala*, *Zoſimus*, *Eutropius*, *Juſtinus*, *Anacreon*, *Alcinous*, *Cenſorinus*, *Joannes Pariſienſis*, aliique prodiere, de quibus ſuo tempore dicemus uberius. Prodiit & Oxonii *Ephraim Syrus*, cum Codd. MSS. Bodlejanis diligenter collatus, Græce, in fol. de quo, cum nec verſio, nec notæ, nec præfatio acceſſerit, pluribus agere ſuperſedemus.

Amſtelodami Joannes Clericus, qui & nuper Commentarium in Pentateuchum emendatum atque auctum recudit, *Æſchinis Socratici Dialogos quatuor* Græce & Latine cum notis prelo ſubjecit, quibus addet etiam *Silvas Philologicas*, in quibus multa Veterum Græcorum & Latinorum Scriptorum loca explicantur aut emendantur. Jo. Hermannus Schmincke, Haſſus, in eo eſt, ut Ultrajecti Eginhardum de Vita Caroli M. cum variis MSptis & editionibus, quas nanciſci potuit, omnibus diligenter collatum, doctiſſimisque notis ex Hiſtoria media illuſtratum, edat in 4, quam editionem propediem prodituram exiſtimamus. Ludolphus Kuſterus in adornanda nova Heſychii editione totus occu-

occupari dicitur. Ceterum prodiit Amſtelodami *Abrahami Muntingii, Medicinæ & Botan. Prof. Phytographia curioſa, exhibens Arborum, Fruticum, Herbarum & Florum icones, ducentis & quadraginta tabulis ad vivum delineatis ac artificioſiſſime æri inciſis. Varias earum denominationes Latinas, Gallicas, Italicas, Germanicas, Belgicas aliasque ex probatiſſimis Autoribus priſcis ac neotericis deſumptas collegit & adjecit Franciſcus Kiggelaer, Botanophilus*, 1711, fol.

Noribergæ apud Endteros excuditur Dictionarium Gallico-Germanicum admodum copioſum in fol. ſingulari ſtudio Viri Cl. Jo. Friderici Crameri concinnatum. Lipſiæ intra paucos dies prodibunt: *Thomæ Stanleji Hiſtoria Philoſophica* a Viro quodam Celeberrimo Latinitate donata, variisque Diſſertationibus & notis illuſtrata, apud Th. Fritſchium, in 4 maj. *D. Jo. Franc. Buddei Theologia Moralis*, apud eundem, in 4; *Joannis Dlugoſſi ſeu Longini Hiſtoriæ Polonicæ libri XII*, quorum ſex poſteriores nondum editi, jam ex MSpto rariſſimo in lucem publicam prodeunt e Bibliotheca, & cum Præfatione Illuſtr. HENRICI Lib. Bar. DE HUYSSEN, magno Ruſſorum Cæſari a Conſiliis intimis Bellicis & Juſtitiæ, apud J. L. Gleditſch & M. G. Weidemann, in fol. *D. Jo. Michaelis Heineccii Hiſtoria Eccleſiæ Græcæ Veteris & modernæ*, e præcipuis Scriptoribus multo ſtudio collecta & Germanico idiomate luculenter expoſita, apud Jo. Frid. Gleditſchium & Fil. in 4; tum *Libanii Epiſtolarum* hactenus ineditarum *Centuria*, Græce & Latine, ex verſione & cum Notis Jo. Chriſtophori Wolfii, Prof. Publ. in Academia Vittebergenſi, apud eosdem, in 8 maj. & *Jo. Chriſtiani Lunigii Archivi Imperialis Germanici*, cujus ſuperiori anno Tomi duo priores prodiere, Tomus III & IV, apud Hæredes Lanckiſianos, in fol.

LECTORI.

Indicandum Tibi duximus, cum proximo Menſe Majo prodituras Supplementorum Tomi IV Sectionem XI & XII, quibus adeo abſolvetur Tomus quartus, quem proxime etiam quintus excipiet.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji, Anno M DCC XI.

אור מאור

LUX DE LUCE, LIBRI TRES, IN QUORUM primo ambiguæ locutiones, in ſecundo variæ & dubiæ Lectiones, quæ in Vulgata Latina occurrunt, ex originalium linguarum textibus illuſtrantur, in tertio agitur de Editione Sixti V, facta Anno 1590. Collegit & digeſſit F. HENRICUS DE BUKENTOP, Ord. F F. Minorum Recollectorum in Academia Lovanienſi S. Theologiæ Lector Jubilatus, Provinciæ Germaniæ Inferioris Exdefinitor, & actualis Cuſtos Cuſtodum.

Bruxellis, typis Franciſci Foppens, 1710, 4.
Conſtat 3 Alphab.

ACademia Lovanienſis, quæ olim Hunnæum, Eſtium, Lucam Brugenſem, Hentenium, Robertum Bellarminum, Jacobum Tirinum, Martinum del Rio, Andream Schottum, Jacobum Bonfrerium, Cornelium a Lapide, Franciſcum Titelmannum, Nicolaum Zegerum, aliosque Scripturæ interpretes tulit, hunc etiam Bukentopium excitavit, ut ambiguas vulgatæ verſionis locutiones ad originales textus examinaret, & ſenſum determinaret. Ea vero loca in primo libro emendavit, quæ in vulgata ambigua, ſed in Græco & Hebræo textu perſpicua fuerunt. Exiſtimavit enim Vulgatæ ſenſum, qui in originali textu non reperitur, non eſſe a Deo inſpiratum, nec a Deo intentum. Prætermiſit vero omnia loca, quorum ambiguitas ex originali textu tolli non potuit. Auctoritate enim Thomæ q. 4 de Potent. art. 4 nixus, *duos pluresque ſenſus, ſalva circumſtantia literæ, Scri-*

ptura aptari poſſe, eosque genuinos Scripturæ ſenſus eſſe, ſtatuit. In Libro ſecundo evolvit varias ac dubias lectiones, quæ in Vulgatæ Latinis editionibus reperiuntur, quas ex originalibus linguis & Criticæ regulis ad certam & veroſimiliorem lectionem reducit. Attingit itaque non ſolum illa loca, quæ a correctoribus jam emendata ſunt, quorum correctionem prudenti judicio peractam eſſe, ex originalibus linguis oſtendit; ſed etiam alia, quæ adhuc corrigenda ſunt, exhibet, quæ tamen,
p. 127. cum Luca Brugenſi ſcribens, non ea mente proponit, *ut mutare aliquid aut præferre velit, ſed quod multas varias lectiones & animadverſiones, quas in Latinis vulgatæ editionis codicibus, & tractatoribus, atque etiam ex collatione cum originalibus textibus ipſe invenit, & veriſimilitudinem habere videntur, in medium proferat, judicio ſuæ Sanctitati, iisque, quos illa iterum committere poſſit, relicto.* Hoc enim licitum eſſe, ex literis Bellarmini ad Franciſcum Lucam 1 Nov. Anno 1606 datis probat, *quod utiliſſimum ſit, ut viri docti tum de variis lectionibus, tum de judicio peritorum hominum admoneantur.* Sic idem Cardinalis Capuæ 6 Dec. Anno 1603 ad eundem Lucam ſcripſit: *Scias velim, Biblia Vulgata non eſſe a nobis accuratiſſime caſtigata, multa enim de induſtria juſtis de cauſis pertranſivimus.* Plura ejusmodi teſtimonia in Præf. p. 127 collecta ſunt. Improbat itaque noſter Autor cum aliis Theologis Pontificiis
128. P. Lorcæ ſententiam L. I. c. 9 n. 8 ſcribentis: *Eſt certum, quam certa ſunt Theologica documenta, Editionem illam* (Vulgatam nunc correctam) *puriſſimam eſſe, & in ea reſtitutam eſſe veram lectionem, & omnimodam integritatem, adeo ut, ſiquis defectum veræ lectionis in ea notaret, etiamſi non Interpreti, ſed ſcriptoribus (puta amanuenſibus, aut typographis) adſcriberet, vel aliquam ex his lectionibus, quas correcta hæc rejecit, veriorem eſſe contenderet*, TEMERARIUS ET AUDAX *merito cenſeretur.* Liber tertius tandem de Vulgata per Sixtum V Anno 1590 edita, nec non de Bibliis Vaticanis Clementis VIII, de Plantinianis, aliisque integro ſeculo hactenus recuſis, agit. Monet Cl.
316. Autor, quod Sixtus V quamplurima quidem menda, quæ in Vulgatæ libros irrepſerant, ſuſtulerit, ſed absque notabili recurſu

curſu ad textus originales, ut liquet ex Bulla editioni iſta præfixa, quodque Sixtus imprimis ſtuduerit, ut Vulgata Biblia ederet juxta lectionem tunc temporis magis communem, qua de cauſa permulta remanſerint, quæ merito corrigenda viſa ſunt. De Clemente vero VIII refert, quod opus, a Sixto V inchoatum, magis perfecerit, adhibitisque doctiſſimis Theologis permulta loca ad originales linguæ textus, aliasque legitimæ Criticæ regulas èxpenſa reſtituerit, annisque poſt Sixtinam duobus, Anno nempe 1592 ediderit. Nullam tamen in utrisque Bibliis ſubſtantialem diverſitatem, ſed accidentalem ibidem tantum admittit, Sixtinamque nunquam in Eccleſiæ uſum traductam, ſed judicioſe deſertam eſſe oſtendit. Ut vero pateat, in quibus locis Sixtina hodie rariſſima a Clementina nunc communi diſcrepet, noſter Cl. Autor illam cum bino Clementis exemplari, altero 1592, altero 1593 excuſo, contulit, omnesque differentias, quas inveſtigare potuit, adnotavit. Qua occaſione ſimul advertit, quod prior Clementina Anno 1592 excuſa, non in omnibus conformis ſit, cum altera, quæ Anno 1593 typis Vaticanis impreſſa eſt, quodque prior hac ſecunda quoad prelum exactior ſit; quamvis in utraque permulti nævi typographi reperiantur. Præterea obſervavit, quod in ſecunda editione Clementis ſtudio quædam mutata ſunt, quæ in prima bene impreſſa videntur. Ut itaque Lector uno intuitu omnes locorum diſcrepantias inſpicere poſſit, Cl. Autor eos ordine Biblico diſpoſuit, tandemque reflexiones addidit, in quibus indicat, utra lectio, Sixtiana, an Clementina, lectioni originalis linguæ magis convenire & præſtare videatur, quamvis modernos Codices originalis linguæ unicam & infallibilem regulam & amuſſim eſſe, ad quam omnia vulgata loca expendenda & corrigenda ſint, non aſſerere audeat, ſed Romanæ Eccleſiæ ejusque viſibilis capitis cenſuræ omnia ſenſa ſua ſubjiciat. Ut de ejus methodo felicius judicare queamus, ſpecimina quædam addamus. Gen. III, 17 Vulgata legit: *maledicta terra in opere tuo*; quæ verba ex mente noſtri Autoris duplicem ſenſum habere poſſunt: vel, ut terra ægre ac reſpective paucos fructus proferat, etiamſi multa in ea colenda ope-

ra adhibeatur. Vel, maledicta erit propter opus tuum crimi-
noſum, quo me offendiſti. Sed obſervat noſter Autor, quod
in Chaldæo, Arabico & Syro legatur בעבורך *baaburcha*, quod
verti poteſt: *propter te*, vel *in transgreſſione tua*, ut tranſtulit
Theodotion. Denique addit, quod Vulgatus Interpres in He-
bræo legerit vocem ſimillimam בעבודך *baabudecha.* Sed
quamvis concedamus, quod vulgatus & forte etiam LXX ita
legerint, addendum tamen fuiſſet, quod vocem in Hebræo co-
dice bene ſcriptam male legerint. בעבודך *baabudecha* enim
formam nominis apud Hebræos non habet. Si eſſet nomen,
legendum fuiſſet בעבודתך *baabodatecha*, *in miniſterio* vel
opere tuo. Sic Exod. V, 11 legitur בעבדתכם *baabotatechem*,
in miniſteriis veſtris, ab abſoluto עבודה *aboda*, *miniſterium*;
ſed forma עבוד *abud*, *opus* apud Hebræos nunquam occurrit.
Quoniam itaque hæc forma Hebræis non uſitata eſt, recte col-
ligitur, tam LXX ſenes, quam Vulgatam male legiſſe, & pejus
vocem vertiſſe. Præterea Vulgatam verſionem vere ambi-
guam eſſe, niſi ipſi lux ex Hebræo codice præferatur, præter alia
plura v. 3 Cap. VI Exod. evincit; legit ibi Vulgatus: *Nomen
meum Adonai non indicavi ipſis.* Si verba vulgati ſequaris,
ſenſus erit, quod nomen אדני *Adonai*, non revelatum fuerit;
ſi vero codicem Hebræum inſpicias, invenies, quod Deus di-
cat: *Nomen meum* יהוה *Jehova non indicavi eis.* Vulgatus
vero loco nominis יהוה *Jehova* legit אדני *Adonai*, quia
tam Judæi, quam Chriſtiani illo tempore, loco יהוה, in lectio-
pag. 51. ne nomen אדני ſubſtituerunt. Sic quando Job. II, 5 dicitur:
tanges os ejus, non intelliges, utrum *os oſſis*, an vero *os oris* ſi-
gnificetur, niſi Hebræum עצמי *os oſſis* inſpicias. Nec ſen-
53. ſum Vulgati Pſ. XVIII, 14 capies, quando leges: *Si mei non
fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Latina enim Vulga-
ti verba dabunt ſenſum, quem Benedictus XII intendit, cum ſu-
os conſanguineos, qui ab ipſo promoveri cupiebant, repelleret,
dicens: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.*
Sed *mei* Genitivi caſum eſſe, & hunc ſenſum referre: *Si mei,*
h. e. בי *in me non dominati fuerint, tunc immaculatus ero,*
54. docet codex Hebræus. Dubium, quod Interpretes Pſ. XXXIX, 7
exer-

Digitized by Google

exercuit, ita noſter Cl. Autor ſolvit, ut Pauli verba Hebr. X, 5 *corpus aptaſti mihi*, ex Græco LXX codice deſumta eſſe opinetur, qui loco כריתָ *caritha*, *perfodiſti*, legerit כליתָ *killitha*, *perfeciſti*. Sed quamvis admittamus, Paulum codicem LXX reſpexiſſe, dubitamus tamen, utrum illi ſenes aliter legerint. Videtur potius LXX ſenes easdem Hebræas literas præ oculis habuiſſe & legiſſe: אזנים כרית לי *aures perfodiſti*, h.e. aures excavaſti, præparaſti mihi; ſed hanc phraſin per ſynecdochen de toto corpore intellexiſſe, & hoc ſenſu tranſtuliſſe: totum corpus præparaſti, aptaſti, perfeciſti mihi. Sic non neceſſe eſt, ut LXX aliter legiſſe ſtatuamus. Liceat ſubjungere, quod Cl. noſter Autor in libro ſecundo ad Gen. III, p. 132. 15 addit. Prolixus ibi eſt in aſſerenda Vulgati lectione: *ipſa* (Maria) *conteret caput ſerpentis*: tandem tamen luce veritatis coactus, ipſe non ſolum fatetur, Romanam Eccleſiam hanc le- 134. ctionem: *ipſa conteret*, non proponere tanquam de fide ſit, neque alteram lectionem: *ipſe conteret*, quam multi Patres, Samaritanus, Hebræus, verſio Samaritana, Græcus, LXX & quædam editiones Vulgatæ approbant, damnaſſe, ſed etiam ipſe exiſtimat, quod nullo modo negari poſſit, quod textus Hebræus 135. huic lectioni vehementer faveat: etenim (pergit ille) quicquid hic profert, maſculinum eſt: Pronomen præpoſitivum הוא *Hu*, quod per ſe valet *ipſe*. Verbum ישוף *Jaſchuph*, quod maſculinum eſt, non fœmininum, ipſum denique Pronomen poſſeſſivum; nam non ſolum eſt in Hebræo: *Hu Jeſchuphecha ros*, ſed etiam ſequitur ibidem אתה תשופנו עקב *Atta teſchaphennu akeb*. *Tu conteres* maſculino *calcaneum*, hoc eſt *contrere moliris*, ſeu *inſidiaberis*; ſi enim de fœmina diceretur, cujus calcaneo ſerpens inſidiaretur, deberet in Hebræo eſſe תשופנה *Teſchuphenna*. Sed quamvis h. l. veritatem ſequatur, eandem tamen Num. XX, 6 deſerit. Verba enim Vulgati ſuperflua, quæ etiam in multis Vulgatæ editionibus deſunt, nec in Hebræo, LXX, Hieron. Chaldæo, Syro, Arabico &c. codice leguntur, & teſte Franciſco Luca ex epiſtola feriæ ſextæ poſt Dom. III. Quadrageſ. deſumta ſunt, olim in Hebræo textu adfuiſſe, ſed forte uti alia plura excidiſſe, nullo antiquitatis

 teſti-

teſtimonio fultus, aſſerit. Ex his B. L. intelliget, quæ de reliquis ſibi promittere poteſt.

CORNELII ADAMI, V. D. M. DAMONENSIS ET Schol. Rect. Obſervationes Theologico-Philologicæ, quibus plurima S. Codicis, Novi præſertim Fœderis, loca ex moribus & ritibus diverſarum Gentium illuſtrantur.

Groningæ, ex officina Jo. a Veſſen, 1710, 4.
Alphab. 2 pl. 21.

INſtitutum, quod Cl. Autor inſcriptione libri ſatis diſerte expreſſit, cum multis idem commune habet, qui jam pridem in eodem campo decurrerunt, quem adeo amplum eſſe conſtat, ut plura ingenia exercere poſſit. Horum itaque veſtigiis ita inſiſtit Rev. Autor, ut eorum laboribus, cum laude commemoratis, tempeſtive utatur, ea autem, quæ domeſtica lectio ſuggeſſit, ſedulo ſymbolæ inſtar conferat, ac fontium imprimis habeat rationem, & idoneis veterum teſtimoniis aſſertionibus ſuis pleniſſimam fidem faciat. Cumque id præcipue agat, ut ex variis gentium moribus, ritibus ac inſtitutis utrique Fœderi, ſpeciatim Novo, lucem affundat, primum Caput introductionis fere loco eſſe juſſit, qua oſtenderet, magnam ex gentium conſuetudinibus, cum Sacro Codice rite comparatis, utilitatem ad divinioris doctrinæ genus & ejus ſtudioſos derivari. Atque id quidem cum teſtimoniis eruditiſſimorum Virorum v. c. Merici Caſauboni c. V p. 138 de Enthuſiaſmo & Bynæi, tum rationibus confirmat. Hac enim ratione & veritatem Evangelicam ab empæctarum objectionibus & criminationibus vindicari, & Gentilium ſuperſtitiones everti, & gratiam divinam, in diſſipatis peſtilentiſſimorum errorum nebulis maxime eluceſcentem, magis magisque celebrari poſſe oſtendit. Hinc explicat, quid rituum morumque nomine ſibi veniat, & quid ſummatim in examinandis & ad uſum ſacrum accommodandis gentium ritibus obſervandum videatur. Capite II Perſarum ritus eo animo ex veterum monimentis repetuntur, ut varia V. T. loca, ac ſpeciatim Hiſtoria Eſtheræ,

non

non ſatis illuſtrata, ampliorem lucem nanciſcantur. Totum
itaque librum, qui ſub Eſtheræ nomine exſtat, ſecundum ordi-
nem capitum & commatum perſequitur, &, quæ vel aliis vel
ſibi in mentem venerint, diligenter, Briſſonio imprimis ad par-
tes ſæpe vocato, commemorat. Cap. III varia Matthæi loca
non tralatitie illuſtrat, v. c. I. 18 vocem συνελθεῖν, quam ut
profanos Scriptores de uſu rei Venereæ imprimis adhibuiſſe
oſtendit, ita hanc ſignificationem nec hoc in loco amittere ar-
bitratur. Poſtea vocem παραδειγματίζειν, qua vel proſtitu-
tionem ad ſupplicium & infamiam conjunctim, vel ad infami-
am tantum ſignificari, cum Bynæo de Nat. I. C. lib. I c. 2
p. 197 ſq. exiſtimat. De Magis varia ex veterum & recentio-
rum obſervationibus affert. Inter cetera de pane ἐπιουσίῳ tot p. 110.
eruditorum Virorum curas experto commentatur, eumque
non de ſpirituali, ſed corporali pane accipiendum, cum Cl.
Marckio ſtatuit, cujus diſputationes de hoc argumento, quæ
Exercitationibus ejus Juvenilibus inſertæ leguntur, rem ad li-
quidum perduxiſſe profitetur. Obſervationibus in Matthæ-
um ſubjunguntur annotata, quæ Actuum caput XVII, 16 ſqq.
illuſtrant. Multa hic de urbe Athenienſium, ſuperſtitione
eorum & ritibus ſacris leguntur, ab aliis quidem jam admoni-
ta, ſed a Cl. Autore non ſine induſtria & Lectoris voluptate in
ſummam collata. Capite V analecta Agoniſtica, ad phraſes 346.
potiſſimum Paulinas illuſtrandas idonea, ſuppeditat, ac ſpici-
legium quoddam poſt opimas meſſes, quas Duumviri præ-
ſtantiſſimi Hier. Mercurialis & Petrus Faber, ac præter hos
Jac. Lydius in Agoniſticis Sacris fecerunt, inſtituit. Nec de-
ſiderabit fidem cordatus Lector: quamvis enim illorum, quos
dixi, Virorum induſtriam vel nulla vel pauca veterum loca, quæ
ad hoc argumentum pertinent, effugerint, recentiorum ta-
men Scriptorum lucubrationes, quas diligenti manu Cl Autor
evolvit, huic antiquitatis momento non contemnendam lucem
fœnerantur. Ceterum in Præfatione continuationem harum
Obſervationum ſperare jubet Autor diligentiſſimus, quam
avide excipient, quibus volupe eſt, præſtantiora eruditorum
& antiquitatis intelligentium Virorum cogitata, ex diverſis, iiſ-

que

que majoris molis ac rarioribus ſcriptis in unum acervum congeſta, legiſſe.

DE VOLSTREKTE BORGTOGT VAN DE SOONE Gods &c.

h. e.

PLENARIA FIDEJUSSIO FILII DEI DEFENSA a GERHARDO PERIZONIO, V. D. M. Grotammerenſi.

Amſtelodami, apud Jacobum Borſtium, 1710, 8.

Plag. 19.

QUanquam Theologi Reformati in articulo de ſatisfactione Chriſti, quod rem ipſam attinet, inter ſe conſentiunt, magna tamen inter eos lis intercedit, utrum ea ſatisfactio melius appelletur fidejuſſio, an expromiſſio. Poſterius defendit ante aliquot annos Vir Cl. Melchior Leideckerus, in libro de fidejuſſione Chriſti, quem ad reducendam pacem eccleſiaſticam (ex hac enim ſcintilla bellum conflari potuit) a ſe editum eſſe ſcribit. Cum vero in hoc libro Coccejus, Heideggerus aliique, qui contrariæ ſententiæ favent, in numerum Socinianorum ſint relati, Cl. Gerhardus Perizonius, Jacobi frater, virorum tantorum defenſionem ſibi ſuſcipiendam duxit. In Præfatione optimum futurum fuiſſe dicit, ſi nomina fidejuſſionis & expromiſſionis nunquam a Theologis fuiſſent Theologiæ immixta, cum in ſacris Litteris non reperiantur, & Divina ſatisfactio ab humana, ſive hæc fidejuſſio ſit, ſive expromiſſio, multum differat, neutrique per omnia ſit comparanda: ita enim abſque dubio minus rixarum & cavillationum futurum
p. 3. fuiſſe. Sub initium tractatus conqueritur, multos reperiri ex ordine ſuo, qui arma, adverſus alios hoſtes uſurpanda, contra ipſos fratres convertant, qui viris pacificis, nullas aut leviſſimas ob cauſas nomina Socinianorum, Papiſtarum, Antinomorum aliaque ſimilia objiciant, qui aliis pro autoritate terminos ac limites præſcribant, quid quantumque dicendum ſit, & glori-
33. entur, ſe gerere bella Domini. Se quidem ore & animo aſ-

a

ſentiri

ſentiri iis hypotheſibus, e quibus Leideckerus tanta fiducia concludat, Chriſtum appellandum eſſe expromiſſorem, ſed videri tamen ſibi, melius appellari fidejuſſorem. Hanc ſententiam ſuam duobus potiſſimum argumentis probat. Primo p. 37.
expromiſſorem, quia obligationem plane in ſe receperit, ſolutione facta non liberare debitorem priorem, qui ipſa expromiſſione facta jam penitus ab obligatione liber ſit, ſed ſe ipſum: itaque ſequi, ut Chriſtus, ſi expromiſſor ſit, non tam pro noſtris debitis, quam pro ſuis, quæ noſtri cauſa ſuſceperit, ſit paſſus. Deinde in ſacris litteris peccata, quæ electis usque ad ſa- 44.
tisfactionem realem adhærent, ipſis tribui, dicique peccata ipſorum: quod fieri non poſſet, ſi Chriſtus peccata penitus in ſe recepiſſet. Ad argumenta Leideckeriana Cl. Autor fuſe ſatis reſpondet, quæ tamen omnia recenſere nihil attinet, cum 263.
ipſe rem totam in inani logomachia & problematibus quibusdam, quæ non magni ſunt momenti, conſiſtere agnoſcat, promittens, ſe eos etiam, qui alteram ſententiam amplectuntur, non minus amico vultu adſpecturum. Quam ob cauſam 292.
etiam fatetur, orthodoxum eſſe Leideckerum, atque hunc tractatum non ideo ſcriptum eſſe, ut orthodoxia ejus in dubium vocetur, ſed tantummodo ut fratrum orthodoxia contra ejus αἱρετικοποιΐαν vindicetur.

SACRA MORAVIÆ HISTORIA, SIVE VITA SS. CYRILLI & METHUDII, Welebradenſium Archiepiſcoporum, Moraviæ & univerſæ pæne Slavoniæ Apoſtolorum; Autore JOANNE GEORGIO STREDOWSKY, Proto-Notario Apoſtolico, Auratæ Militiæ Equite, Sacri Palatii & Aulæ Lateranenſis Comite, nec non Pawlowicii ſupra fluvium Beczvam Parocho.

Solisbaci, impenſis Georgii Lehmanni, 1710, 4.
Alph. 3 pl. 4 una pl. figg. æn.

IN Romana Eccleſia a multis jam ſeculis in morem abiit, ut, qui ſupra vulgus ſaperent receptasque vel conſuetudines vel doctrinas oppugnarent, non ſolum in hæreticorum haberentur numero, verum etiam igni nullo unquam tempore intermori-

turo irrevocabili addicerentur ſententia. E contrario, qui vel per naturalem mentis imbecillitatem ac profectam inde ſuperſtitioſam credulitatem, vel per ſimulationem in quæſtum comparatam, omnes intenderunt nervos ad propagandam vindicandamque religionem publicam, eos id præmii manſit, ut poſt fata Sanctorum titulo in Senatum cœleſtis curiæ conſcripti, ſupplici cultu dedicatisque templis ac feriis celebrarentur. Ad utram horum Sanctorum claſſem ii ſint referendi, quos admodum Reverendus Autor hujus libri deſcribit, aliorum eſto judicium. Nos ejus opus, *acerbo*, ut in titulo ſcribit, *ſudore collectum*, ad ſeculi IX hiſtoriam illuſtrandam non parum conferre ingenue confeſſi, in recenſione ita verſabimur, ut miſſis, quæ ad civilem pertinent hiſtoriam, Lectoribus indice quaſi digito monſtremus, quantos inde fructus percipere poſſint eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudioſi. Nam permulta interſeruit ad civilem Moraviæ atque Bohemiæ hiſtoriam ſpectantia, idque, ut in Præfatione ait, partim ea de cauſa, ut narrationes de Cyrillo & Methudio chronologico nexu concatenatæ ſolidius haberent fundamentum, partim ut diffuſior illa veteris Moraviæ hiſtoria aliquid adjumenti afferret ei, qui Moraviæ Annales velit contexere. Quam ob rem in eadem Præfatione non ſolum recenſet omnes Moravicæ hiſtoriæ ſcriptores, cum editos, tum ineditos, ſed etiam alia adminicula ei, qui integram Moraviæ hiſtoriam componere in animum inducat, erudite præſcribit. Ipſum Opus quinque abſolvit Libris, horumque *primo* brevem Moraviæ deſcriptionem, populi mores, veterem ethniciſmum, & quædam Chriſtianiſmi initia complectitur. Olim enim Moravia Regnum erat, ex quo multis detractis partibus hodie Marchionatus Moraviæ reliquus eſt, qui

Lib. I Cap. 1.

3. longitudine 25, latitudine 22 Germanica milliaria æquat. Regni olim metropolis erat Welehradium, urbs ampliſſima, ex qua nihil ſupereſt præter monaſterium Ciſtercienſium, anno

4. 1204 conditum, cujus Abbatum exhibetur Catalogus. Interdum e terra eruuntur numi ita inſcripti: MONETA CIVITATIS WELOGRODENSIS. Hodie metropolis eſt Olomucium, ac Pro-Marchionis munere fungitur Franciſcus Joſephus,

ſephus, Comes ab Oppersdorf, cujus & anteceſſores nominatim indicantur omnes. Vetus Moravia quatuor potiſſimum idola coluit, Pierunum, Radagoſtum, Witislaum, & Kraſopanim, Slavorum Venerem. Quorum Numinum figuras æri eleganter inciſas Autor exhibet, de iisdemque totidem diſſerit capitibus. Præ ceteris aſpectu dignus videtur Pierunus, qui Cap. 5.
in manu dextra ferrum latum, vomeris inſtar, idque rubrum & quaſi candicans geſtat. Erat autem ferrum illud candens pro ritu explorandi reos ſcelerum. Nam in ejus Numinis luco & fano, qui criminis alicujus ſuſpecti erant, candentis illius ferri contrectatione innocentiam ſuam ſolebant demonſtrare: quem ritum apud Moravos jam Chriſtianos remanſiſſe usque ad ætatem Caroli IV Imperatoris, Noſter manifeſtum reddit.
Si quæras de ortu lucis Evangelii in Moravia, Noſter exiſtimat, 9.
primis ſtatim temporibus eam hic illuxiſſe, cum e Pannonia & Norico, quæ Evangelium ſtatim acceperint, facillimus fuerit in Moraviam tranſitus. Imo non dubitat, S. Laurentium, Epiſcopum Laureacenſem, primum in Moravia tradidiſſe doctrinam Chriſti circa A. 47. Producit hinc Ambroſium, qui ſcriptis litteris Fridegildim Marcomanniæ Reginam ad Chriſtianismum perduxerit, a qua maritus ipſius Roſemundus ad eandem religionem amplexandam fuerit permotus. Adducit etiam Hieronymi epiſtolam ad Fretellam Olomucenſium Epiſcopum ſcriptam. Nihilominus Slavi, cum ſubegiſſent Marcomanniam, quicquid religionis Chriſtianæ reliquum
erat coloniarum per Regnum diſperſione opprimebant. Poſt- 10.
ea tamen Carolus M. armorum vi Samoslaum, Moravorum Regem, ad amplectendam Chriſtianam religionem adegit, ejusdemque conſilio multi doctores in Moraviam miſſi, quos
inter Arno, Godvinus & Urolphus fuere. Horum poſtremus 11.
Laureacenſis fuit Archiepiſcopus & Moravorum Metropoli- 12.
ta, anno 826. Nec parum ſucceſſit religionis ſanctioris propagatio ſub Regibus Mogomiro I & Brynnone. Quanquam hoc tandem in exilium acto, Mogomirus II, factioſorum gentilium procerum ſententia Rex conſtitutus, gentilia Numina eorumque cultum denuo inſtauravit. Tandem vero A. 856 in

Digitized by Google

Moraviam ex Græcia venerunt Cyrillus atque Methodius, ſive, uti ſemper a Noſtro vocatur, Methudius. De his uberius agitur Libris ſequentibus, & quidem ſecundo Libro de patria eo-
Lib.II Cap.1. rum, & apoſtolicis inter gentes Slavorum operibus. Nati ſunt hi fratres Theſſalonicæ, Cyrillus quidem intra annum 813 &
2. 818, Methudius brevi poſt eum. Patrem nacti ſunt Conſtantinum, Virum illuſtrem, cujus nomine & natu major, nempe Cyrillus, fuit inſignitus, quod, cur poſtea mutaverit, rationem infra audiemus. Ambo fratres Conſtantinopoli a S. Methodio Patriarcha ſacerdotali honore aucti ſunt. Quidam etiam
3. putant, fuiſſe eos monachos Ordinis S. Baſilii: ſed horum ſententiam Noſter convellit, docetque, eos ab eodem Methodio ad Gazaros convertendos emiſſos Slavonicam addidiciſſe linguam, eosque non ſolum ad Chriſtianiſmum perduxiſſe, ſed & iſtam in linguam tranſtuliſſe Evangelium. Iidem hi fratres paulo poſt Bulgariæ intulerunt lumen Evangelii, & hac qui-
4. dem occaſione. Cum Bogoris, Bulgarorum Regis, ſoror adhuc Conſtantinopoli captiva, fratri ſuo redderetur, ipſa jam Chriſtiana, ſecum in Bulgariam duxit Cyrillum & Methodium. Sed nullis ii adhortationibus Regis animum expugnare potuerunt, donec morbo & publica annonæ penuria permotus votum faceret, ſe his malis liberatum Chriſto nomen eſſe daturum. Verum cum hoc promiſſum Rex non ſervaret, Methodius pingendi artem egregie doctus, judicio extremo graphice depicto, ita perterruit Regem, ut ſtatim ſe ſineret baptizari. Poſtea hi fratres ad Dalmatas & Croatas tranſeuntes perfecerunt, ut Budimirus Rex Chriſto & ipſe nomen daret, & ſubje-
5. ctum ſibi populum adduceret. Hinc a Moravis invitati brevi poſt, quam una cum lipſanis S. Clementis Welehradium perveniſſent, Radislaum Regem ejusque nepotem Suatoplucum cum primoribus Regni Welehradenſibusque civibus baptiza-
6. runt. Eademque in urbe Scholas inſtituerunt, in quibus Cyrillus ſuos, quos Slavorum in gratiam invenit, characteres, qui hinc hodienum Cyrillici vocantur, tradidit. Quod genus literarum, nec non Bucovica literatura, ab Hieronymo inventa, a Noſtro explicatur, certumque tempus ſtatuitur, quo in

Digitized by Google

in Moraviam Cyrillus venit cum Methodio, nempe annus 856.
Cum igitur felix eſſet novæ religionis progreſſus in Moravia, & Lib. II Cap. 7.
idola ubique dejicerentur, factum eſt, ut Eccleſia Welehraden- 8.
ſis Cathedralis dignitatem acciperet, ejusque Præſul conſtitue-
retur Cyrillus, uti Olomucenſis Methodius. Hi non modo
divina officia Slavonico idiomate perſolvunt, ſed Cyrillus Bi-
blia univerſa eadem lingua interpretatur & publicat. Inter 9.
hæc hoc fratrum par in Ruſſiam abit, & Ruſſos ad ſuam reli-
gionem convertit, unde hodienum eorum memoria apud
Ruſſos quotannis d. 10 Martii celebratur. Inde in Moraviam
reverſi, Borivogium Bohemiæ Ducem, cum Regis Moraviæ 10.
hoſpes eſſet, itidem convertunt, eaque re etiam Evangelio in
Bohemia pandunt aditum. Ceterum cum Apoſtoli hi apud 12.
Nicolaum I Papam ob ſermonis vulgaris in ſacris uſum accu-
ſati eſſent, illi Romam evocati Papæ rationem facti ſui reddere
conantur. Verum cum Papa eos non audiret, finem contro-
verſiæ fecit audita de cœlo vox: *Omnis Spiritus laudet Domi-
num, & omnis Spiritus confiteatur ei.* Quo facto Slavis vernacu-
læ linguæ uſum in ſacris Papa indulſit, ſimul Cyrillum Weleh- Lib. III.
radenſium creans Archiepiſcopum. Hujus Papæ ſucceſſor Ha- Cap. 1.
drianus II hoſce fratres univerſæ gentis Slavonicæ Apoſtolos
conſtituit & in Moraviam remittit. Sed Cyrillus quidem hinc 2.
ob bellum domeſticum in Bohemiam ſe recipit, ibique Scho-
las inſtituit, & hyperdulian Mariæ Bohemis tradit. Noſter
animadvertit, Bohemos confractis atque conflatis falſorum
Numinum ſimulacris, Mariæ imaginem, quæ hodieque ſupereſt
Boleslaviæ, inde fieri & procudi curaſſe. Tandem Cyrillus de 5.
inſtanti morte divinitùs præmonitus Romam petit, in Pontifi-
cisque manus Archipræſulatus ſui inſignia deponit, quæ Ha-
drianus Papa contulit Methodio. Paulo ante ipſius mortem
id contigit, quod in cauſa eſt, ut hodie non Conſtantini no-
mine, quod tamen per omnem vitam, demtis aliquot hebdo- 6.
madibus, geſſit, ſed Cyrilli appelletur. Nimirum quia ſem-
per ſingulari affectu ferebatur in Cyrillum Alexandrinum, cu-
jus etiam libros in Slavonicam linguam convertit, factum eſt,
ut die huic Cyrillo ſacra, quæ in Eccleſia Latina d. 28 Januarii

 cele-

Digitized by Google

celebrabatur, cum Conſtantinus noſter eum mane ſuppliciter
imploraret, Sanctus hic Cyrillus, cœleſtis lucis fulgore conſpi-
cuus, ſuo ſe clienti conſpiciendum præberet, ſuavique ſolare-
tur alloquio: *Eſſet bono animo, poſt 40 dies tempus migrationis
ex hac ſolitudine ad æviterna præmia futurum ſciret: ante ta-
men obitum, ſuum CYRILLI ſibi imponeret nomen.* Ex eo tem-
pore conceſſu Papæ nomen aſſumſit Cyrilli, quo adhuc voca-
tur. Etiam prædicto tempore mortuus Cyrillus Romæ ma-
Lib. III. gnifice ſepelitur, anno 873, ut Noſter contendit. Ad ejus ſuc-
Cap. 8. ceſſorem Methodium Joannes VIII Papa mittit litteras, quibus
revocat privilegium illud Slavis conceſſum, divina officia cele-
9. brandi in lingua ſua. Immo cum Methodius videretur obſe-
quium huic mandato detrectare, parum abfuit, quin pro hære-
tico condemnaretur. Papa enim rurſus ſcripta ad eum epi-
ſtola ei interdicit, ne porro miſſas cantet in lingua barbara.
Quæ Papæ ſententia deinceps confirmata eſt in Moravia, &
Lib. IV. uſus patriæ linguæ in ſacris abolitus. Tandem poſt multas
Cap. 8. moleſtias, quas Rege Moraviæ Suatobogio Methodius pertu-
lit, vitæ ſatur & mortem ſuam ex apparitione Cyrilli fratris
prænoſcens, Romam conceſſit, ibique paucos poſt dies mor-
tuus nonagenarius, eodem, quo frater, conditus eſt tumulo.
Quæ miracula circa Cyrillum ac Methodium Deus ſit opera-
tus, quæque patrarint ipſimet, ſingulari capite Autor noſter
9. exponit. An autem *miraculum* hoc loco Synonymum ſit *fa-
bulæ*, uti apud Livium lib. I cap. 4 & Gellium lib. IX cap. 4,
cordatiores judicent Lectores. Sequenti Seculo anno 914 &
Cyrillus & Methodius canonizati ſunt a Joanne X Papa, uti
Autor noſter capite I libri V exponit, quo libro tractat, quic-
quid poſt Methodii obitum in Moravia accidit uſque ad ſedis
p. 583 ſqq. Epiſcopalis Olomucio factam reſtitutionem. Subnectit varia
monimenta, quibus antiquitates monaſteriorum aliquot in
Moravia illuſtrantur. Atque hæc eſt totius Sacræ Moraviæ
facies: niſi quod addendum eſt, pleraque probari ex ſcripto-
ribus junioribus. Unde non mirum, ſi Lectori minus credulo
non pauca fabulis, quam vero, videantur ſimiliora. Certe
difficillima concoctu eſt narratio de Clementis I Papæ reliquiis

a Cyrillo

Digitized by Google

a Cyrillo inventis miraculo inaudito: & complures hujus generis. Ceterum ex hoc libro inter alia & hoc annotari meretur, quod, cum Suatoplucus Moraviæ Rex Borivogii Bohemiæ Ducis filiam Ludomiram ſibi deſponſatam per legatos domum eſſet ducturus, ſponſa a Bavaris intercepta, natum inde ſit proverbium vulgari ſermone tritiſſimum: Wer das Glück hat/ führt die Braut heim/ id eſt, *cui fortuna favet, ei ſponſam licet domum ducere.* Ad Academicas antiquitates pertinet, quod Methodius A. 876 Academiam ſcribitur condidiſſe Budecii, oppido tribus milliaribus a Praga diſtanti. Ad eccleſiaſticas vero referatur, quod anno 965 Miecislaus, Polonorum Dux, Chriſtianus factus & baptizatus eſt d. 5 Martii, quæ illo anno erat Dominica quarta Quadrageſimæ, dicta Lætare. Quo facto edixit, ut omnes a proxima Martii ſeptima die, idolis confractis, & in lacubus aut aquis ſubmerſis, ſimul & lapidibus obrutis, baptizarentur, addito metu publicationis bonorum & exilii. Itaque omnes baptiſmum ſuſcipiunt & idola dejiciunt, Deosque haſtilibus affixos per vicos ferunt, ac deinde in aquas præcipitant. Unde mos ille etiamnum in Sileſia, Polonia, & alibi obtinet, ut pueri puellæque Dominica Lætare idolum quoddam fabrefactum extra mœnia portent, & in aquam projicientes demergant. Idem apud Moravos adhuc obſervatur, hoc tamen diſcrimine, ut Moravicæ adoleſcentulæ Dominica Quadrageſimæ quinta, quam *Dominicam mortis* vocant, ludicram illam cerimoniam peragant. Nec denique Lectori ingratus eſſe poteſt Catalogus Regum Moraviæ & Epiſcoporum Olomucenſium, quorum hic Capite 12, ille decimo Libri V exhibetur.

p. 96 ſqq.

Lib. III c. 4.

Lib. IV c. 7.

Lib. V c. 9.

SERVATI LUPI, PRESBYTERI ET ABBAtis Ferrarienſis, Opera. STEPHANUS BALUZIUS collegit, emendavit & notis illuſtravit. Editio ſecunda, ab ipſo BALUZIO aucta atque emendata.

Antwerpiæ, apud Jo. Fridericum Gleditſchium & Fil. 1710, 8.
Alph. 1 pl. 13.

Ste-

STephanus Baluzius, Vir tot monimentis æternitate dignis clariſſimus, primam horum operum editionem publicarat Pariſiis A. 1664. Nunc ejusdem cura auctior ea apud nos prodit, digna cujus recenſionem faciamus paulo accuratiorem. De Lupi quidem ipſius Operibus nihil dicturi, niſi quod dicendi genere utatur non ineleganti, in ipſis vero ſententiis Auguſtino ſe affixum eſſe ſatis prodat, Editoris notas pauliſper perluſtrabimus. Lupi autem monimenta, quæ hoc volumine continentur, iſthæc ſunt: *Epiſtola 130*, *Canones Concilii Vernenſis*, quorum autorem eſſe Lupum, non ſolum ex ejus Epiſtola 42 probat Baluzius p. 472, ſed ex ſtylo, quem ſubinde cum Epiſtolis ejus contendit, *Liber de tribus quæſtionibus*, ſcilicet, de libero arbitrio, de prædeſtinatione, & de valore ſanguinis Chriſti, quem eundem Lupo Annotator firmis argumentis aſſerit, *Collectaneum de tribus quæſtionibus*, iisdem nimirum, quas modo memoravimus, *Vita Sancti Maximini*, *Epiſcopi Trevirenſis*, quam tamen fabulis fœde contaminatam eſſe, paſſim in notis oſtenditur, *Vita Sancti Wigberti, Abbatis Frizlarienſis*, de qua haud dubie idem ferri debet judicium, *Homiliæ duæ ac totidem hymni in ſolennitate Sancti Wigberti*, quanquam poſtrema hæc ſcripta Lupi eſſe, non conſtet certo aliquo argumento. Progredimur itaque ad doctiſſima Baluzii annotamenta, in quibus primum Lupi vitam deſcribit p. 326 ſeq. Deinde ſparſim quædam affert pro Eccleſiæ Gallicanæ libertate. Ut cum p. 381 obſervat, olim Romani Pontificis auctoritatem rarius ab Epiſcopis Gallicanis imploratam fuiſſe, plus valente auctoritate Regia. Sic p. 342 ſeqq. docet, monaſteriorum libertatem Lupi ævo pependiſſe ex nutu Principum, & Regiæ auctoritati ea immediate ſubjecta fuiſſe. Adde p. 369 ſeqq. & 386. Reges jure regio Epiſcopatus conceſſiſſe, oſtendit p. 415 ſq. & Baronium Regis auctoritatem in Eccleſia oppugnantem p. 418 reprehendit. Porro haud pauca profert, quæ ad locupletanda Gloſſaria mediæ ætatis faciunt. *Breves* id ætatis vocabantur, quæ nunc vocamus inventaria p. 330, unde & *inbreviatores* dicti. *Armarium* ſignificabat bibliothecam p. 351, *titulus* Eccleſiam, ad quam quis erat ordinatus p. 363, *comitatus* pagum p. 370, *tractoria* epiſtolam, cujus beneficio Miſſi ſuſcipiebantur

tur

tur & penſitationem tributumque accipiebant p. 400, *bajulus* præceptorem regiæ juventutis p. 401, *preceptum* diploma regium p. 404, *Tractator* ſacrarum Litterarum interpretem & doctorem p. 490. Præterea plurima ſcitu digna ubique notis inſperſa ſunt, ex quibus nonnulla delibabimus, quæ Lectorem ad librum ipſum perlegendum invitare poſſe videntur. Tralatitiæ, de conjugio Eginhardi cum Imma Caroli Magni filia, narrationi fides adſtruitur p. 331, 333, 334, 335. In primitiva Eccleſia nullum Presbyteros inter & Epiſcopos diſcrimen fuiſſe, tradit Baluzius p. 367 ſq. Veterum nimiam vitæ monaſticæ æſtimationem cum Eraſmo notat p. 378. Veterum opinionem exiſtimantium, actum prorſus eſſe de ſalute ejus, qui vel ungue ſummo perſtringere auderet bona monaſteriorum, ſalſe ridet p. 395. Jam Lupi ævo Curiam Romanam munerum fuiſſe avidiſſimam, nihilque apud eam obtineri potuiſſe gratis, adeoque omnia Romæ fuiſſe venalia, (utimur hic, ut & in ceteris plerisque, ipſius Baluzii verbis,) refert p. 403. Bedam eſſe verum Autorem Commentarii in Epiſtolas Pauli, ſub ejus nomine vulgati, probat p. 406. Illud Chriſti: *Paſce oves meas*, ex conſenſu veterum, æque pertinere ad Epiſcopos omnes, qui Vicarii Petri vocari ſoliti ſint, demonſtrat p. 428. Denique ficta medio ævo anilia miracula in vitis Sanctorum ingenue agnoſcit p. 492 ſq. Ceterum cum celeberrimus Baluzius interdum etiam emendandum ſibi ſumſerit Lupum, non videtur alienum hoc loco quædam annotare, quæ ipſiusmet eruditiſſimi Viri aliorumque judicio permittimus lubentes. Nimirum Epiſt. 35 Lupus Ebrardum exhortatur graviſſime, ut Chriſtiana in virtute in dies proficiat, ſummaque intentione nitatur, ut laborioſius Deo militans ab eo glorioſius coronetur. Retulimus ipſa Lupi verba. Tum allato Davidis dicto ſic pergit: *Jacta cogitatum tuum in Domino, ut ab eo nitorimenta perpetuo felicia & feliciter perpetua conſequaris.* Diſerte *nitorimenta* in MS. codice legi, teſtatur Baluzius p. 383, novumque vocat vocabulum, quo Lupus ſignificari velit *nitorem mentis*. Nos ei vix ſubſcribimus, ſed ductum litterarum ſecuti orationisque ſeriem, legendum arbitramur *incrementa*.

Nam & paulo poſt Lupus addit : *ſalutiferis quotidie creſcas virtutibus. Epiſtola 127* hæc leguntur : *Quia non miſiſtis equum, nec idoneum*, (ſcilicet equum,) *qui me exolutim ferret, habebam* (ipſemet,) *navi ad vos curſum tenebo.* Baluzius p.464 fatetur, in MS. eſſe *mexolutim.* Unde fecit *me exolutim.* Verum nec uspiam id vocabulum reperitur, & ſenſus *indubie*, quem ei dat Baluzius, huc quadrare haud videtur. Legendum arbitramur *me tolutim.* Noti quippe ſunt *equi tolutarii*, & Plautus Aſinar. act. III ſc. 3 v. 115 meminit *equi tolutim badiſſantis*, id eſt, ut verſu proxime præcedenti declaratur, *incedentis.* Porro cum Cl. Baluzius p. 484 monet, in Lupi de tribus quæſtionibus libro p. 211 legendum eſſe : *Scire eum*, (pro *Deum*,) ſcilicet Diabolum, *quod ſi comediſſent* (protoplaſti,) *mox aperirentur oculi eorum, ſimilesque diis exiſterent.* Sed hic quidem haud dubie nihil immutandum. Eadem enim verba reperias Geneſ. III, 5, quo Lupus reſpexit : *Scit enim Deus, quod, in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii.* Poſtremo illud addimus, cum in multis Epiſtolis, ut p. 191, 182, 180, 178, 172, 173, 169 & alibi in hac editione legatur *Reverentisſimus* Præſul, non injuria nos dubitare, an forte reſcribendum ſit *Reverendiſſimus*, quod & convenientius eſt, & ab ipſo Lupo adhibetur in procemio ad Vitam Sancti Wigberti p. 292.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΛΟΓΓΙΝΟΥ ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ ΒΙΒΛΙΟΝ.

h. e.

DIONYSII LONGINI DE SUBLIMITATE LIBELlus, cum Præfatione de vita & ſcriptis LONGINI, notis, indicibus & variis Lectionibus.

Oxoniæ, e theatro Sheldoniano 1710, 8 maj.

Plag. 15.

QUamvis Longinus, Rhetor veteri memoria præſtantiſſimus, nec poſteritati minus commendatus, plurimorum induſtriam expertus ſit; optimo tamen conſilio Cl. Hudſonus, quem ſuſpicamur Editorem, repetitis curis eum dignum judi-

judicavit, additurus ea, quæ *Fr. Robortelli* Baſileæ MDLIV (ita enim legendum eſt, cum Præfatio noſtræ editionis, typographi errore, MDCIV exhibeat) *Pauli Manutii* MDLV Venetiis, *Fr. Porti* MDLXIX Genevæ, *Gabr. de Petra* ib. MDCXII, *Gerhardi Langbænii* MDCXXXVII Oxoniæ, alteriusque Bononiæ MDCXLIV, *Tan. Fabri* Salmurii MDCLXIII, ac denique *Jacobi Tollii* Traj. ad Rhen. MDCXCIV, edentium induſtriam effugerant. Eo autem conſilio negotium hoc aggreſſus eſt Cl. Editor, ut contextus Græcus non minus quam Latina verſio caſtigatius & correctius prodiret. Hinc præter impreſſa typis exempla Longini omnia, quæ quidem alicujus notæ ſint, Cod. MS. e Bibliotheca Viri Celeb. Jo. Mori, Epiſc. Elienſis, conſuluit & collectas ex eo Lectiones variantes ad calcem ipſius libelli rejecit. Verſionem textui Græco ſubſtratam paſſim correxit, ac otioſis verbis reſectis, ad Græcum textum propius accedere juſſit, in notis autem textui ſubjectis iisque paucis & brevibus id egit, ut lectioni receptæ ſua conſtare poſſet ratio. Accedunt tres Indices novi, quorum primus Verborum, ſecundus Rerum, tertius Autorum habet rationem, atque hi interdum prolixiores exhibent obſervationes a ceteris Interpretibus maximam partem allatas, quas paginarum anguſtia in opere ipſo non capiebat. In Præfatione vita Longini ſummatim commemorata ejusdemque ſcripta Langbænii potiſſimum verbis, quæ interdum novis Cl. Editoris obſervationibus diſtinguuntur, ordine recenſentur, iis non neglectis, quæ Langbænium effugerant. Sunt autem hæc: τὰ περὶ Ξενοφῶντος, Τέχνη Ῥητορικὴ, ſi hæc ejus eſt, Ὀδαίναθος, Φιλολόγοι, εἰς τέχνην Ῥητορικὴν Ἑρμογένους, περὶ Μέτρων, cujus partem ex Bibliotheca Vaticana deſcriptam Cl. Editor exhibet, quæ tamen ut & cetera ab impreſſis Hephæſtionis ſcholiis parum admodum diſcrepare candide fatetur. Hic illud monendum ducimus, quod Tollius in Præfatione ad ſuam Longini editionem illa περὶ τῶν μέτρων ac præterea Lexici cujusdam Sacri ἀνέκδοτα in Inſignibus Itineris Italici editurum ſe receperit, quod tamen factum eſſe non deprehendimus. Præfationem excipiunt veterum & recentiorum de Longino judici-

cia ac teſtimonia, inter quæ legimus Libanianum, quod ad Orationem Longini de Odenatho pertinet, ex epiſtola quadam ejus MS. depromtum, quod partim in Præfatione, partim inter judicia affertur, ſed poſteriori quidem loco accuratius. Illis recentiorum teſtimoniis addi forte poterat Coſtarii judicium ſiniſtrum ſed iniquum, quod in Apologia ejus adverſus Giracum legitur p. 88. Hoc ſe ex parte probavit Bælio Tom. III Dictionarii p. 2881 not. Viciſſim præclare de Longino ſenſit Illuſtris Huetius, id quod vel ex ſingulari ejus diſſertatione, quæ Longini de verbis Moſaicis: *Fiat lux, & facta eſt lux* illuſtrat, ſatis apparet. Legitur ea in Cl. Clerici Tomo X Bibl. Select. p. 211 ſq. Dignus quoque erat Henricus Valeſius, qui ad Euſebii Hiſt. Eccleſ. p. 121 conſuleretur. Ceterum eodem fere tempore, quo iſta editio ad nos fuit delata, V. C. Conr. Sam. Schurzfleiſchii τȣ̃ μακαρίτȣ notæ & animadverſiones eruditæ in eundem Longini libellum Cl. Fratris cura in lucem Wittebergæ forma quarti ordinis prodierunt, quæ, ut cetera taceamus, eo ſe imprimis nomine commendant, quod beneficio Codicis MS. in Bibliotheca Mediolanenſi Ambroſiana obvii & a Tollio neglecti, variis locis non contemnendam lucem ſubinde affundunt. Inſcriptio Programmatis a V. C. Henr. Leonhardo Schurzfleiſchio editi, quod hanc commentationem complectitur, ita habet:

DIONYSIUS LONGINUS ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ *AD fidem Codd. a Jac. Tollio omiſſorum, recenſitus, notisque e ſchedis B. Fratris auctus.*

Vitembergæ, typis Chriſtiani Schrœdteri, 1711, 4.

Plag. 10.

EX Procemio intelligas, B. Schurzfleiſchium Longini libellum ad fidem Codicis MS. Bibliothecæ, quæ Mediolani eſt, Ambroſianæ, illiusque in charta bombycina manu ſat antiqua non indiligenter exarati, ac inter MSS. lit. N, n. CXCVI ſignati, recognoviſſe, ac præterea editionem Pauli Manutii Venet. MDLV curatam, & cum Tollio tum ceteris Longini Editoribus neglectam ſolicite contuliſſe, atque adeo his præſidiis potiſſimum

Digitized by Google

tiſſimum inſtructum eas animadverſiones fugitivis ſchedis commiſiſſe, quæ nunc primum Cl. Fratris cura in lucem communem exiverunt. In Præfatione extrema commemoratum quoque eſt, Autorem vitæ Apollonii (cujus locus Editoris Angli induſtriam non effugit) Longinum ἐν τοῖς φιλολόγοις laudari, qui liber idem forte ſit atque alter, quem περὶ τῶν Κριτικῶν eum inſcripſiſſe veteres teſtentur. Ipſa commentatio in
certa capita eſt diſtincta, in quorum primo de Terentiano, cui p. 2.
Longinus operam hanc inſcripſit, monetur, nomen ejus in MS Ambroſ. per Ποςύμιον Φλωρεντιανὸν exprimi, ex quo conjecturam fecit B. Vir, legendum eſſe Ποςῦμε Φλ. Τερεντιανὲ· mavult enim Ποςῦμε quam Ποςύμιε, quoniam *Poſtumus* prænomen, *Poſtumius* autem gentis nomen eſſe, ex veterum
monimentis patet. Poſtea de Rhetoribus & Sophiſtis non- 6.
nulla admonentur, & Rhetor quidem in jure eum notare dicitur, qui Rhetoricam, Sophiſta autem, qui Dialecticam diſcipulis tradiderit. Quæ Sectione I libelli Longiniani verba leguntur, οὐκ ἐξ ἑνὸς οὐδ' ἐκ δυοῖν, ea ex MS. Ambroſ. exhiben-
tur ita, οὐκ, οὐδ' ἐκ δυεῖν h. e. *vix, aut ne vix quidem, ex duobus* 7.
membris, ut duæ voces ἐξ ἑνὸς e gloſſa videantur. Cap. II βάθος ſublimitatem dictionis exprimere ex veteribus oſtenditur. Sect. II legitur, ὡς ἐπικινδυνότερα αὐ τὰ ἐφ' ἑαυτῶν, ubi Cod. Ambroſ. legit αὐτὰ, quod expreſſit etiam T. Faber, & Noſter
tuetur. Sectione III quidam veteris Tragici verſus leguntur, 11.
quos ita putat reſtituendos:

Ηκω λιπὼν τε Θραχίαν καὶ Στρυμένα
Ηκω δ' ἀῆμαϑ' ἐξεμῶν πρὸς οὐρανὸν,
Εμοῦ δὲ πνοιαῖς πειθέϑ' Ηφαίςου κράτος,
Ην τοῦμοῦ ἐξίωσιν αὐλητρίου.
Δειλοῖς τε θνητοῖς τοῦτ' ἂν ἢ διὰ φρενλίδος.

Sect. VII pro φαντασίαν ἔχοντα Cod. Ambroſ. legit φαντασίαν ἔχοι δὴ, quod priori omnino putatur præferendum.
Sect. VIII pro ταῦτ' ἄμφω Ambroſ. habet ταῦτ' ἄφω, No- 18.
ſter legit ταῦτ' ἀφίει. Omittimus ceteras, liberali & erudita manu congeſtas, & partim ἀγχινοίᾳ Critica partim lectione veterum ſe commendantes obſervationes, quæ nunc Longi-

num ſibi vindicant, nunc obſcure dicta illuſtrant, nunc aliis Autoribus lucem affundunt, v. c. Dioni, Chryſoſtomo, Suidæ &c. qui paſſim corriguntur. Imprimis autem in veterum Poetarum verſibus, qui luxati videbantur, reſtituendis eruditam operam B. Vir collocavit.

HISTORIA INSECTORUM; AUTORE JOANNE RAJO, Collegii S. Trinitatis apud Cantabrigienſes & Societatis Regiæ olim Socio.

Londini, impenſis A. & J. Churchill, 1710, 4.
Alph. 2 plag. 7.

IN eleganti hoc Opere poſthumo, ſumma cura maximoque labore congeſto, & Regiæ Societatis Londinenſis juſſu edito, nihil deſideratur, quod ſingularum, quæ in inſectis occurrere poſſunt, ſpecierum deſcriptiones, locum natalem, & proprietates concernit. Inſecta autem illa animalia audiunt, quorum corpus inciſuris, aut in parte tantum ſupina, aut in prona præcingitur; eorumque ſumma genera ex Prolegomenis Autoris cum L. B. jam communicabimus. Inſecta ſcilicet ſunt vel *ἀμεταμόρφωτα*, quæ nullam ſubeunt formæ mutationem, vel *μεταμορφούμενα*, quæ formam mutant. Inſecta *ἀμεταμόρφωτα* vel ſunt *ἄποδα* ſeu pedibus carent, vel pedata, ex quibus nonnulla pellem aliquoties mutant. *Ἄποδα* dantur vel terreſtria, quæ modo in terra naſcuntur, ut lumbrici terreſtres, modo in inteſtinis generantur non minus hominis, quam aliorum animalium, vel aquatica, modo majora, eaque vel teretia, ut medicinalia, ſeu hirudines, vulgaria ſubnigra, & marina cinerea, vel lata & tenuia, modo minora, quæ itidem vel teretia, nigra aut rubentia, vel lata. Pedata vero dividi poſſunt pro pedum numero in hexapoda, octipoda, *τεσσαρες καὶ δεκάποδα*, & *πολύποδα*. Hexapoda ſunt vel terreſtria vel aquatica. Terreſtria modo majora, eaque vel latiora, ut ſubflavum in truncis & ligno quercuum putridorum degens, nigrum in terra naſcens, nigrum ſubterraneum cauda bifurcata, & albidum punctis nigris quadratis in dorſo; vel teretia, ut in

farina

farina natum, quo ſpectant aliæ ſpecies in lignis putridis, aut etiam in terra ortæ; modo minora, inter quæ alia animalibus infeſta ſunt, & modo fœtent, ut cimex, modo non fœtent, ut ricinus, pediculus tum vulgaris, tum ferus ſeu inguinalis, & pulex, alia animalibus non ſunt moleſta, ut velox & agile in libris & ligno putrido naſcens, corpore prælongo & cauda forcipata, nigrum in floribus chelidonii minoris obſervatum, albicans ſubterraneum ſaltitans locuſtarum in modum. Inter aquatica eſt pediculus marinus grandis & ſquilla fluviatilis. Octapoda vel caudata deprehenduntur, ut ſcorpio, vel non caudata, ut araneus, ricini octapodes & ſyrones. Ad τέσσαρες καὶ δεκάποδα ſeu quatuordecim pedibus donata referuntur aſelli, pulex aquaticus, & pediculus aquaticus. Dantur etiam alia 24 pedibus prædita, anterioribus 8 minoribus, poſterioribus 16 majoribus, figuræ diverſæ, corpore longo, quorum duæ obſervantur ſpecies, altera major, coloris obſcurioris in rupibus maritimis degens, altera coloris argentei in domibus. Triginta pedes obtinet animalculum oblongum, coloris caſtanei, corpore plano ſeu compreſſo, ſub lignis ſeu truncis arborum plerumque latitans, velox & agile. Πολύποδα denique ſunt vel terreſtria, quæ habent corpus teres, ſeu ſubrotundum, ſingulis crurum conjugationibus e medio ventre proxime, ſeu ex eodem puncto ortis, ut julus, aut planum ſeu compreſſum, idque modo teres, pedibus 38 inſtructum, modo planum, ut ſcolopendra marina. Huc ſpectat animalculum bicorpor, ſeu bicaudatum in petrarum foraminibus ſub aquis latitans, in mari prope Liburnum obſervatum. Sequuntur inſecta μεταμορφέμενα, ſub triplici transmutationis ſpecie notanda; quarum prima inſtantanea eſt, nulla inter veterem & novam formam interpoſita quiete aut ἀσιτία; cujus generis ſunt libellæ ſeu perlæ, cymices ſylveſtres, locuſtæ, grylli campeſtres, & domeſtici, gryllo-talpa, cicada, blatta, tipula aquatica, ſcorpius aquaticus, muſcæ aquaticæ, hemerobius ſeu ephemera, tandem forficula ſeu auricularia. Secunda ſpecies ea complectitur inſecta, quæ duplicem metamorphoſin ſubeunt, 1 in chryſalida, aut quoddam ei analogum, 2 in animalculum

Digitized by Google

malculum volatile & alatum. Hujus ordinis inſecta ante mutationem aliquandiu quieſcunt, nec ſe loco movent, & ineditam patiuntur. Dividi autem poſſunt alarum reſpectu in *κολεόπτερα* ſeu vaginipennia, ut ſcarabæi, & *ἀνέλυτρα* ſeu alis detectis, iisque vel farinaceis, ut papiliones, vel membranaceis, modo duabus inſtructa alis, ut culex, modo quatuor; hæcque obſervantur vel gregaria & favifica, inter quæ alia mel elaborant, corpore inſtructa longiore, anguſtiore & glabriore, ut apis manſueta, aut breviore latiore, & hirſuto, ut bombylius, alia nullum elaborant mel, ſuntque majora, ut crabrones, aut minora, ut veſpæ; vel ſolitaria non favifica, ut apiformia, veſpiformia, papilioniformia, & ſeticaudæ. Tertia ſpecies eſt ſimplex e vermiculo in animalculum volatile tranſiens, interpoſita aliqua quiete & *ἀσιτίᾳ*, quo ſpectant muſcæ carnariæ & nymphæ vermiformes. De cetero monendum reſtat, huic operi appendicem adjunctam eſſe *de ſcarabæis Britannicis, Autore Martino Liſter*, S. R. S. ex MS. Muſæi Ashmolæani.

D. JO. WOLFFGANGI KÜNSTEL Diſſertatio Medico-Chymica de Salibus metallorum, præſertim Auri & Mercurii.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchium & Fil. 1711, 4.

Conſtat plag. 3.

TRia ſunt Diſſertationis hujus capita, quorum primum de uſu ſalium polychreſto, ſecundum de ſalibus metallorum in genere, tertium denique de ſale Auri & Mercurii in ſpecie tractat. Primo nimirum ſalium uſum in cura febrium, præſertim intermittentium, in hydrope, obſtructionibus glandularum, ſegnitie alvi, exemplo celebrium in Arte Medica virorum, commendat Cl. Autor, negans, quod acrimonia nervis ac partibus corporis tenerioribus inimica exiſtat. Imprimis autem nitri in hæmorrhagiis ſedandis, in diarrhæis, cholera, ardore urinæ ac ſpaſmis urethræ dolorificis multum prædicat. Capite ſecundo varias metallorum ſolutiones ab Autoribus variis tentatas commemorat & ſub incudem revocat. Acida minus commoda menſtrua pro reſolvendis metallis judicat,

non

Digitized by Google

non quod (ceu vulgo creditur) ob corroſivitatem ipſis inimica ſint, ſed quod iisdem ſociata in vitriolum, virtute ſtyptica & acrimonia ſeptica inſigni inſtructum, abeant : cujus exemplum præbeant cryſtalli lunares, vitriolum lunare, vitriolum venereum. Laudat methodum ex metallis ſalia eliciendi *Borrichianam*, itemque *Kunckelianam* igne reverberii utentem: utramque tamen utilitate medica propemodum carere cenſet, quod parcum ſalis tædioſo ſatis labore obtineatur. Omnibus igitur hactenus inventis eam præfert, qua in præparatione eſſentiæ dulcis, per decennium fere cum inſigni applauſu in pharmacopolio orphanotrophii Hallenſis diſpenſari ſolitæ, utuntur. Cum enim ipſemet Autor præparationi adfuerit manusque admoverit; coram Deo omniſcio teſtatur, eſſentiam illam eſſe aurum purgatiſſimum menſtruo quodam blando omnisque corroſivitatis experte reſolutum. Addit, aliam quoque poſt varios in hoc negotio exantlatos labores ſibi innotuiſſe methodum, compactiſſimum auri corpus blando ejusmodi artificio, ſine corrodentium liquorum ſubſidio ita intime reſolvendi ac ſubtiliſandi, ut alembicum quoque transſcendat. Utramque tamen, more Medicis utplurimum ſolemni, inter arcana reponit, artis ſalutaris profectorum & plurimorum ægrorum ſalutem commodis ſuis non ſemper anteponentibus. Sancte autem capite tertio teſtatur, menſtruum illud nec acidum eſſe, nec corroſivitatis leviſſimæ particeps, nec quicquam pulverulenti aut fecum terreſtrium, ſi per ſe digeſtioni committatur, deponere; multo minus per alembicum abſtractum vel veſtigium ſalis in fundo cucurbitæ relinquere, ſed ad ſpiritum vini rectificatiſſimum quam proxime accedere. Mercurio tamen & calci Solari ſi affundatur, utrumque intime reſolvi, ita ut Mercurius menſtruo abſtracto per aliquod tempus digeſtioni in balneo expoſitus, tandemque per retortam deſtillatus, in ſpiritum pellucidum & terram tenerrimam valde poroſam, fixam tamen; aurum vero in ſubſtantiam reſinoſam abeat, in ſpiritu vini rectificatiſſimo diffluentem. Terræ iſti poroſæ ſi ſpiritus vini rectificatiſſimus affundatur, ſal, quo abundat, promptiſſime elici, & intra paucorum dierum ſpatium

Digitized by Google

ex ſpiritu vini denuo emergens ad latera vitri velut ſemet ſublimando exſcendere. Quod ſi ſpiritus vini imprægnatus decantetur ac blanda deſtillatione abſtrahatur; ſal albiſſimum ſapore admodum penetrante, odore non inamœno præditum in fundo cucurbitæ remanere, tantæ quidem in igne fixitatis, ut inſtar auri Vulcani tyrannidem ſpernat & in crucibulo ſine ullo fumi veſtigio fundetur, omnia tamen vaſa, quin etiam crucibulos duplices ſibi invicem impoſitos ferme in momento permeet. Hujus efficacia absque ulla virium deprædatione, ſine anxietate ac inquietudine, per blandam catharſin aut diaphoreſin & diureſin eliminari, quicquid corruptelæ in corpore ſubnatum aut extrinſecus per contagium adſperſum eſt, exemplis duarum fœminarum lue Gallica miſerrime defœdatarum, viri febri hectica tantum non ad incitas redacti, puellæ ob variolas malignas decumbentis & adoleſcentuli gravi peripneumonia correpti & pro deplorato jam habiti, comprobat. Similiter ex auro in maſſam reſinoſam converſo eadem arte, ſed valde ſubtile, candidiſſimum, ſaporis penetrantiſſimi, odoris vero ſuavitate ſal Mercurii antecellens elici affirmat, cujus in partu facilitando, abortu & hæmorrhagiis uteri efferis compeſcendis, & in convulſionibus epilepticis ferociſſimis ſedandis virtutes prædicat, monens inſimul, id ingredi pulverem nigrum, in pharmacopolio orphanotrophii Hallenſis diſpenſari ſolitum.

MARTINI LISTER, E MEDICIS DOMEſticis Sereniſſimæ Majeſtatis REGINÆ ANNÆ, Diſſertatio de Humoribus.

Londini, typis Gul. Bowyer, ſumptibus Autoris, 1709, 8.
Alphab. 1 plag. 9.
Amſtelodami, apud Janſſonio-Waesbergios, 1711, 8.
Alphab. 1 plag. 10.

Quanquam Autoris nomen in titulo editionis Londinenſis non legatur, ipſe tamen ſub finem Dedicationis, Sereniſſimæ Reginæ Magnæ Britanniæ factæ, idem profitetur. Eſt nempe (ut ipſe titulus habet editionis Batavæ) *Martinus Liſterus*, cujus peritia Medica non minus ac in Hiſtoria naturali exco-

excolenda ſolertia dudum ſatis comprobata. Hic enim Vir Clariſſ. de Humoribus olim Tractatum promiſit; verum cum de illis ſparſim & interdum copioſe in ſcriptis ſuis diſputaſſet, hoc opus ſupervacaneum eſſe, certe differri potuiſſe credidit. Cum autem hactenus a plurimis alia ipſius tacite convelli, alia tanquam propriæ inventionis uſurpari vidiſſet, eo nomine œconomiæ animalis, certe maximæ ejus partis expoſitionem inſtituere putavit, ut, quæ a ſe profecta ſint, vindicaret, & ut ex integra methodi ſequela totius veritatem clare perſpicerent Medici. A reſpiratione & pulmonum uſu orditur, quem e primariis illum eſſe dicit, vaſa ſuperabundantia ſanguinea capere ad commodam receptionem ſanguinis ſuperflui natorum, eumque transmittere a dextro ad ſiniſtrum cordis ventriculum. Supponit enim, tantam in corpore humano ineſſe vaſis amplitudinem, quanta requiratur ad ſanguinis maſſam, naturaliter conſtitutam, recipiendam. Sin autem ſanguinis maſſa forte multum exceſſerit vaſorum captum, adeſſe alia vaſa ſupervacanea, ut ſunt pulmo, hepar, lien, & venæ meſentericæ, quæ in auxilium adhibentur. Id quod pulmones ipſi confirmare videntur, qui aliis extraordinariis vaſis præſentibus, e. g. umbilicalibus in fœtu, uti inutiles officio vacant, his autem exareſcentibus & deciduis, eodem funguntur. Alterum pulmonum inſignem uſum in eo collocat, ut perſpiratio occulta tanquam interna & in tepido ab aerisque injuriis tuto loco promoveatur. Cum autem pulmonum gratia fabricatus ſit dexter cordis ventriculus, occaſionem nanciſcitur Autor Clariſſ. differendi de unitis ventriculis in embryone, deque ſimplici cordis ventriculo in aliis quamplurimis animalibus, nempe piſcibus & inſectis, majoremque vim cordi unius ventriculi, ſive unitorum in unum ventriculorum præ duobus concedit. In doctrina de ciborum concoctione Phliſtonici, Autoris antiquiſſimi, ſententiam recoquit, eamque putredinoſam eſſe affirmat. Potiſſimum argumentum ex eo ſumit, quod omnes res concoctiles non alio modo diſſolvantur, quam quod externo aeri, certe humido, expoſitæ tabeſcendo colliquentur; omnia autem, quæ deglutiuntur, ſaliva madefiant,

Cap. I.

II.

III.

cumque externo aere liberam quodammodo communicationem habeant. Victum itaque noſtrum eandem mutationem in ventriculo ſubire oportuit, quam alibi in externo aere poſi-
Cap. IV. tus. Quod dogma ulterius probat, auxilia ventriculum concoquentem adjuvantia, ſive ſint condimenta, ſive medicamenta, utraque ſeptica, examinando, & ex illis garum, caſe-
V. um, fermenta pani & potionibus addita, & acetum; ex his vero ferrum, ejusque vitriolum, lapidem calcarium, pulveres teſtaceos, ſal calcarium fontium, ſpiritum cornu cervi, ſalis ammoniaci, aſellos, kermes, cochinillas, ſericum, ſalia incinerata, ſulphur, auripigmentum quodvis, crematum fuſumque, vitriolum veneris, lapidem armeniacum & lazuli allegando.
VI. Huc facit ſtercoratio; herbæ enim ſi bene ſtercoratæ ſunt, optime vireſcunt, & uberrimum fructum ferunt; ad agrum autem ſtercorandum ſeptica imprimis faciunt, columbarum puta excrementa, piſces marini, pleræque arenæ maritimæ, certe ex pulvere teſtaceo commiſtæ, lapis calcarius crudus, & calx viva. Igitur quæ optime ſtercorant, eadem & concoctionem in nobis mirifice promovent. Ad hæc ſal eſſentiale & tartarus, ſi quis in herbis acidulus, in animalibus urinoſus eſt; at iſtud ſal eſſentiale mera putrefactione in urinoſum convertitur. Inteſtinorum flatus non ſunt omittendi, cum victus putreſcentis eximium indicium præbeant. In apepſia chylus crudus lentorem contrahit, ſiquidem liquiditas & fluor chyli ex ejus putrefactiva corruptione oritur; contra in evpepſiæ reſtitutione omnia bene ſe habent, quando
VII. cibi ſcilicet per putrefactionem corrumpuntur. Cum vero aer putrefactionis cauſa ſit, hunc in ſpecie examinat Autor, eumque in nudum ſeu ætherem, & in atmoſphæricum diſpeſcit. Nudus aer ubique locorum purus, pellucidus, inviſibilis, ſubtiliſſimus & quaquaverſum facile mobilis & fluidus, vi quadam elaſtica donatus, atmoſphæricus autem ignis atque aquæ natu-
VIII. raliter continens eſt, idemque cum aere vitali, qui quaslibet corporis functiones peragit, ſuisque particulis ſulphureis calori ciendo, motui inſtituendo, vitæque adeo tutandæ aptus evadit. Atque hoc calidum animalium, hic Antiquorum ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritus, atque ignis vitalis eſt. Quibus poſitis chylificatio- Cap. IX.
nem hoc modo ſibi concipit Autor clariſſimus: Aer omnige-
no cibo potionique naturaliter inſitus perque minima miſtus,
atque ſaliva ſpumante, id eſt, vehementer aerata ex maſticatio-
ne imbutus in ventriculum detruditur. Ab hoc vero novo in
alimentis ſumtis aere, veteri marceſcenti, e ductibus glandula-
rum ventriculi excretoriis continuo effuſo, inque loci adeo
iſtius anguſtiis occluſo, adjecto, ſubitanea corruptio & diſſolu-
tio fit; nempe alimenti aer internus, ex aere intus perſpirato &
calefacto ad æquilibrium excitatus & rarefactus, particulas, qui-
bus continetur, celeriter ſcindit, & in minutias rumpit; pro
copia ſcilicet ejus & alimenti natura laxiore. Atque hic pri-
mus eſt ad chylificationem gradus, cui complementum & per-
fectio accedit per characterem unicuique animalium generi
appropriatum, quod fieri non poteſt, niſi a perſpiratione oc-
culta ipſius animalis, qua alimentum colliquatum vehementer
ad ſui ſimilitudinem conciliandam inficitur. Huic autem
muneri fungendo non glandulæ modo ventriculi vaporoſi
ſpiritus ſeptici emiſſione concurrunt, ſed & inteſtinorum &
viſcerum majorum, maxime hepatis, a quo longe acerrima
perſpiratio; item ipſi ventriculo inteſtiniſque peculiaris eſt
fracedo, ex coctione alimenti quotidiana cum ætate animalis
aucta & majus robur nacta. His accedit ventriculi clauſura
adeoque compreſſio, a qua multiplici impetu rerum fermen-
tantium, omniumque in anguſto loco diſſolutarum, unitas
quædam tandem emergit, id eſt, chylificatio. Nec pituitæ
tamen, ſub quo nomine ſalivam, humiditatem œſophagi, ven- XII.
triculi, inteſtinorumque & ſuccum pancreaticum intelligit, exi-
lis vis ſeptica, putredinem promovens, ineſt. Quemadmodum
autem omnis fermentatio in quocunque ſuo ſtatu ad corru- XIII.
ptionem tendit, quod exemplo cereviſiæ & vini probatur, ita
omnes liquores fermenteſcentes corruptivam ventriculi con- XIV, XVI.
coctionem mirifice adjuvant ex ſymbolo ſuo ſeptico adjecto,
ſed per ſe ad plenam ventriculi concoctricem corruptionem
non attingunt. Aliud enim accidere ſolet iiſdem herbis inte-
gris, ſi per ſe in aere humido corrumpantur, tum ventriculi

coctionem æmulantur, & ab acido in urinoſum convertuntur.
Cap. XVIII. Quicquid autem boni a motu ventriculi ad chylificationem exſpectari poteſt, id in cibi in chylum confecti evacuatione, mi-
XX. nime vero in ejus attritione conſiſtere putat Autor. De univerſi corporis vaſorum textura ubi diſſerit Cl. Liſterus, veriſimile eſſe perhibet, ſanguinem ex arteriis effluentem in ſpatia intermedia nuſpiam protendi, antequam venas ingrediatur, ſimilem quoque vaſis lymphaticis cum arteriis unitatem intercedere, nec non glandularum viſcerumque ductus excretori-
XXIII. os cum arteriis capillaribus eodem modo committi. Chyli iter proſequens, in ſtatu ſano aeris (ſive ex perſpiratione interna, ſive ex alimenti reſolutione ortus is fuerit) moderatam rarefactionem ad lactearum orificia aperienda chylumque utpote humorem ſumma levitate, unctuoſitate & tenuitate conſpicuum deducendum ſufficere, inteſtina interim tenuia chylum abſorbere filtri alicujus more, villis ſeu totidem tubulis apertis propendentibus; eorumque motum periſtalticum illum ulterius urgere, ipſa vero vaſa lactea & ductum thoracicum vi ſua muſculoſa & compreſſiva, quam a valvulis, quibus gaudent,
XXIV. habent, ad venam usque ſubclavium promovere putat. Sed ad ſanguinis examen pergit, quem ex grumo, ex innumeris globulis rubris ſolidiuſculis & ponderoſis confecto, & ex ſero leviori, liquidiori & duplo minimum copioſiori conſtare docet. Utræque hæ partes mutuas ſibi impertiunt operas: ſerum enim globulis diluendis, & globuli ratione figuræ ſuæ ad vias expedi-
XXVI. tas procurandas perpetuo uſui ſibimet invicem ſunt. Præter localem ſanguis ut fluidum inteſtino quodam motu, ſenſibus noſtris imperceptibili agitatur, quatenus ſcilicet particeps eſt aeris atmoſphærici & a corde tanquam flumen violento motu movetur; at fermentationem aliquam eidem, ut vino & ſi-
XXVII, milibus, adſcribere, abſurdum videtur Autori. Serum igitur
XXIIX. & globuli ſanguinis veteres ſunt & permanentes, atque ægre diſſipabiles humores, novus autem iisdem quotidie ex fermento ventriculi corruptivo & valde fervido liquatus humor, chylus ſcilicet, qui ſolus omnium humorum extra orbem ſanguinis conficiendorum unica materia atque alimentum eſt, accedit.

Digitized by Google

cedit. Ad hanc autem rem admodum aptus exiſtit; ſanguini enim miſcetur ſimplici tantum contactu, imo levis & unctuoſus eſt, ideo ejus ſeparatio in viſceribus & glandulis unica tantum operatione locomotiva abſolvitur. Propter primam enim colliquationem ſepticam eam nactus eſt diſpoſitionem, ut denuo & celeriter & ſimiliter in quoslibet partium recipientium humores concoquatur. Et cum omnes animalis partes ſimul generatæ ſint, fluidæ ibidem ſua rudimenta in ovo habuerunt, i. e. nec venæ ſine ſanguine, nec hepar ſine bile, nec ulla vaſa inania conſtituta fuerunt; qui humores connati deinceps infectione quadam in alium, ſibi ſimilem, chylum transmutant. Mittimus, quæ de humoribus ſingulis diſſerit Clar. Liſterus, ne nimis prolixi eſſe videamur, hoc ſolummodo monentes, de ſpiritibus animalibus doctrinam imaginariam, nervos autem ſolidiuſculos funiculos eidem eſſe, adeoque ad ſicciorem & tendinoſam quandam naturam accedere, neque magis cavos eſſe, quam membranas ab eis ortas. Tenſio itaque nervorum membranarumque, in qua ſola facultas motrix & ſenſatio juxta Autoris mentem conſiſtit, ex eorum naturali ſoliditate oritur; ne autem nimis ſiccentur, perpetua quadam pituita extrinſecus eos irrigante opus habent, quæ in cerebro & ſpinali medulla, ſive glandulis in iisdem poſitis elaboratur. Cap. L. LI.

Ceterum notatu dignum cenſemus, quod Cl. Autor vim attractricem materiæ, ab Anglis nonnullis nuper in Philoſophiam parum feliciter revocatam, ſalſe perſtringat, & in ſpecie argumenta refellat, quæ pro ea ſtabilienda in Tractatu de ſecretione animali adduxit *Jacobus Keilius*. Quamvis vero illius patroni autoritate magni *Newtoni* ſe tueantur, & ab eo allatam in Latina Optices editione (quam Autore approbante dedit Cl. Interpres *Samuel Clarke*, Londini 1706 in 4) p. 322 & ſeqq. crepent; valde tamen veremur, ne diſſentientem potius, quam conſentientem habeant. Vir enim perſpicaciſſimus vim iſtam attrahentem non ut primitivam, hoc eſt, qualitatem occultam, ſed ut phænomenon admittit, eodem certe modo, quo gravitatem & virtutes magneticas atque electricas admittimus. Ita enim p. 322: Quam ego attractionem appello, fieri,, ſane

„ſane poteſt, ut ea efficiatur impulſu, vel alio aliquo modo no-„bis ignoto. Hanc vocem attractionis ita hic accipi velim, ut „in univerſum ſolummodo vim aliquam ſignificare intelliga-„tur, qua corpora ad ſe mutuo tendant, cuicunque demum „cauſæ attribuenda ſit illa vis. Nam ex phænomenis naturæ „illud nos prius edoctos oportet, quænam corpora ſe invicem „attrahant, & quænam ſint leges & proprietates iſtius attractio-„nis; quam in id inquirere par ſit, quanam efficiente cauſa peragatur attractio.„ Immo ipſe adhuc ſubdubitare videtur, utrum ut phænomenon admitti poſſit, nec ne. Addit enim l. c: „fieri poteſt, ut ſint præter attractiones gravitatis virtutisque „magneticæ & electricæ aliæ quoque aliquæ, quæ tam anguſtis „finibus contineantur, ut usque adhuc omnem obſervationem fugerint. „ Denique Cl. *Liſtero* faleci largimur, nondum eſſe eam Medicinæ perfectionem, ut Matheſis cum fructu eidem applicari poſſit; optime nimirum obſervat, eſſe adhuc artem miſeram, conjecturis incertis admodum & fallacibus experimentis inſtitutam, rem autem tam inopem & jejunam nondum admittere Mathematicam theoriam: attamen de poſterorum induſtria non eſt dubitandum, ſiquidem in hiſtoria naturali, præſertim morborum, concinnanda majorem, quam hactenus factum, ſolertiam ponant, & cum ea ſtudium Matheſeos profundioris jungentes inveniendi habitum ſibi acquirant.

Zeichen und Zeugen der Sündfluth.

h. e.

RUDERA DILUVII TESTES; AUTORE M. D. S. BUTTNERO.

Lipſiæ, apud Jo. Fridericum Braunium, 1710, 4.

Conſtat 1 Alph. 19 plag. 31 Tabb. æn.

POtiſſimus Cl. Autoris, Davidis Sigismundi Buttneri, Diaconi Senioris Querfurtenſis, ſcopus eſt, ut Virorum doctiſſimorum, ***Woodwardi***, ***Scheuchzeri*** aliorumque exemplo diluvii Noachici exiſtentiam per foſſilia comprobet, quæ ex viſceribus terræ eruta varias plantas, piſces, conchas, oſſa animantium &c. exacte referunt, cum inſignem talium theſaurum

ipſem

ipſemet poſſideat, ex lapicidinis Querfurtenſibus aliisque agris vicinis maximam partem effoſſorum. Utitur tamen aliis quoque quamplurimis argumentis, quæ dimidiam operis partem abſolvunt. Provocat nimirum ad teſtimonia ſcriptorum profanorum, *Beroſi*, *Alexandri Polyhiſtoris*, *Abydeni Hiſtorici*, *Platonis*, *Plutarchi*, *Ovidii*, *Luciani &c.* ad maria, montes, præſertim ignivomos, ignes ſubterraneos, ſpeluncas, inæqualem fluviorum diſtributionem, æſtum maris, fontium raritatem ac proprietates noxias, pluvias,exhalationes minerales,tonitru, grandinem, imbres,procellas, nimium ſub polis frigus, vegetabilium ſpecies in aliquibus oris deletas, zizaniorum fœcunditatem, plantas & arbores venenoſas, beſtias hominibus inimicas. Urget nimirum, ſtructuram telluris admodum imperfectam deprehendi, cum e. g. maria maximam ejus partem occupent, nec terra continens tota habitari poſſit, ſpeluncæ ac montes rudera referant, præterea tellus multis malis phyſicis obnoxia ſit. Deus vero cum bonam creare debuerit, ſapientiſſimus quippe, idemque bonus ac potentiſſimus; diluvium quoddam univerſale hanc deſolationem & ἀταξίαν induxiſſe concludit. Argumenti vero palmarii a foſſibilibus animalium & vegetabilium figuras exprimentibus petiti robur ut tanto clarius appareat, eos prolixe refutat, qui eadem vel luſus naturæ pronunciant, vel ab Archeo formari, vel ex aura quadam ſeminali cum exhalationibus in poros terræ delata generari ſtatuunt. Non eſſe luſus naturæ, per accuratam eorum proportionem & ſtructuram evincit. De ultima hypotheſi Cl. *Stahlium*, Medicum Halenſem, conſuluit, cujus de hoc argumento epiſtolam integram operi ſuo inſeruit. Cum ſcilicet is (ut ex aliis ſcriptis liquet) ſcholæ placita de animarum immaterialium influxu phyſico in formationem & actiones vitales corporum viventium acriter propugnet, huicque fundamento omnem theoriam & praxin Medicam ſuperſtruat; impugnaturus illam urget, quod vis plaſtica ſeu principium formans ſit numero unicum, adeoque integrum quidem corpus, ſed non partem unam aut alteram ſigillatim (qualia ſunt foſſilia) formare poſſit; quod locum operationis commodum requi-

rat, adeoque vis plaſtica animalis ſupra terram viventis infra terram ſeſe demittere nequeat; quod effectum in materia apta producat; quod frigore ventorum, a quibus adveheretur aura ſeminalis, ſuffocaretur.] Hinc lithoxyla & lithophyta deſcribit, non modo ex *Scheuchzeri* Herbario antediluviano, *Beyeri* Oryctographia, *Luidii* Lithophylacio, *Langii* Hiſtoria lapidum & *Mylii* Saxonia ſubterranea varia repetens; ſed ex propria inſuper penu plurima promens. Commemorat arbores integras in Ducatu Mansfeldenſi ſub terra repertas, arundinem & gramen in topho obvium, fungos lapideos non procul a Vratislavia, Sileſiæ metropoli, effoſſos, caſtaneam ex lapicidinis Querfurtenſibus ipſi oblatam, ariſtam lapidi ſciſſili incluſam, oſſa humana, maxillam ingentem dentibus inſtructam, capita boum cornuta aliaque caprarum, nidum aviculæ cum ovis, anatum ova, ſceleton integrum bovis, coſtas, vertebras, inſecta varia, piſces, cochlitas, conchitas, nautilitas. Ex his ſpeciminis loco Lectoribus curioſis repræſentamus in Tab. III Fig. 1 fungum, Fig. 2 nidum cum ovis, Fig. 3 coſtam, Fig. 4 piſcem in lapide ſciſſili, & Fig. 5 cochlitem cum pene, quem omnium evidentiſſimum argumentum præbere arbitratur, quod lithozoa aliquando vera fuerint animantia. Sub finem denique ad objectiones prolixe reſpondet, quæ contra ipſius ſententiam moveri poſſunt.

TAB. III. Fig. 1, 2, 3, 4. 5.

IL DOMINIO TEMPORALE DELLA SEDE APOSTOLICA ſopra la Città di Comachio &c. ſi aggiunge la Difeſa del medeſimo.

i. e.

DOMINIUM TEMPORALE SEDIS APOſtolicæ in civitatem Comaclenſem per decem ſecula continuatum; acceſſit Defenſio ejusdem Dominii.

Romæ, 1709, fol. Alph. 4 pl. 14.

DISSER-

DISSERTATIO HISTORICA DE SUMMO Apoſtolicæ ſedis Imperio in Urbem Comitatumque Comacli; cum Appendice Actorum.

Anno 1709, fol. Alph. 3 pl. 2.

ALLA S. C. R. M. DI GIOSEFFO I IMP. DE' ROMANI umiliſſima Supplica &c.

i. e.

AD S. CÆSAREAM MAJ. JOSEPHI I IMP. Rom. libellus ſupplex RAINALDI Eſtenſis, Ducis Mutinæ.

Anno 1710, fol. pl. 20.

IN Actis Eruditorum Anno 1709 Menſe Majo relata ſunt priora Controverſiæ Comaclenſis ſcripta tam pro Romana Aula, quam pro S. R. Imperio, & Mutinenſi Duce. Nunc novimus, contentionis hujus ſerram reciprocari, cum Romanus Scriptor priorem Epiſtolam non uno reſponſo impugnatam recuderit, & ſpiſſum in ejusdem Defenſionem volumen adjecerit, ut, quæ in contrarium edita fuerant, refelleret; alter vero etiam Scriptor pro eadem cauſa Romana Latinam Diſſertationem in publicum emiſerit; atque is porro, qui Imperii, & Mutinenſis Ducis partes egit, promiſſo ampliori longe Reſponſo propediem edendo, interim ſupplici Libello præluſerit, quo momenta Cæſareorum ac Eſtenſium Jurium in Comaclum proſequitur, rogans, ne Mutinenſis Ducis Advocati, in diſputationum, hac de cauſa Romæ initarum, palæſtra, Cæſare ipſo mandante, jam admiſſi, ac imprimis neceſſarii, a Pontificiis artibus excludi ſinantur.

Quamvis vero Romanus Scriptor, Italico idiomate uſus, tria contra ſuam primam lucubrationem ſcripta impugnare velle videatur, facile tamen deprehenditur, (ipſeque non diffitetur,) principem ſibi curam eſſe, illud aggredi, quod *Obſervationum* titulo prodiit. Et vice verſa Autor Libelli Supplicis Obſervationes ipſas tueri agnoſcitur, utpote qui credat, ſua tantum defendendi ſibi onus incumbere; at nihilominus dum

Italicum librum impugnat, Diſſertationem quoque Latinam expendit.

In Romana Italica lucubratione, diſtincto quadrifariam agmine, id initio curatur, ut ex adverſo ſcribentes variationum rei agantur, quæque expreſſe negata non ſunt, pro conceſſis haberi debeant. Ut plura autem ſuæ cauſæ præſidia comparet, non modo quæ ab Obſervationum Autore ſcripta ſunt, vel non ſcripta, examini ſubdit, ſed aliorum in recenti quæſtione ſcribentium aſſerta, imo eorum quotquot a duobus fere ſeculis Eſtenſes proſecuti ſunt, verba trutinat, ut oſtendat, non aſſeri, vel diſſimulari, quæ olim aſſerta, vel defenſa fuere. Quod autem Libelli ſupplicis ratio non ferret, hujusmodi longe petitis argumentis reſpondere, hæc elidenda ad Reſponſum abſolutum, quod promittitur, differuntur, & ſolum heic ſumma quæſtionis capita examini ſubjiciuntur. Cum tamen objectum ſit, & alias & modo Viennæ pro S. R. Imperio & Familia Eſtenſi quoddam Lotharii & Ludovici Diploma Anni 848 allatum fuiſſe, quod Obſervationum ſcriptor diſſimulavit, ſicuti & Friderici I ac II, & Rodulphi I Inveſtituris quibusdam jam allegatis non inſtiterit: is reponit, quamvis documentum prius falſum utique decerneretur, nullum inde cauſæ incommodum acceſſurum, ſicuti nec Romana ſedes ſibi nocere putat, quod tandem eruditorum omnium cõnſenſu celebris Conſtantiniana Donatio inter ſuppoſititia numeretur, cum nihilominus Eſtenſium nullus Diplomate illo uſus reperiri poſſit, ut eo titulo Inveſtituras pro Comaclenſi ditione ſurriperet; Romani vero Epiſcopi ejus Conſtantiniani documenti, vel ejusdem famæ, quæ invaluerat, freti præſidio, Auguſtorum donationes a Carolo usque Magno impetrarint. Quod ſpectat ad Friderici utriusque Inveſtituras, eas certe Comaclenſis ditionis in Eſtenſes beneficiarium jus non conferre, laudatas tamen ideo dicit, quod ex iis eluceat, Comaclum Imperialis juris fuiſſe. Rodulphi etiam Auguſti tria Inſtrumenta exſtare, quæ cum alias ab Eſtenſibus Scriptoribus adhibita ſint, modo ex eo ſunt omiſſa, quod expreſſa in iis Comacli mentio non habeatur. Cum vero defenſores Eſtenſium jurium, ut vitilitigandi

Digitized by Google

tigandi materia ſubtraheretur, neglectis quoquo modo dubiis, & quæ contentionis funem trahendo inſerviſſent, certa tantum & minime in dubium vertenda exhibuerint, non ob id accuſari, ſed potius laudari debuiſſent, tanquam bona fide, & longe a calumniandi ſuſpicione veritatem ſectantes. Illud ſerio recogitandum, quod ſi poſſeſſio plus quam centenaria cum titulis, pluresque continuatæ ac irreprehenſibiles Inveſtituræ non ſufficerent Eſtenſium juri aſſerendo, nil aut parum ſuffragarentur antiquiora duo vel tria Diplomata, ex eo imprimis quod certi juris ſit, ex noviſſimi ævi rerum ſtatu ſeculisque poſtremis quæſtiones hujusmodi dirimi debere, minime vero ex carioſis & obſoletis Archivorum chartis.

Ab utroque Romano ſcriptore rurſus inculcantur donationes Pipini, Caroli M. Ludovici Pii, Ottonis M. & Henrici cognomento Sancti, quibus ajunt agnoſci jus ſupremum atque abſolutum Romani Pontificis in Comaclum; & pro Ludovici prædicti donatione Autor Dominii prolixam inſtituit diſputationem P. 1 pag. 69 & ſeqq. Libelli autem Supplicis Autor, ubi præmiſit, de Pipini actis, ceterisque, quæ Caroli M. Imperium præceſſerunt, haud oportere diutius loqui, cum ejus ævi jura obſcura ſint, & multa caligine plena, nec bene conſtet de Donationum earum valore, ſatius exiſtimat, Caroli Imperatoris poteſtatem rimari, quæ procul dubio ea fuit, quæ adnexum jus ſupremum habebat in omnem Romanam ditionem Occidentalem. An tamen eadem poteſtas in hodiernis Auguſtis ubique vigeat, nec a ſe diſputatum, nec diſputandum proteſtatur; eaque in re conqueritur, falſi ſe criminis noxa accuſatum a Defenſore Cap. 95 pag. 352; ſicuti & in Arnaldi Brixienſis ſententiam, quam diſertis verbis deteſtatus fuerat, obtorto collo ſe pertractum, aliaque ſimilia ſibi impacta dolet. At ut ad argumentum redeat, ait, nullo modo ab Adverſariis oſtendi ſummum jus & independens ab Auguſtis, donatum Pontificibus Romanis. Ludovici vero Pii conſtitutionem, ut vocatur, ab omni ſuppoſitionis macula liberandam illi, qui æthiopem dealbaverit. *Pacta* inter Auguſtum prædictum & Paſchalem I facta fuerint: quid inde ad

 ſtabi-

ſtabiliendam donationem, de qua eſt controverſia? Leo Oſtienſis, & eo magis Cencius Camerarius Autores ſunt a Ludovici ævo diſtantes. Anaſtaſius Bibliothecarius perpetuo de hujusmodi documento ſilet, ſilet Otto I; qui non ſiluiſſent. Præterea apographa ejus Donationis variant; & incredibilia in eodem leguntur, ut puta *Siciliam* donatam, quæ in ditione Græci Imperatoris amici erat; donantur Inſulæ *Sardiniæ* & *Corſicæ*, quas eodem & ſubſecutis temporibus novimus ab Auguſtis poſſeſſas, & ſcimus non legi donatas in Diplomatibus Ottonis I & Henrici II. Donantur demum a Ludovico *omnia ſua Patrimonia ubicumque in partibus Regni atque Imperii:* quæ quis credat? His aliisque motus Pagius documentum hoc plane apocryphum pronunciavit; de ejus ſinceritate dubitarunt etiam Baluzius & Mabillonius, licet ab Adverſario in contrarium allegentur.

Utut autem Diplomata inconcuſſæ fidei exiſtimentur, quæ a Romanis laudantur, minime inde ſequi, donatum Pontificibus ſupremum & independens Auguſtorum jus, quibus relictum fuerit unum Advocatorum privilegium, magni ſcilicet Imperatorii nominis umbra. Otto I ſibi reſervat, *quod Papa electus faciat promiſſionem, qualem Dominus Pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur*; retinet jus Miſſorum, qui cauſas dirimant in ditione data, ac in ipſa Romana Urbe. Hæc autem donantur *ad utendum, & fruendum, atque diſponendum:* quæ formulæ beneficiarium jus ſonant. Promiſſio præterea, quod *in Romana Urbe nullum placitum aut ordinationem* faciet Imperator, *ſine Papæ conſilio*, licet ab adverſariis allegata, oſtendit, ſupremum jus ab Auguſtis conſervatum, donationem & promiſſionem circumſcribens adjecta conditione, & Romanæ Urbis pomœrio. Allata cetera minime produnt, jus Pontifici collatum fuiſſe independens; quod enim Romani fidelitatis ſacramentum Pontifici facerent, commune erat cum Ducibus, Marchionibus &c. qui Auguſtis ſuberant; & Romani iidem Imperatoribus fidelitatem jurabant. Camera & fiſcus fuere Pontifici; fuerunt & Marchionibus & Ducibus. Cenſus, Maſſas, & Latifundia donabant Romani Præſules; donabant

bant & ceteri, vel nulla Principum prærogativa illuſtres. Donabant Papæ, adhibita formula *ex largitate*; verum inde nequit ſupremi juris indicium exſculpi, ſicut nec collati dominii independentis ſignum eſt, ſi Pipinus *ſub integritate* donavit; formulæ enim hujusmodi æquivalent ſimilibus *in integritate*, *ad integrum*, *cum integritate*, & *in integrum*, quæ in veteribus chartis vulgi etiam occurrunt.

Quod ſi Imperatores Romanæ Eccleſiæ Advocati fuere, non inde pergit bene concludi, eosdem ſupremum jus a ſe Succeſſoribusque abdicaſſe. Notabile autem eſt, Defenſionis Autorem perperam verba Lotharii I tanquam Pontifici dicta allegare, quæ Ludovico Patri ſuo dicta ſunt, & ideo oppoſitum ei, quod vellet ille, adſerunt. Ceterum juris, non Advocatialis, ſed Imperatorii ac ſupremi, indicia fuere acclamationes; juramenta fidelitatis Imperatoribus præſtita; Miſſorum jurisdictio, qui in Papæ Miniſtros, & eorundem adminiſtrationem inquirerent; Pontificum obligatio, qui adſtringebantur Auguſtorum edicta obſervare ex c. 9 diſt. 10. Ratio ab eis reddita de jure adminiſtrato ex textu bene perpenſo c. 141, 2, 9, 7 Gratiani; Conſenſus Cæſarum ante Pontificum conſecrationem, ab Auguſtis Græcis derivatus; Monetæ jus, expreſſis in numis Romæ cuſis Auguſtorum imaginibus. Idem evincunt formulæ Inſtrumentorum, Acta plura, Eginartus, qui *Romam & Ravennam*, non ſecus ac *Mediolanum*, *Lugdunum* &c. *Regno* Caroli M. tribuit, Hiſtoriæ, aliaque ab Autore Libelli Supplicis collecta, quæ ſigillatim exhibere nimis longum foret.

Verum ab univerſalibus ad ſingularia deſcendit idem Libelli Supplicis Scriptor, & proſequitur ſupremi juris Cæſarei exercitium in Comaclenſi ditione, & Exarchatu a primis Imperii Occidentalis initiis usque ad præſens. Annales Francorum apud Duchesnium Tom. 2 & Monachus Engoliſmenſis Carolum M. exhibent Comaclo dominatum Anno 809, Lotharius I pacta cum Petro Venetiarum Duce firmavit Anno 840, obſervanda ab *Ariminenſibus*, *Comaclenſibus*, & *Ravennenſibus*. Johannis VIII Epiſt. 167, quæ in contrarium citatur, conferenda eſt cum 237, in qua dicitur Pontifici illi a Carlomanno commiſſa *cura*

Italici

Italici Regni. Quodſi a Dandulo hiſtoria Ducis Veneti, optantis a Pontifice Comacli ditionem, narratur, parum proficitur ex recentiorum hujusmodi narratis, maxime cum certum ſit, Ducem illum bene noviſſe, quid juris in Comaclenſi ditione Imperatori eſſet, cum a Carolo Craſſo Diploma impetrarit, præcedentia pacta confirmans, quibus *Comaclenſes* & *Ravennenſes* afficiebantur. Pacta eadem confirmarunt Rudolfus Anno 924, & Hugo, Reges. Iſte cum Lothario filio, indeque Berengarius & Adelbertus Exarchatui pleniſſime dominati ſunt ex Rubeo narratis Lib. V Hiſt. Rav. Otto I Anno 964 pacta cum Venetis confirmavit; & notari merentur, quæ Dandulus ſcribit conceſſa per eundem Auguſtum Eccleſiæ Gradenſi. Otto II plerumque Ravennæ degit, ibique Imperatorium fiſcum habuit. Donationem quandam Gregorii V favore Archiepiſcopi Ravennatis conati ſunt a ſuſpicionis dubio liberare Romani Scriptores; at dubiæ fidei adhuc eam eſſe, contenditur ex tenore Diplomatis Ottonis III, qui eidem Archiepiſcopo concedit Comitatum Comaclenſem, ac Ferrarienſem, quod quidem ex parte non negat Autor Diſſert. Cap. 26 pag. 19. Charta permutationis Regalium quorundam in Exarchatu cum Abbatia Pompoſiana factæ ab Ottone III incaſſum tentata eſt ab Adverſariis; ſincera enim eſt, licet in editis apud Margarinum & Ughellum Cancellarius vocetur *Hippolytus*, qui *Heribertus* fuit. Ejus mentio habetur in Diplomatibus Henrici II, III, IV, V & VI, Friderici etiam I & II. Otto autem III piiſſimus Imperator habitus eſt, & Heribertus Cancellarius inter Divos ab Eccleſia Romana relatus. Henricus cognomento & re Sanctus Anno 1017, poſt celebrem videlicet donationem Eccleſiæ Romanæ factam, jus idem, quod prædeceſſores ſui, exercuit in Exarchatu, ſicuti & Conradus Salicus, Henricus III & IV, etiam ante Sacerdotii & Imperii funeſta diſſidia. Henricus etiam V Anno 1118, Lotharius II Anno 1136, Fridericus I adhuc Pontificibus amicus. Hujus Diploma, pro Comaclenſibus datum, impugnatum a Defenſore, defenditur ut ſincerum, & ſupremi in Auguſto juris documentum. Henrici VI, Ottonis IV & Friderici II Acta denuo exhibentur & defenduntur,

Digitized by Google

duntur, eliſa Adverſariorum criſi, quæ tota innititur amanuenſium ſphalmatis; hæc autem fide meliorum exemplarium emendantur. Rudolfi I temporibus, & eo magis vigentibus Ludovici Bavari cum Pontifice diſſidiis, Imperii jura turbata ſunt; obſtitere tamen pro viribus Germaniæ Status. Eſtenſibus Principibus, qui Comacli ditionem ex voluntaria deditione Anno 1297 obtinuerant, & rurſus receperant Anno 1325, Carolus IV Anno 1354 & 1361 inveſtituram ejus Civitatis conceſſit, quam confirmarunt Sigismundus Anno 1433, Fridericus III 1452, Maximilianus I, Carolus V, Ferdinandus I, Maximilianus II, Rudolfus II, Matthias, Ferdinandus II & III, Leopoldus, & demum Joſephus nunc feliciſſime imperans.

His omnibus dudum adjecerant Scriptores Eſtenſes, nunquam per Pontifices beneficiario jure Eſtenſibus ipſis Comaclum conceſſum. Vim ejus argumenti perſenſere, qui Romanæ Curiæ partes tutati ſunt, ideoque & olim, & hodie conatus omnes exercuere, ut oſtenderent, Comaclenſem ditionem in ipſo Ferrarienſi Comitatu comprehenſam, & proinde, cum Eſtenſes a Romana ſede inveſtituras accepere Ferrariæ, ejusque ditionis, accepiſſe etiam tacite Comacli inveſtituras. Henricus quoque VI ſuo Diplomate conjunxiſſe Comaclum Ferrariæ dicitur. Cum autem Obſervationum Autor verba Diplomatis afferens oſtendiſſet, ibi de Comaclo mentionem fieri, tanquam de limitanea ditione: repoſitum eſt, verba ipſa mala fide mutata, vel interpolata ab Eſtenſi Scriptore. Is injuriæ ſibi illatæ impatiens, antiquiſſimum ejus Diplomatis apographum in Eſtenſi Archivo exſtare oſtendit, ex quo verba deſcripſit, nec aliud ſe vidiſſe ſcriptum in pluribus aliis, ſeu in omnibus ſibi perſpectis; quare conſequens fieri, ut illud, quo Romani utuntur, multo recentius ſit, & mendoſum. Illud palam omnibus eſſe, inſpecto verborum contextu, Comaclum ibi confinii loco nominari, & Henrici mentem ex aliis Diplomatibus apertam eſſe, in quibus Comacli ditio a Ferrarienſi diſtinguitur; his vero magis credendum, quam quibusdam Ferrariæ Scriptoribus, quos Patriæ amor in transverſum egit, adeo ut Henrici Diploma perperam intelligerent. Diſtin-

ctionis autem utriusque Comitatus argumenta proferuntur. I. Utriusque diverſa origo, & diverſi eorundem Domini. II. Deditio Comaclenſis, non Ferrarienſibus, ſed Eſtenſibus Proceribus facta. III. Pontifices Comitatum Comaclenſem, non vero Ferrarienſem, Archiepiſcopis Ravennatibus confirmarunt. IV. Inveſtituræ Comacli, non Ferrariæ, per Auguſtos Ateſtinis conceſſæ. V. Vetus chronica, quam *Parvam* vocavere, idem oſtendit. VI. Rubeo narrata frequenter in Ravennati Hiſtoria. VII. Johannis etiam XXII in Eſtenſes diræ id ipſum confirmant. VIII. Pontifices in nulla Inveſtiturarum, Eſtenſibus datarum, Comacli meminiſſe; Auguſtos contra explicite beneficiario jure Comaclum conceſſiſſe. Publica demum fœderum monimenta, quæ laudantur, idem evincunt.

Quæ in contrarium rurſus inculcantur, videlicet, Cardinalis Anglici viſitationis Acta in Cameræ Romanæ Libris deſcripta; receptorum Cenſuum pro Ferrarienſi ditione formulæ in prædictis Libris conſignatæ; Cœlii Calcagnini Oratio quædam; Salis Comaclenſis controverſia Julii II tempore excitata, & Pauli III Concordata; novis rationibus, præter allegatas in priori ſcripto, refelluntur. Eſtenſes Principes ſe Comacli Dominos, & Ferrariæ Duces, in publicis Actis ſcripſere; id vero factum non occaſione litis eorundem cum Coſmo I Etruriæ Duce ob præcedentiæ, ut vocant, cauſam, quod perperam alter e Romanis Scriptoribus dixerat; nam Hercules II multo ante controverſiam illam, ſe *Ducem Ferrariæ, Mutinæ* &c. *Dominumque Comacli* inſcripſit, Annis 1537 & 1539, in ipſis ſoluti & recepti Cenſus Ferrarienſis documentis, Pontificiis minime rem improbantibus, ſed potius admittentibus. Ceterum Comaclenſibus ſtatuta propria exſtare certum eſt, & oſtenditur ex Actis non modo A. 1494, ſed & ex Bulla Clementis IIX Anni 1598. At rem omnino evincere videtur, quod poſt Comaclum Eſtenſibus ereptum, ejus ditionis in celebri Bulla in Cœna Domini mentio tum primum facta eſt, & quod Clemens ipſe VIII ſit faſſus, in eam diem Comitatum Comaclenſem minime Ferrarienſi adnexum, cum illum huic ſubjecerit edita Bulla,

quæ

Digitized by Google

quæ in Libro Ferrarienſium Privilegiorum inſcribitur: *Ducatus, Legationisque Ferrarienſis propagatio*, data Anno 1598.

Quod vero Defenſionis Autor auſu metuendo Cap. 103 pag. 360 indicaverit, *Mutinam, Regiumque in Æmilia, & in Exarchatu* eſſe, olim, ut prætenditur, a Pipino donato, & ab Auguſtis confirmato Eccleſiæ Romanæ, operæ pretium cenſet Libelli Supplicis Autor Cæſaream Majeſtatem monere, eſſe heic in receſſu, quod merito a Romana Curia tentandum timeatur. Dudum Julio II, Leone X & Clemente VII ſedentibus, prætenſum, Urbes prædictas in Exarchatu poſitas, ac ideo Pontificii juris eſſe; verum controverſia diremta eſt Carolo V arbitratore ex conſenſu partium, cujus ſententiæ, cum ait Romanus Scriptor, refragatos fuiſſe Pontifices, uti læſivo juris Romani, injuria afficit Romanum Imperium, & piiſſimos Caroli V manes. Ceterum Mutinam & Regium minime comprehenſas in Exarchatu, neque Romanæ Eccleſiæ unquam donatas, demonſtratur ex Anaſtaſio Bibliothecario, & ex Cod. Carolini Ep. LI, ubi Civitates Romanæ Sedi conceſſæ recenſentur. Cum Longobardorum Regnum ſtetit, Mutina ac Regium illis Regibus paruere, non Exarchis. Sub Carolingis Imperatoribus Italiæ Regni pars fuere, idque Sole clarius in Teſtamento Caroli M. Ab Ottonis I ævo usque præſens Cæſarei juris fuiſſe, evidentiſſime oſtendunt tot Regum Auguſtorumque Diplomata favore Mutinenſis & Regienſis Eccleſiæ data, quæ referunt Sillingardus, Azzarius, Ughellus, aliaque Acta certiſſima in Hiſtoriis commemorata. Quamobrem & hinc diſci poteſt, quanta fides Romanis Scriptoribus habenda ſit in reliquis, quando has Urbes, quarum a tot Seculis unus Imperator Inveſtituras concedit, Pontificiæ ditioni arrogare nequaquam verentur.

Tandem novis argumentis firmatur, Comaclum contra jus occupatum Anno 1598 a Pontificio milite: quod elucet ex ipſa Clementis VIII Bulla in Cæſarem Eſtenſem, eaque occaſione Pauli III Concordata rurſus excutiuntur. Porro Comacli ſibi atque Ateſtinis erepti cauſſa conqueſtus eſt Rudolfus II, tum Matthias, ac ipſi Eſtenſes variis temporibus, & ſub

Leopoldo Cæſarea Aula proteſtata eſt, ſibi recuperandum, uti fidem facit Andlerus in ſua Jurisprudentia: quod tandem præſtitit Auguſtiſſimus Imperator Joſephus Anno 1708, ſummopere laudandus, quippe qui ſecundum juramenta & Cæſaream Capitulationem ſua S. R. Imperio reſtituat. Contra Clemens VIII Comaclo occupato male apud Principes audiit, ita ut vel ipſe Gratianus, Nuntius Apoſtolicus, anno ipſo occupationis monuerit Aulam Romanam de rumore Venetorum dicentium: *Che eſſendo Comacchio manifeſtamente Feudo Imperiale, non ſanno, con che Conſcienza la Chieſa ſe l' habbia appropriato; e dicono eſſer coſa di molto cattivo eſempio, & a che devono molto bene aprir gli occhi tutti i Principi.* His fere Libelli Supplicis Autor perorat, ampliorem, ut diximus, objectis iisdem Reſponſionem promittens, in qua & Ferrarienſis cauſæ momenta operoſe rurſus diſcutientur. Ceterum accepimus, Dominii Comacl. Autorem etiam Defenſionem II moliri, quam, ubi ad nos perveniet, pariter ſine partium ſtudio recenſebimus.

ACTA CAUSÆ RITUUM SEU CEREMONIARUM Sinenſium.

Romæ, ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, 4. Plag. 5.

EX Actis noſtris ſubinde apparuit, quanta animi contentione de cultus divini ratione, Sinenſibus, ad Chriſti ſacra converſis, recepta, inter Miſſionarios diſputetur, Jeſuitis etiam legitimam & inſtitutis divinis conformem, ceteris idololatriæ Gentili proximam pronuntiantibus. Ad hanc cauſam pertinent Acta iſta, in quibus primo loco conſpicitur *Mandatum ſeu Edictum D. Caroli Maigrot Vicarii Apoſtolici Fokienſis in Regno Sinarum, nunc Epiſcopi Cononenſis*, quod A. 1693 d. 26 Mart. promulgatum eſt; eo conſilio, ut Miſſionarii ſcirent, quomodo in iis, quæ ad Cultum divinum & bonos mores pertinent, verſari debeant, *donec aliter ab Apoſtolica ſede decretum fuerit.* Septem itaque momenta afferuntur, quæ eo pertinent, ut omnis pag. 5. idololatriæ ſuſpicio, evitatis, qui hactenus recepti erant, ritibus, amoveatur. Hinc in momento II *diſtricte probibetur, ne in ulla Eccleſia tabella quadam, cui hæ duæ literæ* COELUM COLITO,

LITO, KING TIEN *inſcriptæ ſunt, appendatur, & ubicunqne appenſa fuerit, intra duos menſes auferri mandatur, cum aliis ejusdem ſenſus tabellis.* Sequuntur *Quæſita in cauſa Rituum Sinenſium ſuper Mandato ſeu Edicto D. Caroli Maigrot ab Eminent. Cardinalibus, ab Innocent. XII ſpecialiter deputatis, facta.* Quæſita hæc ita comparata ſunt, ut adjunctas habeant dubitandi rationes, atque adeo totam cultus rationem, idoneis teſtimoniis quaſi in tabella delineatam, ſiſtant. Hæc excipiunt *Reſponſa, quæ ad quæſita iſta prævio diuturno, maturo ac diligentiſſimo examine de Mandato Innocentii XII & Clementis P. XI per plures annos continuato, data fuerunt ab Emin. Cardinalibus ac poſtea a Clemente XI confirmata.* In Reſponſis illis improbantur ea, quæ vel ad cœli, vel Confucii, vel Majorum aut ſimilem cultum pertinent. Ultimo loco ipſum Clementis XI decretum XX Nov. A. MDCCIV promulgatum legitur, cujus ſumma huc redit, quod reſponſa iſta ab omnibus & ſingulis Miſſionariis cujuscunque Ordinis, etiam Soc. Jeſu obſervari debeant, ſuſpenſa tamen interea eorundem Reſponſorum publicatione. pag. 9.

OBSERVATIONES CIRCA EXPOSITIOnem Rituum Sinenſium factam S. Congregationi, primum Italice, nunc Latine impreſſæ.

Anno 1710, 8, pl. 12.

HOc ſcriptum in nova quadam Collectione, ad Controverſiam de Ritibus Sinenſibus pertinente, primum locum occupat, idque oppoſitum eſt iſtis, de quibus modo diximus, Quæſitis, contra quæ oſtendere conatur Autor, Ceremonias illas Sinenſes a D. Maigroto & ceteris non, quo fieri par erat, candore expoſitas eſſe, neque vel Confucio vel defunctorum animabus Sacrificia ex Sinenſium Chriſtianorum mente offerri. In limine harum Obſervationum, quæ tribus & dimidia plagulis abſolvuntur, præmonitio ad Lectorem exſtat, quæ obſervat, S. Congregationem in Reſponſis ſuis ad Quæſita, Clementis XI autoritate confirmatis, *improbare ſolum ritus illos ſeu tales, quales & qualiter D. Maigrot & pauci eidem adhærentes expoſuerint; non vero ritus genuinos, ſeu quales iſti re ipſa ſint &c. qualesque Patres Miſſionarii Sinenſes S. J. defendant*

dant velut innocentes, neque idololatriæ neque ſuperſtitionis ullius reos, quales demum Alexander VII Chriſtianis in Sina permiſerit. Sequuntur *Reflexiones in Cauſa Sinenſi facta in Europa, poſtquam ad illam pervenit Decretum Emin. Tournon datum Nankini in Sinis 25 Jan. 1707, Ital. & Lat. impreſſa 1709, recuſa 1710,* $2\frac{1}{2}$ plag. Hæ animadverſiones varia incommoda commemorant, quæ ex damnato illo Sinenſium cultu conſequi poſſunt, nec pauca ad eum ornandum & defendendum afferunt. Reflexio XI ita habet: *Pia Mater Eccleſia diſſimulat aliqua, quæ Paganismum præ ſe ferunt in Chriſtiana Europa; cur non & in Chriſtiana China?* Poſtea legas *Cenſuram Libelli, cujus titulus:* Conſiderationes ſuper Reflexionibus in Cauſa Sinenſi: *quo libello quidem Cauſæ Sinenſis adverſarius 12 Reflexiones in præcedentibus foliis relatas non ratione & veritate, ſed calumnioſa falſitate impetivit, recuſ. A. 1710.* Ultimo loco exhibentur *Obſervationes in Reſponſionem factam a Procuratore Emin. Card. de Tournon ad quinque Memorialia P. Provana Procuratoris Miſſionariorum Chinenſium S. J.* 5 plag. Obtulerat P. Provana Clementi XI privatim quinque *Memorialia,* quæ *demiſſas,* ut Autor loquitur, *periclitantis Sinicæ Miſſionis demonſtrationes & ſupplices promti remedii petitiones continebant.* Ad hæc reſponderat publice Procurator Cardin. de Tournon, ita quidem, ut, ſi Autori credimus, Satyram referat in P. Provana & univerſam Societatem ſcriptam. Illis igitur criminationibus amoliendis præſens ſcriptio deſtinata eſt, adeoque tota Collectio ad Miſſionariorum Jeſuitarum cauſam & ſententiam tuendam refertur.

NOVA LITTERARIA.

VEnit nuper ad nos delineatio operis, quod P. F. RP. de Pyrrhoniſmo in hiſtoria antiqua meditatur, G. S. Fr. Hiſtoriarum Profeſſori inſcripta, & incertum quo loco A. 1711 in 8 excuſa. In illo, præmiſſo de hiſtoriæ definitione, diviſione, ac veritate, capite, de impedimentis veritatis aget Autor. Scilicet de antiquiſſimorum monimentorum fato, Hiſtoricorum amore, odio, adulatione, maledicentia, invidia, diverſo inſtituto in

religione

religione, republica, vitæ ſtudiis, moribusque. De illorum præmiis & pœnis, ſpe, metu, ignorantia, fingendi libidine, divinitatis & miraculorum affectatione, nimio antiquitatis & eloquentiæ ſtudio, credulitate, oſcitantia, memoriæ lapſu, curioſitate, incertitudine, interitu, plagio, compendiorum confectione, & librariorum denique incuria. Non ingratum iis laborem fore credimus, qui a præſtantibus viris aut data opera, aut ſparſim de hoc argumento dicta colligi & concinno ordine diſponi optant. Præcipue ſi Autor in iis quæ, quamvis jucunda nec inerudita ſint, ad caput tamen rei non pertinent, & præterea ſatis frequenterque alibi inculcantur, parcior ac brevis, cauſam ipſam ita agat, ut nihil prætermittat, quod ad eam probandam ornandamque propius facit. Idem decem Epiſtolis delineavit Muſæum ſcriptorum de Divinatione, quod in duas partes dividitur. Prior deſtinata eſt divinæ, eidemque aut veræ quæ in Prophetis, ac oraculo Urim & Thummim, aut fictæ, quæ in gentilium oraculis, quibus Diabolum Autorem tribuit, eorumque antiſtitibus, Sybillis, vatibus, & dæmoniacis ſe exſeruit. Poſterior pars divinationem, cui ipſa natura argumenta ſuppeditat, conſiderabit. Hæc vero aut extra ordinem agit in prodigiis, oſtentis, portentis & monſtris, aut juxta ordinem. Et tum quidem operari eam ſtatuit vel in aſtris, ubi hiſtoriæ Aſtrologicæ ſcriptores, Aſtrologi, amici & inimici Aſtrologiæ, & qui lecturam cœli explicarunt recenſebuntur; vel in IV elementis ſimplicibus, ubi de aeromantia, pyromantia, hydromantia, & geomantia differet. Tertio illa in tribus naturæ regnis vim ſuam exercet; & hic primum de homine tractatio inſtituetur, anima ejus in mortuis, morientibus, & ſomniantibus, arte cognoſcendi homines, phyſiognomia, metoſcopia, chiromantia, ophtalmoſcopia, onichomantia, conjecturis ex ſternutatione, riſu, halitu, ſcriptura, extis, pedibus, unguibusque, divinatione medica & politica. Deinde afferentur, qui de divinatione ex animalibus, vegetabilibus, virgula metallica, illaque, cui agricolæ & nautæ innituntur, ſcripſere, ultimo loco. Ad naturam juxta ordinem agentem refert artefacta, iſtoque capite taliſmanes, numeros, literas, unde

ad

ad hieroglyphica, apologos, ænigmata, ſteganographiam, & ipſas adeo Romanorum notas excurret, ſortes, ceromantiam, plumbomantiam &c. expediturum ſe pollicetur.

Florentiis (ut ex Diarii Veneti A.1710 Parte IV intelligimus) Antonius Maria Salvini Diſcurſuum Academicorum, qui recitati ſunt in Academia Apatiſtarum, Partem II (prima Flor. 1695 in 4 prodiit) vulgavit, ejusdemque frater doctiſſimus Salvinus Salvini proxime Etruſco idiomate typis mandabit *Faſtos Conſulares Academiæ Florentinæ*, in quibus & hujus Academiæ ſtatum omnem inde ab A. 1541 ad noſtra tempora delineabit, & plura, quæ ad alias Academias Florentiis illuſtres, Furfuratorum inprimis, ſpectant, addet. Mutinæ Franciſcus Torti *Therapevticen ſpecialem ad febres quasdam pernicioſas inopinato ac repente lethales, una vero China China peculiari methodo miniſtrata ſanabiles*, cujus *Ideam* Mutinæ 1709 in 8 ediderat, prelo ſubjecit. Romæ Jo. Maria Lanciſius duplex opus parat, alterum *de noxiis paludum effluviis eorumque remediis*, alterum *de nativis, deque adventitiis Romani cœli qualitatibus*, cui accedet *hiſtoria epidemiæ rhevmaticæ, quæ per hyemem anni 1709 vagata eſt.* Neapoli ſuperiore anno lucem aſpexit *Peplus Neapolitanus* Caroli M. de Raho, *Clerici Regularis*, *Patricias illuſtresque familias continens*, *Pars I, in 4.* Patavii excuduntur Jacobi Placentini, D. Tarviſini, *de Barometro Diſſertationes duæ*, quarum prima ea examinat, quæ inter Schelhammerum & Ramazzinum de barometris diſputata ſunt, altera vero ſolvit problema Illuſtris Leibnitii, & nonnullas de motibus Barometri conjecturas addit. Venetiis Blaſius Garofalus, ſub Octavii Marantæ nomine, ad Rabbenii fragmentum Epiſtolæ, ſub Scachii nomine editum & a nobis Anno ſuperiore p. 529 recenſitum, reſpondit ſub tit. *Oſſervazioni di Ottavio Maranta ſopra la Lettera del D. Bernabo Scacchi, fatte in difeſa delle Conſiderazioni del Sig. Abate Biagio Garofolo, intorno alla Poeſia degli Ebrei.* Antonius Vallisnieri, quæ ſparſim hactenus publicaverat in variis tomis ejus collectionis, quæ Venetiis ſub tit. *Galleria di Minerva* prodit, ſeorſim prelo ſubmittere cœpit *Prima Raccolta di Oſſervazioni, Eſperienze* &c.

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii, Anno M DCC XI.

FOEDERA, CONVENTIONES, LITERAE, & cujuscunque generis Acta publica Anglicana; cura THOMÆ RYMER.

Tomus VII & VIII.

Londini, ap. A. & J. Churchill, 1709, f. Alphab. 18 plag. 7.

SExtum hujus Operis ſeptimumque Tomos cum in Tomo
IV Supplementorum Sect. VIII p. 329 nuper dederimus re-
cenſitos, in circulum nunc revertimur, finem Eduardi T.VII.
III, Richardi II vitam, initium Henrici V viſuri. Et p. 90.
quantum quidem ad patriæ noſtræ cum Anglis, Alemannica ſci-
licet, negotia, hic nuncios Lubecenſes & Elbingenſes (quo-
rum urbs Elnyngh, incertum num antiquitatis vitio, num
Typographi, vocatur) ad Eduardum III A. 1375 commer-
ciorum haud dubie cauſa miſſos legas. Inprimis autem matri- 280.
monium a Richardo II cum Anna Wenceslai Imperatoris ſoro-
re A. 1381 contractum res Germanorum Anglis reddidit fami-
liariores. Admoti contrahendo huic negotio fuere per
Richardum Comes Kantiæ, per Wenceslaum autem Teſchi-
nenſis Dux Primislaus, qui in Anglia poſthac, abdicato domi 288.
imperio, remanſit, annuam a Richardo pecuniam conſecu-
tus. Ipſa vero, quæ petebatur ſponſa, literis, quas vocant, 282.
procuratoriis, fratris Wenceslai ſignum, quod *Majeſtatis ſi-
gillum* appellatur, *cum ipſa nondum proprio ſigillo uti conſue-
verit*, legitur appendiſſe. In pactis, de quibus tum conve- 291.
nit, præter perpetuum inter utrumque Regem & heredes
utriusque fœdus, aliaque, hoc etiam eſt conſtitutum, *ut
Wenceſlaus poſtquam inſulas Imperiales receperit, & coronæ*

ſuæ ſolemnia compleverit, hac pacta innovare, & ut Imperator
de novo facere teneatur, qua ſpe & *Imperator futurus* in qui-
busdam Richardi literis p. 365 vocatur. Certam præterea
pecuniæ ſummam mutui nomine Wenceslaus a Richardo
p. 302. receperat, a qua tamen reddenda, ſi ad præſtitutum tempus
ſponſam Regiam Caleſii ſiſteret, liberatur. Antequam ab
157. hoc matrimonio diſcedamus, non poſſumus non monere, in-
veniri documentum aliquod, quo Catharinam Ludovici,
nuper Imperatoris, filiam ducturus proponitur Richardus,
Wenceslai tamen conſenſum deſiderans. Quod unde ſit, ſi
errore ſcribentis non ſit factum, haud indicare poſſumus, cum
nec inter Ludovici Bavari poſteros occurrat Catharina, nec
382. quicquam eo Wenceslai voluntas conferre potuiſſet. Quem-
admodum autem cum Rege Germanorum, ita fœdus pepi-
gerat Richardus, *ut veri, legales ac perfecti fratres ſint &*
604. *amici*, ita reliquos etiam Alemanniæ Principes conciliare ſibi
ſtudebat, legatos propterea, qui perficerent iſta, emittens.
604 Nominatim Ducis Bavariæ Alberti fit mentio, Rupertorum
etiam Palatinorum, patris videlicet Electoris, filiique hæredis.
854, 858. Quin imo hi vaſalli hominesque ligii fiebant Richardi, re-
cipientes quisque mille libras annuas pro præſtanda fide,
quam promiſerat, prout homagium a Ruperto ſeniore lega-
tis præſtitum loquitur, in quo illud præterea notandum, quod
immediate poſtea Rupertus legato, juxta morem patriæ in ta-
libus uſitatum, oſculum dediſſe narretur. His autem, quas ita
conciliabat amicitiis nil aliud quærebat Rex Anglus, quam
auxilia contra Carolum Galliæ Regem, Valeſium Comitem,
365. Andegavenſem, Bituricenſem & Burgundiæ Duces, Johan-
nem denique Caſtellæ Regem, prout ex literis ejus ad legatos
penes Imperatorem patet.

53. Gallicarum rerum idem porro qui antea fuit tenor, con-
68 ſqq. ſtantiori bello quam pace geſtarum. Induciæ primum A.
1375 in paucarum hebdomadum ſpatium factæ, mox Ponti-
100 ſqq. ficiorum legatorum opera fiebant annuæ; quæ cum propemo-
dum eſſent elapſæ, mox ad novem denuo menſes proroga-
195, 154. bantur. Poſt cum nihil hoc tempore de pace conficeretur,
redie-

redierunt priores inimicitiæ A. 1377, Gallique jam Angliam ſe invaſuros ſunt minitati. Et quamvis rurſus anno 1378 de pace tractaretur, ſicut Gallici Regis filiam Richardus ambiret, eodem tamen tempore civitatis Oxonienſis munimenta juſſit refici, tranſitum Gallorum in Angliam metuens. Eodem anno duplex cum Britanniæ minoris duce pactum a Richardo eſt initum; alterum de traditione portus & civitatis Breſtienſis, alterum, quod offenſivæ & defenſivæ Ligæ titulo venit, quo conſtitutum eſt inter alia, habiturum Regem & ejus locum tenentes poteſtatem in tranſitu per Britanniam ſuos quocunque modo puniendi, ſalva tamen alias Ducis & patriarum legum autoritate; nec obligatum iri Ducem ad fidem Regibus Anglicis jurato præſtandam, ſi vel maxime Gallici Regni poſſeſſionem adipiſcerentur. Anno 1380 denique Richardus, moras Gallorum, quas per inducias quærerent, ſibi periculoſas criminatus, novum in Galliam exercitum mittere conſtituit. Mox anno 1382 reducebantur induciæ trium modo menſium, quo ſpatio de pace tractaretur, nec ab ulla parte mitterentur exercitus, vel hoſtile quid ageretur, niſi per milites præſidiarios in urbibus hinc inde diſpoſitos. Attamen ruptis his etiam conventionibus, belloque rurſus exorto, totam jam propemodum Flandriæ partem, quæ Anglis parebat, occupaverant Galli & ad Caleſium obſidendum properabant. Pontifex tum Urbanus VI Epiſcopo Norvicenſi Cruciatam ſeu expeditionem adverſus Schiſmaticos, quorum poſt fiet mentio, commiſerat. Ille vero magis hac occaſione Regi ſuo, quam Pontifici videtur profuiſſe: nam & legati perſonam ad Flandriæ Comitem ſuſtinuit, illum Richardi partibus ita conciliare conatus, ut homagium ipſi tanquam Regi Franciæ ſupremoque Domino ſuo Comes præſtaret. Gravelingam præterea maritimum oppidum Flandriæ, ob ſchiſma neutiquam ſuſpectum, occupavit; niſi tamen Pontifex potius occaſione mandatorum Epiſcopo per Regem commiſſorum ſuo quoque commodo ſtudere voluerit. Pertæſus dein belli Richardus, neque minus crebrorum & inutilium tamen de pace laborum, quos *protenſionis*

p. 184, 185.
190.
236.
260.
351.
371.
399.
395, 396.
399.
407.

Digitized by Google

longisſimæ & infinitatis ſolitæ accuſat, tria bellum finiendi
media Gallo proponit, vel ſcilicet, ut ipſi inter ſe ſoli, vel ut
aſcitis etiam tribus patruis ſuis de Regno pugnent, vel deni-
que, ut certo die locoque decretoria per exercitus ſuos pugna
p. 418 fieret. Nihilominus anno 1384 ineunte novæ fiebant in-
duciæ, & ad pacem firmandam a Gallo Duces Bituricenſis &
Burgundiæ cum 700 comitibus in Picardiam deſtinabantur.
433. Sed vix tempus induciarum exſpiraverat, cum, ut Angli cri-
444. minantur, Galli pacem inire recuſarent, ipſamque denuo An-
476. gliam aggredi minitarentur. Neque adeo ſemel repetitæ
hæ minæ, cum notum ſit, Regem tum Franciæ claſſibus in ejus-
modi terrores comparatis maximam ampliſſimi patrimonii
491. partem inutiliter abſumſiſſe. Ad inducias etiam dein ſæpius
res rediit, quas Armeniæ Rex aliquando ſpe obtinendi con-
tra hoſtes ſuos ex Europa auxilii ſtudebat promovere. De-
769 ſqq. nique cum anno 1394 in quatuor annos induciæ fierent, eo
811 ſqq. tempore matrimonium inter Richardum & Iſabellam Gallici
Regis filiam eſt contractum, ea potiſſimum conditione, ut in 28
annos, ab anno 1398, pax conſtet illæſa. Equidem & renun-
ciare juribus ſuis in Galliam adigebatur Iſabella, & ut iſta re-
nunciatio confirmaretur, a Richardo poſtulabatur, attamen
ille ſervans ſibi hæredibusque ſuis omnia, quæ habebant, jura
id faciebat, videns haud dubie, ſufficere jam cauſas, quas pro-
pter tum Galliam Angli appetebant, nec quicquam ulterius
ab uxore ad ſe devolutum iri. Imo vero, cum ex Bavarica
matre genuiſſet Carolus Gallorum Rex Iſabellam, de illius ad
hunc Ducatum juribus nil quicquam remittere volebat. Il-
lud propterea notatu dignum, quod Richardus ſocerum,
quem bello flagrante *adverſarium de Francia*, cum de induciis
ageretur, aliquando *Regem Francigenam* appellaverat, nunc ne
832. concedere quid videretur, *cariſſimum Patrem ſuum de Fran-
cia* nominaret. Huc denique merito refertur, quod anno
569. 1388 Provinciæ Comitatus & Forcalquerii dominum ſibi Ri-
chardum aſciverint, recuſantes poſt mortem Caroli Dyrrha-
chini Regis Neapolitani, cui paruerant, Ludovici Andega-
venſis imperium. Licet vero acceperit Anglus conditionem,
Aquita-

Aquitaniam in vicinia poſſidens, aliunde tamen conſtat, eam regionem Andegavenſium in poteſtate manſiſſe.

Affines quodammodo Gallicis bellis ſunt cum Scotis
controverſiæ, quæ cœptæ ſunt primum anno 1378 de factis p.183.
quibusdam, ut Scoti criminabantur, in finibus ſuis contra
pacem. Poſt induciæ factæ ſunt, quibus durantibus agere- 276.
tur de reparatione damnorum, quanquam, cum conveni-
rent propterea anno 1381, Scoti cauſam cognoſci per dele- 312 ſqq.
gatos cujusvis Regni certos volebant; Angli vero arbitrum Principem alienum malebant eligi, quapropter, cum neutra pars concederet, aliæ rurſus fiebant induciæ. In hac altercatione mirum illud, quod confiteantur Scoti, ſe inferiores longe potentia eſſe Anglis, quæ noxia fere populo bellum
moturo videatur ſinceritas. Neque tamen omnia de pace 406.
molimina belli ſuſpicionem tollere potuerunt, aut efficere,
quo minus cum Gallo fœdus iniret Rex Scotiæ. Quin imo 476 ſq.
paulo poſt, anno nimirum 1385, ad arma res rediit, fovente
negotium ardens Rege Franciæ, certumque militum nume- 484 ſq.
rum ſubſidii loco mittente, pecuniæque ſummas haud contemnendas Regi pariter ac proceribus numerante. Denique ſicut a Gallici belli variis eventibus Scoticæ ſimultates pependerant, iisdem etiam conventionibus, quæ inducias 25 annorum, ut ſupra vidimus, confirmabant, ſunt ſublatæ.

Eadem Hiſpanici belli fata propemodum fuere. Etenim cum Johannes Lancaſtriæ Dux, qui Caſtellani Regis titulum, ut
in noviſſima recenſione notavimus, uſurpabat, Anglorum auxi- 550 & 770.
lio jus ſuum proſequeretur, Henricus contra Nothus & Jo-
hannes ejus filius Gallis ſe per fœdera jungebant. Angli, 15. ſqq.
Eduardo adhuc imperante, cum Portugalliæ Rege pangebant fœdus, renovatum poſteaquam Richardus ad Regnum per-
venerat. Tandem cum, ut quivis facile poteſt divinare, bel- 262 ſqq.
lum hoc Anglis, ob diſſitam regionem, aliisque præterea bel- 515 ſqq.
lis cum Gallo Scotoque diſtentis, eſſet difficile, res inter duos
Johannes iſtos componebatur, & quidem, ut aliunde con- 603.
ſtat, per matrimonium. Nihilominus vero non ſatis ceſſabant 681.
inimicitiæ, navium inprimis captionibus continuatæ, nec

Digitized by Google

p. 622. licet Pontifex in Richardi gratiam a ſacrorum communione prohiberet inimicos ejus in Hiſpania, ſublatæ ſunt ante, quam cum Gallis firmiores fierent induciæ.

In Italia cum Principibus & Statibus amicitias contra-
307. here Richardus impenſe quæſivit. Hinc generale quoddam mandatum Johanni Haukewodio commiſſum legimus, *ad tractandum cum quibuscunque Ducibus, Comitibus, Dominis*
354. *ſeu Communitatibus Italiæ.* Inprimis ad Regem Neapolitanum, qui Carolus alias Parvus ſeu Dyrrhachinus audit, in do-
457. cumento autem allegato *Carolus de Pace* nominatur, ad Flo-
103, 121, 135. rentinos etiam miſſi ſunt Legati, cum Eduardus jam urbis hujus cives magno numero morantes in Anglia contra Pon-
213. tificis molimina tueri decreviſſet. Fuit etiam tempus, anno ſcilicet 1379, quo Barnabonis Mediolanenſis Domini filia Ri-
42 ſq. chardo in matrimonium peti deberet. Cum Genuenſibus ſub Eduardo adhuc anno 1374 quædam interceſſerunt negotia, quorum occaſione ſigilli Genuenſis fit mentio, Gryphum repræſentantis, qui vulpem pedibus comprimit, ipſam quoque Gallum ore tenentem, his præterea inſcriptis: *Griffus ut has angit, ſic hoſtes Janua frangit.* Ceterum nec Anglis adverſi Genuenſes & a Gallorum partibus fuere, nam inter utriusque Regis fœderatos & ipſi cenſentur. In dedicatione Tomo huic promiſſa ſupra memoratus Haukewodius arte bellica Principes Italicos imbuiſſe ſcribitur, quo referas forte,
344. quod aliquando Richardus ad *ſubditos ſuos, homines ad arma, & ſagittarios, in villis, caſtris & fortalitiis in partibus Italiæ conſtitutos*, mittat literas. Ad Pontificem quod ſpectat, cum
136 ſqq. eo Eduardus anno 1377 pactus eſt quædam, ubi quidem multum Papa de juribus ſibi arrogatis conceſſit. Sub Richardo
231, 283, 298. dein ſchiſma per Urbanum VI. & Robertum Gebennenſem
523. contra ſe invicem electos oriebatur, Anglo Urbanum defen-
372. dente, Germanis etiam eaſdem partes amplectentibus. Eo etiam eſt proceſſum, ut Epiſcopus Norvicenſis cum exercitu
352, 392. mitteretur adverſus Robertum. Hic illud denique prætermittere non poſſumus, quod idem Urbanus fœderum quorundam meminerit, tam a Carolo IV quam Wenceslao Impe-

ratoribus

ratoribus cum ſchiſmaticis quibusdam & hæreticis Principibus initorum, quæ per ſe ſint nulla & irrita, quacunque tandem ratione fuerint firmata, cum ipſi ratione Imperii, *ad quod a Pontifice ſint approbati*, & *ut Advocati Eccleſiæ*, homines ejusmodi deſtruere potius teneantur.

In Belgio Flandriæ Comitatum anno 1384 Richardus ſibi arrogabat, mortuo tum *Ludovico* Malano, vel ut hic nominatur *Namurenſi*, qui ſine maſculis hæredibus deceſſerat. Imo Gandavi Præſidem quendam provinciæ conſtituebat, qui *Rewardus* appellatur, voce, quantum ſcimus, alias hoc quidem ſenſu non ſatis cognita. Verum non nimis diu hoc dominium ipſi fuit quietum, cum ab anno 1388 aliquoties Treugarum cum Comite Flandriæ ineundarum fiat mentio, qui Comes haud dubie Burgundiæ Dux eſt Philippus Audax, ad quem per uxorem hæreditas iſta devenerat. Cum Duce vero Geldrenſi Wilhelmo anno 1386 arctiſſimum fœdus pepigit Richardus, quo bellum indicere Dux Galliæ Regi Burgundiæque Duci, ac vires ſuas Anglicis conjungere tenebatur. Ordinis Teutonici ſubditis in Pruſſia mutuæ cum Anglis erant querelæ, mercatoria maxime negotia concernentes, quas ſolenni tandem conventione compoſuit Richardus anno 1388 facta, & ne reſuſcitarentur facile, *gubernatorem* quendam rerum ſuarum in Pruſſia conſtituerunt mercatores Angli.

[p. 448 ſq. — 581, 613, 648. 670. — 535. — 599. — 693]

In civilibus denique negotiis Angliæ, partim publicam rem, partim Eccleſiaſticam obſervamus curatam. Huc inprimis Jura Regia contra quævis Pontificum tentata conſtanti tenore defenſa pertinent. Præterquam enim, quod in vincula conjici juſſerit Rex eos, qui quicquam in Papæ favorem illis contrarium agerent, quod autoritate propria pecuniarum ſubſidium a Clericis poſtularit, neque paſſus ſit novas a Papa exactiones decerni, quod Clericos armari ad oræ maritimæ defenſionem juſſerit, quod ſacelli Windeſorienſis viſitationem ipſemet inſtituerit, & pro lubitu leges Canonicis dederit ac in quosdam eorum animadverterit, quod a collectoribus Pontificis in Anglia fidelitatis jusjurandum exegerit, Regi potius quam

[24. 30. 644. 27, 162. 203. 603. 751. 672.]

quam Papæ favens, præter hæc inquam omnia, Richardi tem-
p. 672. poribus, anno ſcilicet 1390, acerbiſſimas a Rege & proceribus ad Papam literas eſſe miſſas legimus, quibus, *horrenda prorſus & lacrymabili ratione, per impoſitiones, proviſiones & reſervationes ſedis Apoſtolicæ, per quas primos tantum fructus cumulatius aggregare & Regnum ſuo theſauro privare ſtudeant, idola paſtorum & mercenarios captare introitus ad ovile Dominicum*, expreſſe dicitur, Simoniæ crimen exprobratur manifeſte, Papa muneris ſui, quo ad paſcendum non tondendum oves obligetur, & antiquarum Angliæ conſuetudinum ut recordari
151, 157. velit, monetur. Præterea, cum duorum Regum res geſtas hic Tomus exhibeat, Eduardi mortem, Richardi coronationem
250. referri videas. Sub quo Richardo Anglorum quidam onerum, quibus ad alenda continua bella premerentur, immenſitatem
311. cauſati, ad ſeditionem anno 1381 autoribus Jacobo Straco &
315. Waltero Tyler conſpirabant, per tumultum quosdam ex proceribus occidentes & his ipſis facinoribus Regiam autorita-
317. tem prætendentes. Hac violentia juvenem adhuc Regem quædam minus ſe digna concedere coegerant, quæ mox ta-
337. men reſcindebantur. Dein Anna Regis ſponſa intercedente venia omnibus præter civitates quasdam integras pri-
618. vatosque nonnullos eſt data, quæ cum anno 1389 Ri-
363, 806. chardus Regnum ipſe ſuſciperet, repetebatur. Sub hoc etiam imperio Wicleſi doctrina primum aperta vi cœpta eſt impugnari, ſiquidem Oxonienſibus Rex anno 1382 mandat, ut in illam diligenter inquirant, inprimis librum quendam eius, *Triologus* dictum, qui Conſecrationi ſacramentali adverſetur, examinent. Ipſe Wicleſus cum ſociis, Nicolao Horford, Philippo Reppyngdon & Johanne Aſton proſcriptus.
41. Qui ſcit, eum Eduardo non ingratum fuiſſe, haud immerito ſuſpicetur, eundum ab hoc Eduardo anno 1374 pro legato
239. cum aliis ad Papam miſſum. Ceterum ſi quis curioſior leges Collegio, quod *Aula Regis* titulo Cantabrigiæ fuit inſignitum, præſcriptas noſſe cupiat, eas loco ad marginem allegato inveniet, inter quas hæc viſa fuit ſingularis, ut ſocii ad menſam communem colloquentes, non alia niſi Latina aut

Gallica

Digitized by Google

Gallica lingua illud faciant. Denique non poſſumus non p. 468.
& hoc obſervare, hoc Tomo ad A. 1385 in Scotico negotio primum in Anglica lingua documentum occurrere.

Facies iſta rerum civilium in Anglia deterior adhuc Tomo T. VII.
VIII apparet. Patruus enim ejus Thomas Gloceſtriæ 6.
Dux erga ipſum non bene affectus cum aliis quibusdam novas res moliebatur, quapropter in carcerem anno 1397 eſt
conjectus, & *altæ proditionis* ob affectatam poteſtatem re- 26.
giam inſimulatus. Ejusdem criminis rei Thomas, Dux 32, 34, 47 ſqq.
Norfolciæ, & Henricus Lancaſtriæ, conſobrinus Regis, hic in Galliam, ille in Germaniam, Bohemiam vel Ungariam relegabantur. Poſt anno 1399 in Hiberniam ad turbas quasdam 75.
ibi componendas, teſtamento prius facto, iter Rex inſtituebat, quod jam dudum fuerat molitus, (T. VII p. 841) Edmundo Eboracenſi tradens ad reditum usque ſuum imperium. Interea Henricus impatiens exilii vindictæque cupidus in Angliam revertitur, ubi tantas ſubito collegiſſe vires videtur, ut ejus opprimendi ſpem nullam Richardus concipere potuerit.
Unde, cum antea declaraſſet, Henricum non aliam ob cau- 84, 85.
ſam adveniſſe, quam ut exitioſas Reipublicæ res corrigeret, Regno ſe denique abdicat, & ut p. 255 dicitur, *ex abundanti*
deponitur, & Henrico adeo IV ſuccedendi locum facit, cujus 90.
coronatio quo apparatu ſit inſtituta, loco allegato legi poteſt, ubi hoc novum eſt viſum, quod Comiti Northumbriæ facultas
conceſſa fuerit, in hæredes etiam derivanda, *ut ad ſini-* 95.
ſtrum humerum Regis, illum gladium nudum, quo cinctus fuerat Henricus, quando in Anglia appulerat, vocatum Lancaſtre
Sword, *portaret.* Ad pacandas autem turbas Henricus, omnia 109.
Richardi propter has rebelliones acta reſcindens, literas etiam omnes, quibus multi ſe reos confeſſi fuerant gratiæque regiæ ſubmiſerant, quæque *Raggemans* appellabantur, comburi jubebat; & cum Wallenſes inquieti ſæpius fuiſſent, du- 184.
riſſimas illis coercendis leges ſanciebat. Nihilominus au- 225.
ſpiciis *Oweni Glendourdy* populus iſte novas res anno 1401
moliri conabatur. Owenus ipſe, poſtquam Principis Wal- 356, 365, 382.
liæ titulum ſibi ſumſiſſet, cum Gallo contra Henricum

 fœdus

v. Dedic. it. fœdus pangebat. Præter hunc alii Ducem ſortiti Thomam
p. 255,261 ſq. Trumpyngton in Britanniæ parte Boreali Richardum adhuc vivere, moxque ex Scotia rediturum, Henricum vero fugam ad Gallos & matrimonium cum Duciſſa Britanniæ jam parare prodebant, ut eo melius ſuccederet ſeditio.

Si jam, quid cum vicinis Scotis actum ſit, ſpectemus, non videntur illi Gallicas, quibus & ipſi comprehendebantur, in-
17. 35, 50, 54 ducias acceptaſſe, ſiquidem Richardus propemodum omne,
ſq. quod ſupererat, imperii tempus tentando illorum reconcilia-
155 ſq. tionem abſumſit. Henricus autem ſub Regni ſtatim initium a Rege Scotorum, ut ſupremus ejusdem Dominus, fidem
278. ſibi jurari poſtulabat, belloque exorto illius exercitum anno
484. 1402 profligebat, & anno 1407 filium ejusdem in ſuam poteſtatem redigebat, quem, licet induciæ cum Mordaco guber-
737. natore Regni poſt Regis mortem anno 1412 fierent, haud dimittebat.

Cum Gallis licet initio res ad bellum potius ſpectaret,
144. tamen induciæ mox reſtauratæ. Anno 1409 Henricus in
348. literis, quas *Domino Carolo Franciæ illuſtri* inſcribit, queritur, Ducem Aurelianenſem libellos famoſos, Comitem de S. Paulo *literas* etiam *diffidentiæ* ſibi miſiſſe. Præterea nihil magnopere actum, niſi quod A. 1412 Duces, Bituricenſis, Aure-
738 ſqq. lianenſis, Borbonius & Comites Alenconii & Armaniaci fœdus cum Henrico adverſus Burgundiæ Ducem inirent, agnoſcentes eum pro juſto Aquitaniæ Domino, ſe vero pro Vaſallis ipſi ſubjicientes, omni ſimul auxilio ad recuperandam hanc provinciam ipſi promiſſo.

Cum Hiſpanis, licet & ipſi ſub impubere adhuc Rege Caſtellani fœdus cum Gallis renovarent, tamen nihil inter-
705. ceſſit bellorum, ſed induciæ potius, ſub Richardo factæ, ſunt repetitæ, notarique meretur Epiſtola quædam Reginæ Caſtel-
683. lanæ Henrico miſſa, in cujus exteriori inſcriptione Rex Angliæ ſolum, interius Rex Angliæ & Franciæ Henricus appellatur.

257 ſq. Cum Danis notanda duplex per matrimonium conjunctio, quarum altera inter Philippam Regis Henrici filiam & Ericum

Digitized by Google

Ericum Pomeranum obtenta, verum altera inter Erici ſororem Catharinam & Henricum Regis filium intenta ſolum fuiſſe videtur.

Germanicarum denique rerum, quo & Belgicas ex parte trahimus, curioſis pacta anno 1397 cum Friderico Colonienſi Reginaldoque Juliacenſi facta proponuntur. Inprimis Ludovici, qui Ruperti Imperatoris erat filius, matrimonium cum Blanca Henrici filia majori ſpectandum, cui, ut eſſet de dote ſecura, civitates & arces *Germersheim*, *Norinberg* & *Hagenbach* ſunt traditæ. Fœdus etiam, præter hanc affinitatem, arctius inter Henricum & Rupertum fuit ſancitum. p. 2. 66. 170, 176, 179. 200, 205, 214. 246. 253.

Ex Italicis negotiis, quæ & alias non nimis frequentia ſunt, hoc Tomo notari nihil meretur, præter quam quod conſenſum Henricus dedit Concilio Piſano, anno 1409 habito, & agnovit Alexandrum V Pontificem, ibidem adverſus ſchiſmaticos Benedictum XIII & Gregorium XII electum. 567, 600.

Inter ſingularia quædam non indigna obſervatione videtur diſpoſitio Henrici de ſucceſſione in Regnis Angliæ pariter ac Franciæ, quæ cum primum ſic eſſet facta, ut filios ſuos ſibi invicem ſubſtitueret, ſtatim vero, maſculis hæredibus ab una parte deficientibus, ad alteram voluerit transferri hæreditatem, procerum voluntate cunctis dein hæredibus, licet haud fuerint maſculi, poteſtatem ſuccedendi facit. A. 1412 Aquitanici omnes, qui tum ob bellorum in Gallia turbas frequentes in Angliam commigrabant, civitate ſunt donati. Formula, qua Athelſtanus Sect. IX locum quendam a judicum poteſtate fecit liberum, ita repræſentatur: 462. 719. 369.

Als Fre make I Thee,
As Hert may thenk
Or Eghe may ſee.

Specimen proſtremo linguæ Aquitanicæ, qualis Sec. XV fuerit, ſi quis deſideret, locum ad marginem allegatum evolvat. 597.

DEFENSE DES SS. PERES ACCUSEZ de Platoniſme,

hoc eſt,

DEFENSIO PATRUM ECCLESIÆ AB accuſatione Platoniſmi.

Pariſiis, apud le Conte & Montalant, 1711, 4 Maj. Alph. 3 pl. 18½.

INter adorandi illius de Trinitate divina mysterii oppugnatores ordine poſtremum, armorum vi ac robore facile principem locum obtinet Socinianorum turba. Hi quippe non ſolum robuſtos in ſpeciem arietes admovent evertendæ huic arci, verum etiam perſuadere obſeſſis cupiunt, munimenta ipſorum tam imbecillo fundamento ſuperſtructa eſſe, ut ſponte ruant facilemque hoſtibus victoriam reddant neceſſe ſit. Nimirum præter multas rationes, quibus doctrinam iſtam everſum eunt, inveniſſe quoque ſibi videntur erroris originem. Contendunt enim, ex Platonica Philoſophia a Chriſtianis priſcis ejus cultoribus adoptatam eſſe Trinitatem, & per tot ſæcula pro germano fœtu enutritam. Iam olim Fauſtus Socinus eam originem doctrinæ de SS. Trinitate tribuere auſus eſt, quem deinceps cum ceteri illius caveæ ſcriptores alii ſecuti ſunt (conf. Suppl. Tom. I Sect. 8 p. 340) tum non ita pridem Anonymus quispiam, qui Coloniæ (ita quidem ipſa inſcriptio habet) anno 1700 edidit hoc titulo librum: *Le Platoniſme devoilé.* Permoviſſe is videtur Autorem noſtrum, qui nomen ſuum Dedicationi ſubjecit, *Baltum*, *Societatis Ieſu*, ut hoc telum Socinianis extorquere e manibus aggrederetur, demonſtraturus, Patres Eccleſiæ nec fuiſſe inſtitutos in Platonica Philoſophia, nec ejus placita comprobaſſe, immo acerrimos fuiſſe ejus adverſarios. Quæ ſententia cum communi eruditorum opinioni adverſetur, eo major cupido incedet eos, cognoſcendi novæ hujusce opinionis fulcra ac firmamenta. Quare in recenſendo hoc libro ita verſabimur, ut Lectori non difficile futurum ſit, perſpectis omnibus fundamentis ferre ſententiam.

Qua-

Digitized by Google

Quadripartitum autem hoc Opus eſt. Ac primo quidem libro conatur manifeſtum facere, Patres Eccleſiæ non fuiſſe in Philoſophia Platonica educatos inſtitutosque. Rationibus eam in rem hiſce utitur, quod *primo* hæc Philoſophia non fuerit recepta & expoſita in Chriſtianorum Scholis: *deinde*, quod Patres haud poſuerint ſtudium ſuum in hac Philoſophia præ ceteris: *denique*, quod nec in Scholis Ethnicorum eo tempore regnarit Platonica Philoſophia. Μέγα λίαν αἴτημα, inquis. At Cap. 1.
Noſter ſingula ſibi ſumſit demonſtranda. *Primum* quidem probari poſſe putat partim ex eo, quod primi Chriſtiani, calamitatibus preſſi, miſſo Philoſophiæ ſtudio, ad martyria ſe præparare coacti fuerint, partim inde, quod tum in ſcholis Chriſtianorum duntaxat religionis dogmata tradi & ex S. Scriptura explanari ſolita ſint. Quam in rem Alexandrinæ Scholæ exemplum affert, & ipſum nomen Scholarum, quas Catecheticas appellarunt. Imo tantum abeſſe ſcribit, ut Phi- 2.
loſophia in ſcholis Chriſtianorum ſit tradita, ut potius ibi refutati ſint errores Philoſophorum, & odium Philoſophiæ inſpiratum diſcipulis: idque his de cauſis, quod (1) ea tempeſtate Philoſophi erant adverſarii Chriſtianæ religionis, adeoque æque refutandi in Scholis Chriſtianis, ut hodie hæretici: (2) cum Scriptura S. tam crebro de ſtultitia ſapientiæ humanæ & erroribus Philoſophorum loquatur, doctores Chriſtiani ejusmodi loca tractantes non potuerunt non philoſophis inſultare: (3) cum inter Catechumenos ſæpius eſſent, qui ante imbuti fuerant doctrinis Platonicis, Chriſtiani doctores neceſſe habuerunt errores Philoſophicos tanquam præjudicia evellere: quo fine & Origenem, Heraclium, Pantænum, Dionyſium Alexandrinum, alioſque ethnicæ Philo- 3.
ſophiæ operam dediſſe ait. Non quidem diffitetur, Chriſtianos etiam ſcholas habuiſſe, in quibus Philoſophia ſit tradita: quin etiam id probat Ammonii, Anatolii, & Origenis, Philoſophiæ magiſtrorum, exemplo, addita mentione Clementis Alexandrini, Tertulliani, Euſebii, & Lactantii, qui magnam habuerint Philoſophiæ ethnicæ peritiam. Verum negat, eos cuidam ſectæ Philoſophicæ ſe addixiſſe, docens,

ſelegiſſe eos optima quæque ex Philoſophorum ſterquilinio.
Cap. 4, 5, 6. Seorſim de Origene, Clemente Alexandrino, & Lactantio refert, eos in Philoſophia eclecticos fuiſſe, adeoque perperam haberi pro Platonicis.
7. Generatim porro probare inſtituit, Patres non potuiſſe certæ cuidam ſectæ Philoſophicæ nomen dare ſuum, quoniam ſcilicet ſectæ Philoſophicæ fuerint partes religionis ethnicæ, ac Philoſophi maxime impugnarint divinam religionem. Si quis igitur certæ ſe addixiſſet ſectæ, is, miſſo religioni Chriſtianæ nuntio, factus eſſet ex Chriſtiano ethnicus. Hinc Chriſtianum Platonicum arbitratur æque abſurde tum temporis dictum fore, ac Catholicum Gnoſticum, vel Catholicum Lutheranum. Videt quidem, ſequentibus ſæculis multos doctos Chriſtianos fuiſſe Ariſtotelicos vel Platonicos. Sed diſcerni jubet tempora. Quo enim tempore Chriſtianorum plurimi Ariſtotelem ſectati ſunt, paganiſmum jam dudum fuiſſe deletum: contra, Patrum ævo, Philoſophos ſe præbuiſſe acerrimos paganiſmi defenſores, &
8. hoſtes Chriſtianiſmi acerbiſſimos. Quas vero veritates in ethnicis Philoſophis repererunt Patres, eas docet relatas ab ipſis fuiſſe vel ad lumen rationis, vel ad furtum ex Moſis Prophetarumque libris. Quorum poſterius maxime contendiſſe Patres oſtendit, ſimulque docuiſſe, verum a Philoſophis tra-
9. ditum permultis mixtum eſſe erroribus. Hinc probat, in ſcientia Phyſica nullum Philoſophorum ſectatum eſſe Patres, ſed eorum opiniones pro incertis ac vanis conjecturis con-
10. temſiſſe: Lactantium vero & Hermiam omnem Philoſo-
11. phiam, præcipue Phyſicam, ethnicorum rejeciſſe. Pertractatis jam duabus prioribus quæſtionibus, tertiam aggreditur, an eo tempore ethnicorum in ſcholis regnarit diſciplina Platonica? Id quod negat, cum ſcholæ Stoicorum, Peripateticorum, Epicureorum, Academicorum, & Pyrrhoniorum conjunctim ſumtæ plures fuerint, quam ſcholæ Platonicorum. Contendit deinceps, Platoniſmum ita defeciſſe per varia Platonicorum ſchiſmata, ut naſcente Chriſtianismo plane collapſa ſit Philoſophia Platonis, & tribus prioribus Chriſtianiſmi ſæculis propemodum nec ſcholam habuerit nec ſectatores:

Digitized by Google

ctatores: contra magnopere floruiſſe id ætatis ſectas Peripateticam, Stoicam, & Epicuream. Unde factum, ut pauci de ſchola Platonis Chriſtianiſmum amplexati ſint, Platonicis etiam omnium maxime impugnantibus Chriſtianorum diſciplinam. Denique duas affert rationes, quibus inducti Chriſtiani ſuos adoleſcentes a ſcholis Philoſophorum arcuerint. Prior eſt, quod quæque ſecta exitiales haberet errores: altera, quod mores Philoſophorum eſſent corruptiſſimi.

Cap. 13.

14.

Libro ſecundo conatur oſtendere, Patres non eſſe ſecutos Platonicæ Philoſophiæ placita. Hoc inde effici putat, quod eo tempore non floruerit iſthæc philoſophia, ut vulgo quidem creditur. Licet enim & a Platoniſmo nonnulli in Chriſtianorum tranſierint caſtra, hos tamen dicit longe minori fuiſſe numero, quam ut reliquis doctis Chriſtianis ideas Platonicas ingerere potuerint: adhæc eos, recepto Chriſtianiſmo, Platonicam Philoſophiam abdicaſſe. Eum in finem probat, Philoſophiam paganam omnem, ſpeciatim Platonicam, ethniciſmi partem fuiſſe, ex diviſione Theologiæ gentilis in fabuloſam, philoſophicam, & politicam, quam partitionem perſequitur pluribus. Si igitur, inquit, Chriſtiani omnem Theologiam paganam impugnarunt, ſequitur, ut & Philoſophiam ethnicorum nullam approbarint & ſuam fecerint, Platonicam vero omnium minime, eo quod maxima erat apud gentiles auctoritas Platonis. Diſerte etiam a Patribus rejectam fuiſſe Platonicam Philoſophiam, teſtimonio Juſtini Martyris confirmat: qui cum ſola nitatur S. Scriptura in rebus Theologicis, injuria Noſtro affici videtur ab iis, qui ipſum Platoniſmi accuſant. Ceteros quoque Eccleſiæ Doctores Philoſophiam ethnicam, ſpeciatim autem Platonicam, rejeciſſe, probat teſtimoniis Tertulliani, Theophili Alexandrini, Lactantii, Auguſtini, & Euſebii. Eosdem nullam Philoſophorum ſectam amplexos eſſe, probat ex Patrum interpretationibus hexaemeri Moſaici. Cum enim recentioribus temporibus Chriſtiani Ariſtotelici Ariſtotelis, Carteſiani Carteſii ſequantur hypotheſes in hexaemero illo exponendo, Patres in eodem explicando nullius Philoſophi veſtigiis inſtiterunt,

Lib. II. Cap. I.

2.

3.

4.

Cap. 5.

10.

11, 12, 13.

runt, imo & omnium Philoſophorum, ſpeciatim Platonis, principia eo pertinentia, etiam ea, quæ tolerari & adhiberi
Cap. 14. facile poterant, rejeciſſe. Contemtus Philoſophiæ tantus etiam in cauſa fuit, ut ethnici Chriſtianis contemtum Philo-
15, 16, 17. ſophiæ pro crimine objicerent. Nec infitias id ivere Chriſtiani, ſed ſui Philoſophiæ contemtus complures expoſuere
18. rationes, quas Noſter diligentisſime recitat. Addit, ex Patribus, Clemente Alexandrino demto, nihil adduci poſſe, ex quo uſus Ariſtotelicæ Philoſophiæ ſequenti ævo receptæ apud Chriſtianos præſidium capiat, quippe cum Patres omnem
19. Philoſophiam in univerſum damnare videantur. Qui & hæreticis amorem cultumque Philoſophiæ Platonicæ vitio
20. dederunt, eorumque errores ex ea derivarunt. Imo ſolus amor Platonicarum opinionum fuit in cauſa, cur adeo exoſum veteribus ſe redderet Origenes, vir alioquin excellentis-
Lib. III. ſimus. Libro Tertio commonſtrat, quanto ardore Platoni-
Cap. 1. cam Philoſophiam Patres impugnarint. Cum enim amor cujusdam Philoſophiæ pariat ejus defenſionem, concludit Noſter, Patres minime fuiſſe Platonicos, quod tantum abeſt, ut pro Platone propugnarint, ut etiam arma contra eum tulerint, & quidem acrius, quam contra Ariſtotelem ceteroſque. Impugnarunt autem (1) Platonis polytheiſmum. Hic Dacerium, Platonem a polytheiſmi crimine abſolventem, Noſter refellit: quem & alibi ſæpius notat, tanquam
2. immodicum Platonis laudatorem. (2) Ejus opinionem de divinatione, ſomniis, volatu avium, extis animalium, &
3. commercio cum dæmonibus ſuperſtitioſiſſimam. Inter hæc Noſter oſtendit, juniores Platonicos, miracula Pythagoræ, Apollonio Thyaneo, aliis affingendo, conatos eſſe labefa-
4. ctare Chriſti miracula. Nec præterit miracula Plotino, Porphyrio, Jamblicho & aliis afficta. (3) Ejus opinio-
5. nes de anima, quod (α) ex duabus ſit partibus compoſita, altera ſpirituali, altera corporea: (β) ex corpore uno migret in alia. Ubi metempſychoſi multis explicata, non
6. ſolum Patres producuntur, qui eam refutarunt, ſed eorum etiam rationes proponuntur Platonicorum juniorum, qui

commo-

Digitized by Google

commoda interpretatione metempſychoſin illam adjuvare Lib. III.
ſtuduerunt. Qua occaſione & Dacerii interpretatio refelli- Cap. 7.
tur. (3) ex cœlo in terram reverſa, novo in corpore eorum, 8.
quæ jam ante perſpecta habuit, reminiſcatur. (4) ejus opinio- 9.
nem de materiæ æternitate, quam Noſter Platoni contra Da-
cerium aſſerit. (5) ejus opinionem de ideis, & (6) de æterni- 10, 11.
tate mundi, quem quidem errorem an ipſemet Plato foverit,
dubium eſſe Noſter ait, Platonicos tamen eum defendiſſe con-
tendens. (7) ejus opinionem, qua cum diſcipulis negat cor- 12.
porum reſurrectionem, qui (diſcipuli) eam etiam impoſſibi-
lem eſſe cenſuerunt. Hinc Noſtro lubet ex moralibus Plato- 13.
nis dogmatibus ea percenſere, quæ verecundiæ repugnant,
ut, quod fœminæ maritandæ nudas ſe conſpiciendas procis
præbere, quod uxores virorum communes eſſe debeant.
Hic laudes expenduntur, quibus moralem Platonis Philoſo- 14.
phiam Dacerius ornavit, quæ quidem prorſus hyperbolicæ No-
ſtro habentur. Inter alia cum Dacerius dixiſſet, etiam humi-
litatis præceptorem fuiſſe Platonem, Noſter contendit, Orige- 15.
nis & Auguſtini nixus ſuffragio, humilitatis præcepta primum
omnium dediſſe, ſuoque exemplo corroboraſſe Chriſtum. Sane
hac in re multos Noſter ſibi habet conſentientes, qui ſtatuunt,
humilitatem eſſe extra numerum earum virtutum, quas Ratio
homini præſcribit. Quibus idem videtur accidiſſe, quod my-
ſticis Theologis, qui nova virtutum nomina in Scriptura S. de-
prehendentes novas res inveniſſe ſibi viſi ſunt, mirificasque
animo ſuo concepere ſpecies. Hac de cauſa tam ſublimia ſci-
licet philoſophantur, v. g. de abnegatione ſui, cum tamen il-
la nihil ſit aliud, quam quod Philoſophi vocant pravarum cu-
piditatum ſuppreſſionem. Etſi proinde *humilitatis* nomen
apud Philoſophos non deprehendatur, rem ipſam tamen & illi
docuerunt, & Ratio dilucide proponit. Cum enim humilitas
erga Deum in eo conſiſtat, ut ſuam homo voluntatem divinæ
ſine ulla exceptione ſubmittat, annon hoc dictamen Rationis
eſt? Porro nonne Ratio jubet juſtis imperantium mandatis
promte parere, eosdemque ſumma colere obſervantia & reve-
rentia? At id Chriſtiani vocant humilitatem erga imperantes.

Denique annon Rationis lex eſt, ut alterius quisque commodis propter humanæ naturæ communionem diligenter inſerviat, nulla aut alterius tenuitatis, aut ſuæ fortunæ ratione habita? Quid vero aliud præcipit Scriptura, ad humilitatem erga proximum nos exhortans? Et cum ad humilitatem etiam pertineat, ut quis modeſte de ſe ipſo ſentiat, ſuæque naturæ imbecillitatem ac vitia, fortunæ item viciſſitudinem agnoſcens ne efferatur animo, quis neget, hæc pariter vel a Philoſophis, vel ſaltim a Ratione doceri & identidem ingeminari crebris ſermonibus? Sed redeamus cum Autore noſtro ad Platonem, cujus de bonis rebus in ipſius libris obviis ſententias Patrum ſtudioſe ediſſerit.
Cap. 15. * Crediderunt illi nimirum, Platonem optima quæque accepiſſe ex libris ſacris, ſive ipſe legerit eos, ſive ex traditione hauſerit, ſed ea multis corrupiſſe erroribus. Hinc ſequi Noſter exiſtimat, Patres nil minus fuiſſe, quam Platonicos, cum ne bona quidem Platonis ſimpliciter laudent, ſed, eum ex S. Scriptura ſumſiſſe ea & corrupiſſe, contendant.
16--19. Tandem copioſe docet, Patres Philoſophiam Platonicam rejeciſſe ab effectu, quod ſcilicet comparata cum Chriſtianismo paucos eosque moribus depravatos pleroſque habeat ſectatores. Quare ex Patribus inſtituit comparationem doctrinarum Chriſti & Platonis, ac utriusque proponendi modi.

Lib. IV. Cap. 1. Libro quarto ad objectiones reſpondet, vulgarisque ſententiæ fundamenta labefactare nititur. Fatetur enim, plurimos & Catholicos & hæreticos ſcriptores Platonismum tribuiſſe Patribus. Cujus rei quatuor ait fuiſſe cauſas. Nam primum, cum Chriſtiani poſterioris ætatis doctores ſecuti fere ſint Ariſtotelicam Philoſophiam, facile creditu eſt, Patres etiam peculiari cuidam ſectæ, & quidem Platonicæ, fuiſſe deditos. Deinde aucta eſt hujus opinionis fides ex eo, quod Patres Platonem, ejusque Philoſophiam magna paſſim ornarunt laude. Tertio ſcriptores quidam nonnullas Patrum expreſſiones de S. Trinitate retulerunt ad Philoſophiam Platonicam. Quarto denique inimici divinitatis Chriſti, Patrum auctoritate circa

* NB. *Numerus Cap. 15 bis per errorem poſitus eſt in opere Autoris, quod in Lectoris gratiam monendum fuit.*

ca dogma de Trinitate in anguſtias redacti, auſi ſunt illud myſterium traducere pro doctrina mere Platonica. Primum horum cum ſupra jam refutarit Autor, hic breviter tantum rationes ſuas repetit. Tum reſpondet ad laudes, Platoni a Patribus tributas, quas nihil eſſe ait ad cenſuras eorundem de Platonis Philoſophia, eamque ob cauſam rurſus ad ſupra dicta provocat. Tres autem potiſſimum Eccleſiæ Patres nimiæ venerationis erga Platonem vulgo accuſantur, Clemens Alexandrinus, Juſtinus Martyr, atque Auguſtinus. De Clemente id ſumma vi contendit Jo. Clericus, cum quo ferme ſolo manum in quarto hoc libro Autor noſter conſerit, eum jam pag. 1 ſui Operis adverſarium ſibi eligens. Primo itaque confutat Clericum, quod dixerit, unum ex Clementis præceptoribus fuiſſe *Ἰωνικὸν*, id eſt, Jonicæ ſectæ addictum: cum tamen appellatione illa patriam ſignificari inde liqueat, quod idem Clemens eodem loco ceterorum ſuorum magiſtrorum patriam commemoret. Porro reprehendit Clericum, quod ſibi non conſtans, ex Clemente modo Jonicum Philoſophum, modo Stoicum faciat, modo Eclecticum, dicatque, eum omnis generis dogmata philoſophica admiſiſſe, quæ ei cum doctrina Chriſtiana non plane *ἀσύςατα* viderentur. Notat præterea Clerici methodum in imputandis Clementi erroribus Philoſophorum. Nimirum cum Clemens docet, multas Philoſophorum opiniones originem trahere ex Scriptura S. male intellecta, Clericus protinus has ipſas opiniones ipſi Clementi facit proprias. Id oſtendere Noſter conatur ex Clerici probatione, qua Clementi dogma tribuit de æternitate materiæ. Eundem eadem probaſſe methodo oſtendit, Clementem Platoni prophetiæ quandam ſpeciem tribuiſſe. Ubi docte ac ſolide probat, in Clementis lib. V Strom. pro *προφητικῶς* legendum eſſe *ποιητικῶς poetice*. Hinc de laudibus Platoni ab Juſtino Martyre tributis agit, negans, inde conſequi, eum poſt converſionem ſuam fuiſſe Platonicum, cum conſtet, eum graviſſimorum errorum Platonem accuſaſſe. Loca quoque producit, unde Clericus probatum it, Juſtinum fuiſſe Platonicum: eumque refutat. Ad Auguſtinum hinc progreſſus docet, propterea

Marginal notes: Cap. 2. (beside "tiones ſuas repetit…"); 3. (beside "moret. Porro reprehendit…"); 4. (beside "Id oſtendere Noſter…"); 5. (beside "Clementis lib. V Strom…"); 6. (beside "Clericus probatum it…").

Digitized by Google

eum amplioribus, quam quidem ſuperiores Patres, laudibus proſecutum eſſe Platonem, quod Platonica ſecta ſuo ævo fere exſtincta eſſet, quod item Plato cum reliquis Philoſophis comparatus melior videretur. Addit, hanc ipſam ob cauſam Auguſtinum ſibi Platonem potiſſimum ſumſiſſe confutandum,
Cap. 7. tanquam Philoſophorum Principem: & ſimul Clerico, Platonismi accuſanti Auguſtinum, reſpondet. Speciatim agit de dicto Auguſtini lib. VII Confeſſ. cap. 9, ubi dicit, ſe in Platonicorum libris inveniſſe totum initium Evangelii Joannis.
8. Noſter probat ex Patribus, juniores Platonicos illa verba Joannis furto ſubducta ſuos in libros tranſtuliſſe. Nec negat, Auguſtinum, quæ bonæ frugis inveniſſet in Platonicorum libris, in uſum ſuum convertiſſe: ſed errare eos pronuntiat, qui hinc concludant, ipſum fuiſſe Platonicum. Unde loca Au-
9. guſtini affert, quibus is declarat diſcrimen inter Scripturæ Sacræ & Platonica dogmata. Cum vero Clericus ſuæ ſententiæ præſidium inveniat in recentiorum ſcriptorum auctoritate, qui, Patres fuiſſe Platonicos, conſenſere: Noſter negat, ho-
10. rum auctoritatem opponi poſſe contrariis Patrum ipſorum iisque liquidiſſimis teſtimoniis. Nec proinde veretur, Petavium de Patrum imitatione Platonica in dogmate Trinitatis diſſerentem notare, ejusque ſententiam, quam quidem & inter-
11. dum commodiorem in ſenſum trahit, refellit falſiſſimamque pronuntiat. Hiſce præſtitutis, Socinianorum opinionem, quod Trinitas ſit dogma mere Platonicum & inde in Eccleſiam invectum, refutaturus, meminit libri a nobis ſupra jam commemorati, (*le Platoniſme dévoilé*,) cauſamque, cur eum non ſuſceperit hoc loco confutandum, hanc affert, quod ſit opus confuſum, unde idcirco parum periculi immineat veritati. Ceterum cum Clerico ſe congreſſurum ait, quod ille (Epiſt. Crit. I & VII, item Tomo X Biblioth. Univ.) probabilibus rationibus Lectori ſuo fucum faciat. Cum igitur Clericus non ſolum ſtatuat, in ipſo Novo Teſtamento haberi permultas phraſes Platonicas, ſed & doceat, Chriſtianos novos ex Schola Platonica egreſſos magnam ſibi viſos eſſe concordiam inveniſſe inter Platonis & Apoſtolorum dogmata: Noſter poſterius refu-

Digitized by Google

refutat argumentis jam ſupra expoſitis, quod ſcilicet primis Chriſtianismi temporibus nulla fuerit ſecta Platonica, ſed Plotini demum tempore ſit e tenebris in lucem revocata. Cap. 12-17.
Hinc magna contentione Clericum confutat dictitantem, Patres putaſſe, Chriſtianam Trinitatem & Platonicam eſſe unam eandemque. Probat, hanc nunquam fuiſſe Patrum ſententiam, & ex locis Patrum a Clerico allatis id non poſſe confici. Inter hæc oſtendit, Cl. Clericum peſſime non modo ratiocinatum hic eſſe, & miſere deduxiſſe conſequentiam, ſed & minus ſincerum ſe gerere in interpretandis Patrum dictis. Illud notatu digniſſimum eſt, quod Noſter probat, Chriſtianos ſuum dogma de Trinitate haud ſane hauſiſſe ex Platone, ſed contra Platonicos juniores, ſimias propterea a quibusdam Patribus appellatos, Trinitatem quandam tradidiſſe imitatione Chriſtianorum, eo conſilio, ut ſectam ſuam in dies magis labantem invaleſcente Chriſtianismo ſtabilirent. Nam, ſi Noſter non fallitur, nec Plato, nec ullus antiquorum Platonicorum tria illa principia divina aut Trinitatem in Deo ſtatuit: nec quisquam ſcriptorum veterum, qui locuti ſunt de Platonis Theologia, e. g. Cicero, Ariſtoteles, Plutarchus, Diogenes Laertius, Apulejus, unquam Platoni tribuit dogma de Trinitate, aut 19.
de tribus principiis in Deitate. Ceterum ſingulari capite Autor noſter Platonicorum varias explicationes trium illorum principiorum proponit, & ex collatione oſtendit, quæ Patres dixere de Trinitate Chriſtiana, ea nullam habere cum Plato- 18, 20.
nicorum hypotheſibus convenientiam. Cum porro Clericus ſtatuat, Patres de Divinitate Chriſti loquentes Platonicis loquendi modis uſos eſſe, eum Noſter confutat, docens, loca Lactantii ac Tertulliani a Clerico eum in finem allata, mala 21.
fide ab ipſo explicari. Tandem Autor noſter, refutans Clerici epiſtolam Crit. VII, rurſus probat, falſo ibi tradi, quod Patres doctrinam Platonicorum de tribus principiis convenire 22, 23, 24.
putarint cum Trinitate Chriſtianorum: & contra eundem demonſtrandum ſuſcipit, Platonem notitiam habuiſſe librorum ſacrorum, & inde ſuam in Philoſophiam nonnulla adſciviſſe, uſus Patrum Eccleſiæ, Judæorum ac Gentilium teſtimoniis.

Digitized by Google

LES REGLES DU DROIT CIVIL.

id eſt:

REGULÆ JURIS CIVILIS EODEM ORDIne propoſitæ, quo leguntur in ultimo Digeſtorum titulo, in Gallicum ſermonem translatæ, cum explicatione & Commentario in ſingulas Regulas, & binis Indicibus, altero textuum Juris explicatorum, altero materiarum, a J. B. DANTOINE, Doctore Juris, Advocato Parliamenti & Judiciorum Lugdunenſium.

Lugduni, apud Leonardum Plaignard, 1710, in 4 maj. Alph. 3 plag. 13.

Juris Civilis Romani quanta fuerit dudum, hodieque ſit apud Gallos dignitas auctoritasque, non magis conſtare poteſt, quam ex ſummorum in Gallia Virorum operibus, quibus Romanæ leges inſigniter illuſtrantur. Laudes minime invidendæ ſunt Cujacio, Dionyſio & Jacobo Gothofredis, aliisque cum antiquioribus tum recentioribus JCtis Gallis, quod ad excolendam prudentiam Juris potiſſimos contulerint labores, quibus multum etiam debeant Germani. Sed & noſter, quem producimus, Autor in explicandis Regulis Juris præeuntes quidem habuit egregios commentarios Gallorum, Italorum, Germanorum, Belgarum, laude tamen ſua non defraudandus, quod unumquemque textum vernacula lingua reddiderit cum commentario perſpicuo, adeo ut Gallicæ linguæ periti in evolvendo hoc Autore operam ſint impenſuri non pœnitendam. Queritur Autor in Præfatione, pleroſque Commentatores leviter hunc titulum tractaſſe: ſe vero, etſi ea non ſit vanitate, ut neque ſuos agnoſcat nævos neque aliorum merita, daturum operam, ut uniuscujusque regulæ tradatur verus & ſenſus & uſus. Tum de utilitate regularum in genere dicturus, nullam eſſe ait ſcientiam, quæ careat propoſitionibus generalibus, ad quas ſpeciales reducantur. Adeoque & Juris prudentiam ejusmodi generalibus principiis ad definiendos caſus infinitos, de quibus ſpeciales leges ferri nequeant, opus habere. Ea vero principia vocari regulas. Credibile non eſſe,

Digitized by Google

eſſe, tantos JCtos, boni & æqui diſpenſatores prudentiſſimos, regulas fuiſſe conditaros, niſi perſpecta earum utilitate. Eſſe itaque Regulas Juris baſin & fundamentum ædificii, cujus ceteri textus ſint tigna. Legum deciſiones eſſe terminis anguſtioribus comprehenſas, Regularum vero nullas, unde non omnes leges regulas poſſe dici, ſed vice verſa omnes regulas legum nomine venire. * Præterea brevitate ſua & vi verborum ampliſſima commendari regulas, cum acceptior ſemper ſit locutio brevis, quam diffuſa. Hinc non ſufficere, ut aſſequamur regularum ſenſum, ſed eſſe neceſſarium, ut memoriæ infigantur, quo magis ſint præſto ad explicandam legum obſcuritatem. Itaque ſtudium regularum, teſte P. Fabro & Cujacio, non ſolum eſſe juvenum, ſed inprimis etiam Profeſſorum, Advocatorum, Judicum, Magiſtratuum. Porro, quoad uſum regularum, non ſufficere exiſtimat Autor, ad Juris prudentiam axiomaticam excolendam, uſum rationis naturalis, ſed peculiari ſtudio eſſe opus ad reſolvendos textus obſtantes, caſus ſub regula comprehenſos decidendos, aliosque ſecernendos, ad diſtinctam Juris ſtricti & æquitatis applicationem. Nullum hominum ea vi judicii natura eſſe præditum, ut de quacunque re ſine principiis cuique diſciplinæ propriis judicare valeat. Neque Theologos naſci, neque Medicos, neque JCtos. Rationem naturalem gradum primum tantum eſſe ad addiſcendas diſciplinas. Tandem de methodo: ſecutum ſe eſſe Autor dicit cum aliis ordinem regularum in Digeſtis, etſi ſine ordine digeſtum. Eſſe enim arbitrarium, cum potius laborandum ſit de regulis addiſcendis, quam de diſponendis. Collocatum autem fuiſſe titulum in fine Digeſtorum, non quod parvi eſſet momenti, ſed quod caput eſſet operis, cui toto in Corpore Juris nihil ſit comparandum. Neque quidquam in eo proponi, quod ſit inutile vel obliteratum. Abſtinuiſſe ſe Autor gloriatur a mentione legum, quæ cum regula nihil habeant commune, idque inprimis culpat in Jacobo Gothofredo, qui elegantisſimus Juris interpres Autori noſtro plane diſplicet, quod in explicandis Regulis ad Commentarios JCtorum veterum, ex quibus regula ſit excerpta, animadverterit.

Digitized by Google

terit. Quo facto ſpecies falſas regulis fuiſſe applicatas, & in erroneas opiniones lapſum Gothofredum. Invehitur etiam in eundem Autor, quanquam immerito noſtra ſententia, quod ſcientiam quidem Juris oſtenderit, ſed confuſam, & ſtylo uſus ſit barbaro atque ad explicanda Juris principia parum accommodato. Alios Interpretes ordinem neglexiſſe, alios ſenſum regulæ non aſſecutos, in exemplis alios deficere: ſibi veritatis unicam fore curam. Deinde quod in Gothofredo reprehenderat, ipſe de ſe excuſat, ſtylum impolitum, cui non adeo, quam rei, dederit operam. Alias leges addit Juris Romani, ut & Gallici, (quod poſtremum tamen rarius occurrit) a ſe eſſe explicatas occaſione regularum. Sententiam cujusque textus verbis adhuc brevioribus Latinis ſubjunxit textui cuique. Ex his, quæ dicta ſunt, obſcurum non eſt, Autorem in ea verſari opinione, quod titulus Digeſtorum, qui de Regulis Juris inſcribitur, opus ſit abſolutiſſimum, qua quidem in re dubitamus, an multos ſit habiturus conſentientes. Sed neque illam Autoris ſententiam omnibus probatum iri exiſtimamus, quod adeo generalis ſit regularum omnium ſenſus, ut male ad ſpeciales applicentur Juris materias. Ceterum in Commentatione ſua Autor peritiam Juris oſtendit non minimam, ſequitur tamen interpretationes communiores aliorum, addita interdum, ſed parcius, meditatione propria. Sæpius taxat Gothofredum, eique non ubivis ratione valida contradicit. Cujus rei nonnulla afferamus exempla. *Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata ſunt*, ait L. 188 de R. Jur. Legem intelligit Gothofredus publicam, non privatam ſeu conventionem: de hac enim L. 27 de Obl. & Act. ſtatuere: adeoque ſpeciem hujus textus propriam eſſe materiam legatorum, de qua Celſus in L. 17 Digeſtorum egerit. Autor contra univerſalem putat eſſe regulæ ſenſum, prioremque ſententiam ſoli Gothofredo propriam. Rationem addit non aliam, quam quod in negotiis aliis eadem obtineat diſpoſitio, quod tamen Gothofredus non negat, ſed, ut ſua cuique regulæ daretur ſpecies, operam navare voluit. Non ſequitur, ait Autor in Præfatione, Celſus in Digeſtis egit de legatis, ergo regula excerpta de

Digitized by Google

de legatis ſolum eſt intelligenda. Digeſta dicuntur o b plures materias ibi tractatas, ergo etiam de aliis materiis egiſſe Celſum, eſt apertum. At Gothofredus non de toto Celſi Commentario, ſed de Libro XVII affirmat probatque, egiſſe unice de legatis. Ad L. 7 de R. Jur. Gothofredus verba *in paganis* cum aliis Interpretibus intelligit non de *perſonis* ſed de *bonis*, ut hic ſit regulæ ſenſus: in caſtrenſibus bonis militi permiſſum eſſe decedere partim teſtatum, partim inteſtatum, nequaquam vero circa bona pagana. Sententiæ hujus veroſimilitudo adjuvatur etiam aliis exemplis, quibus militibus non eſt permiſſum, jure militari teſtari: & ratione, quod levi ſenſu milites teſtamenta in acie ordinare atque in extremis periculis bona in commilitones erogare ſoleant, nullo ad liberos vel proximos reſpectu. v. L. 16 de caſtr. pecul. Quam libertatem coercendam intra ſuos fines fuiſſe cenſet, idque non immerito factum hac lege. Neque alium eſſe ſenſum L. 6 de teſtam. milit. & §. 5 Inſt. de Hered. inſtit. Sequitur Gothofredum Schilterus Prax. Jur. Rom. Exerc. 38 §. 40. Autor noſter contra nullam admittit diſtinctionem, quia leges non diſtinguant. Ad theoriam Gothofredi nihil reponit. Legem 191 h.t. Gothofredus de eo beneficio Principis intelligit, quo nuptiæ contra leges contractæ legitimæ eſſe jubentur, de qua indulgentia peculiare fuerit caput in L. Julia Papia, ad quam Celſus L. 33 Digeſtorum fuerit commentatus. Neque fundari in hoc textu diſtinctionem inter privilegia perſonalia & realia, de qua L. 68 h.t. loquatur & L. 191 eod. adeoque indulgentiam Principis per hanc L. 191 effectu carituram, ſi data eſſet defuncto, qui vivus eſſe putabatur. Eandem legem applicat ad caſum, quo inteſtabili Jus teſtandi a Principe fuerat conceſſum. Lege Julia Papia conjuges non potuiſſe mutuo ſuccedere, ſi contraxiſſent nuptias contra leges, ſi nullos ſuſcepiſſent liberos, ſi maritus privati compendii gratia diutius ab uxore abfuiſſet. Ergo ſi contra hanc legem poteſtas inſtituendi conjugem data fuiſſet conjugi quaſi vivo, nullam fore teſtamenti vim, probat Gothofredus. Omnia hæc, vulgarem interpretationem ſecutus, improbat Autor noſter, & frivolas eſſe ſpecies allatas dicit. Rationes addit ſequentes: 1 quia Lex Julia

Papia (Papia Poppæa eſt in Autore) dudum in eo articulo fuerit abrogata: 2 quia indignum ſit Principe ſummo, ſolicitum eſſe de matrimoniorum validitate, de qua judicium potius ex legibus communibus ſit deſumendum: 3 lite de validitate matrimonii exorta prædefunctum ad ejus firmitatem nihil contribuere. Leviores eſſe has rationes & a ſubſtrata materia plane abire, neque urgere Gothofredum, Lector facile animadvertet. Atque ex jam dictis Autoris agnoſcet hypotheſes, modumque tractandi, cujus ceteroquin induſtriæ & labori nihil volumus detractum.

EXCERPTUM E LITERIS CHRISTOFRIDI WÆCHTLERI JC. ad J. B. M.

EXtat in locupletiſſima Bibliotheca Saxo-Cizenſi prima ipſa Gregorii Haloandri Editio Novellarum Juſtiniani Græco-Latina Norembergenſis MDXXXI, quam ille D. JULIO CÆSARI PFLUG, V. CL. NOB. DOCT. PATRONO BENEMERENTI, eodem anno literis deauratis inſcripſit. Reperias ibi non pauca, quæ circa Novellam primam, a Dn. Hombergio, JC. & Profeſſore Marpurgenſi celeberrimo, tentatam, merentur expendi. Sic enim c. 1 *εἰ νόμιμον εἴη, ἢ μή τις αὐτὸ νόμος κωλύσειεν, ἢ εἰ καὶ μὴ γένοιτο*, plane ut in Pariſienſi anni 1542. Sed mirum hic eſt, Fabrotum, quum A. 1647 Opus Baſilicorum, cum Novellis Græco-Latinis, Pariſiis ederet ex Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi, non ſecutum fuiſſe Editionem Pariſienſem priorem 1542, neque cauſas attuliſſe, quare codices alios huic prætulerit, & quinam fuerint illi. Neque enim diſſimulavit Suareſius in Notitia Baſilicorum, operi præmiſſa & Romæ ſcripta 1637 ad Urbanum IIX, Novellas has Græce non fuiſſe viſas, donec eas Haloander 1531 ac deinde Pariſiis 1542 ederet. Debebat igitur comparatio omnium illorum codicum, qui ab illo tempore in Bibliotheca Regia eſſent reperti, accurata inſtitui, ac doceri, qua fide alter alterum ſuperaret, & cujus demum lectio in Opere Baſilicorum præ ceteris fuerit retenta. *Novellarum*, inquit ibi Suareſius, *S. Bernhardus meminit in libris ad Eugenium Papam*, Credo reſpici

ſpici ad verba libri primi de Conſideratione ad Eugenium III: *quotidie perſtrepunt in palatio Tuo leges, ſed Juſtiniani, non Domini. -- Hæ autem non tam leges, quam lites ſunt, & cavillationes ſubvertentes judicium.* Pervelim alium ex quinque illius libris de Conſideratione oſtendi locum, qui magis huc pertineat. Atqui ſeculo etiam nono, diu ante Bernhardum, qui vixit ſeculo XII, (natus non 1901, quod eſt apud Caveum, ſed 1091,) leges Romanas a Juſtiniano promulgatas, Eccleſia non improbabat omnes, teſte Hincmaro. Fabrotus autem ſatis habuit monuiſſe, quod in Novellis vertendis uſus ſit interdum veteri Interprete, ſed & Gregorio Haloandro, & Juliano epitomatore. De Græcis Codicibus nihil. Conferam igitur Noricam ulterius cum Pariſienſi Haloandrina, in locis hactenus a Dn. Hombergio in dubium vocatis. Similiter enim, ἀλλ' ἁρμόσαντα τῷ τετιμημένῳ --- ἑλκύσει, non ἁρμέσαντες. Et poſt pauca, καὶ ἄδεια παρεχέσθω, *& copia fiat*, non autem, καὶ ἄδειαν παρεχέτω Sic infra c. 2, τηνικαῦτα γὰρ ἄδεια ἔστω, *libera licentia pateat.* Porro in Norica περικλεισθέντα tranſtulit Haloander, *qui in legitimam duntaxat partem per hanc legem concluſus eſt.* Et quanquam ſequatur, *qui noſtra jam lege excluſus eſt*, ſalva tamen illa id accipiendum. Nunc vero diſcors ſit lectio. Norica enim, ὥστε πρότερον δίδοσθαι παρρησίαν τῆς προσελεύσεως τῷ καθ' ἑμάδα φιδεϊκομμισσαρίῳ. Pariſienſis vero, ὥστε πρότερον -- τῶν καθ' ὁμάδα τῷ φιδεϊκομμισσαρίῳ. Sed leve dixeris hic ſubeſſe mendum in Pariſienſi, & pro τῶν ſemel legendum τῷ, omiſſo altero. Sicut Fabrotus, τῷ καθ' ὁμάδα λαμβάνοντι τὴν ἀποκατάστασιν. Sequitur enim, ἢ πλειόνων ὄντων, hactenus ergo ſermo erat de uno. Et mox, εἰ δὲ ἢ οὐκ εἴη τις καθ' ὁμάδα τετιμημένος, ἢ οὐ βούλοιτο. Obſcura autem jam fiunt reliqua in utraque Editione, εἰ δὲ μὴ δεὶς εἴη τῶν ληγαταρίων τῶν καθ' ὁμάδα, ἢ καὶ καθ' εἶδος. Si nemo enim exiſtat fideicommiſſarius univerſalis, ſed parem omnes fortunam obtineant, nemoque adeo poſſit præferri, quis præferetur ergo? Manſit haud dubie Imperator in eo ordine, quem hactenus tenuit: ut, nemine exiſtente fideicommiſſario univerſali, perveniatur ad eos, quibus

majus legatum vel majus fideicommiſſum ſpeciale relictum. Porro, ſi ne quidem adſit fideicommiſſarius particularis, cui major pars hereditatis, vel legatarius, cui majus legatum relictum ſit, ſed omnium par ſit cauſa, tunc hi omnes, vel qui ex iis voluerint, vocentur. Sumta hinc eſt Authentica *Hoc amplius* C. de fideicommiſſis. *Defertur primo ſubſtitutis, mox ordine ſervato coheredibus adeuntibus, vel generali fideicommiſſario.* Legatarius autem *in parte potiori*, idem eſt cum Legatario *majoris emolumenti.* Vidit hæc Cujacius. *Sed*, inquit, *qualis inter eos ordo dabitur? Is nimirum præfertur, cui uberius legatum aut fideicommiſſum* (particulare) *relictum fuerit, vel ſi par ſit omnium cauſa, omnes ſimul ad hereditatem venient.* Ergo abundant reliqua. Quid fiet autem de textu Græco? Ex multis ait Carolus Molinæus ſe deprehendiſſe, codicem illum Græcum, quem Haloander Latinum fecit, fuiſſe transſcriptum ex libro privato cujusdam Græci ſcholaſtici vel ſtudioſi juris, qui in libro ſuo, proprii uſus gratia, multa ſuper textu & in margine annotaverat: quæ omnia ſucceſſione temporis deſultaverint in contextum ipſius literæ textualis, quem Haloander, Grammaticus magis bonus quam JCtus, cum mendis ſuis ad verbum tranſtulit. Longo inquam & aſſiduo ſtudio hæc deprehendiſſe ſe teſtatur Molinæus. Tentavit igitur non nemo, εἰ δὲ μηδεὶς εἴη τῶν ληγαταρίων, ἢ καὶ κατ' εἶδος, μείζονι μοίρᾳ τετιμημένος ἢ πρεσβείῳ, ἀλλ' ἅπαντες. Hic omittitur, τῶν καθ' ὁμάδα, *fideicommiſſariorum univerſalium.* Præſupponuntur enim utique adeſſe, ceu μιμήματα heredum, & de iis ſtatim dicitur, τηνικαῦτα προκρίνεσθαι μὲν καὶ οὕτως τοὺς καθ' ὁμάδα φιδεικομμισσαρίους, *etiam tunc præferri fideicommiſſarios univerſales particularibus & legatariis, ſi velint id, quod in teſtamento cavetur, exequi.* Ulterius firmat Norica, Ὁμοίως δὲ inchoare novum comma. Et πρόφασις non modo prætextum, ut ſæpe apud Ariſtophanem, ſed & materiam indicat. Gloſſarium Stephani, πρόφασις *occaſio, materia, cauſa.* Heſychius πρόφασις, ἀφορμή. In fine igitur c. 1 non prætextum notabit, ſed objectum. Bene enim Dn. Hombergius, *quod attinet, quoad.* Jam iterum conſentit Norica, καὶ εἰ μὴ

παρὰ

παρὰ τῦδε τῦ νόμυ, omiſſo τῆς, nec ideo vertendum, *& niſi ab hoc auxilio hac lege potiatur*, ſed, *& niſi ab hac lege auxilium accipiat*. Sic apud Ariſtotelem, τυγχάνειν βοηθείας, *auxilium impetrare*. Et Cap. 2, ἔχειν τὴν ἐκ τῦ Φαλκιδίυ βοήθειαν, *beneficium legis Falcidiæ habere*. Nunc iterum deprehenderet opinor Molinæus, τὴν τρίτην μοῖραν ex c. 1 migraſſe in caput ſecundum de Falcidia, atque inde factum τὸ τρίτον ἢ τὸ ἥμισυ. Vapulat hic paſſim Hieronymus, ſive quod perperam verterit locum Euſebii in Chronico, ſive quod de ſuo addiderit quædam. Ac certum eſt, Hieronymum non ubique transtuliſſe Græca Euſebii pari acrimonia, ſecundum cenſuram doctiſſimi Clerici, quæſtione Hieronym. 3 p. 52. Dixit tamen pro defenſione ejus non pauca Dn. Schilterus Exerc. 39, 130, tum vero, illum vocabulo legis Falcidiæ uſum fuiſſe, uti tunc Attaliatæ & Pſello conſuetum. Atenim Hieronymus ſeculo quarto multum anteceſſit Græcos iſtos recentiores. Rectius dicam, additamentum illud, quod impugnatur, plane non eſſe vel Euſebii vel Hieronymi. Uterque enim ſeculo quarto ignorabat Leges Juſtinianei ſeculi olim ſexti. Quod noſtris JCtis non fuit obſervatum. Putabant ergo, ſolum Hieronymum teneri de omni additamento, undecunque & a quocunque id fuiſſet Euſebio aſſutum. Scaliger autem pridem annotaverat, a maleferiatis hominibus profectum totum iſtud augmentum, & ideo a ſe merito expunctum. Pergo. Conſtanter Norica, ὖκ ἂν ἴσως ἁρμόσαντα. Nec tamen ſenſus eſt, Falcidiam non competituram, ſi heredes nihil dolo ſurripuiſſent. Contrarium enim dicit textus. Mens potius, non eſſe tentandum, ut per ea, quæ ſubtraxerint per fraudem, Falcidiæ aliquid adjiciatur; cum tamen, niſi fraus facta eſſet, illa forte non competerent, quæ ita quantitati Falcidiæ fuerint adjecta. Similiter καί τοι γε in Præfatione vertit Dn. Hombergius. Nervus autem eſt in voce εἰσάγειν, quaſi ἐπεισάγειν, *ſuperinducere, aliunde aſciſcere*. Sic c. 3 in fine, πλὴν εἰ μὴ δίκαια τις αἰτία τῦτο εἰσαγάγοι, quod præter opinionem ſcilicet emergebat. Sed & firmat Norica, τῦ χρῆναι, καὶ τὸν τοιῦτον εἰδέναι. Nam illud καὶ deeſt Baſilicis. Iterum, ἀποκειμένυ καὶ τύτοις

ληγατα̃ρίοις. Poſt verbum *κερδᾶναι* hiatus eſt in Norica Editione Græca, qui indicatur in medio paginæ, * *λείπει* * usque ad illa, *ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ὁδόν.* Latinam autem verſionem integre exhibuit Haloander. Nec apparet, unde textum Græcum ſuppleverit Editor Pariſienſis 1542. Nam in Baſilicis 1647 denuo idem occurrit hiatus; quaſi Fabrotus non habuerit eo tempore Pariſienſem 1542. Auguſtinus contra fere omnia, quæ in Norico deſunt, ait ſe deſcripſiſſe ex pervetuſto Codice Veneto. In illo ſupplemento habet Pariſienſis, *καθαρᾶς καὶ ἀκριβοῦς σκέψεως.* Quod non damnes. Sic apud Platonem de Legibus, *σκέψιν πᾶσαν ποιήσασθαι*, *diligentiſſime conſiderare, & animo expendere.* Et in textu noſtro innuitur potius ſimiliter judicium teſtatoris minus deliberatum, quam tenor ipſe ultimæ voluntatis. In verbis autem ſequentibus recte legit etiam Pariſienſis, *εἰ μέντοι ῥητῶς ἐπισκήψειε*, *ſi vero expreſſe diſpoſuerit teſtator.* Utraque editio cap. 3, *εἶτα μεταβαλεῖν πρὸς ἀγνωμοσύνην*, *tunc demum convertere ad iniquitatem.* Cap. 4 Norica, *εἴσω παντὸς ἐνιαυτοῦ*, ſimiliter Fabrotus. In erratis Noricæ autem monetur legendum, *πάντως εἴσω ἐνιαυτοῦ.* Et ita Pariſienſis, *omnino intra annum.* In Epilogo *κεκοιμημένοις*, *mortuis*, Norica & Pariſienſis, non *κειμένοις*, uti Fabrotus. Utraque etiam, *μήτε ἐν ῥαθυμίᾳ.* Eadem pene ratione Robertus Stephanus in Præfatione ad Dionem Caſſium pro *ἀθυμότερον* ſcribit *ῥαθυμότερον*, quia victoria milites reddit negligentiores. Ex his ergo ſatis conſtat, duas noſtras editiones Novellarum rem non conficere, ſed eundum eſſe ad eos, qui ad clavum ſedent rei literariæ, ut recludantur abſcondita MStorum vel antiquiorum ſaltem codicum. Mirabar enim, in tota illa Palæographia Græca Bernhardi de Montfaucon, ubi maximo numero MSC. codices Regii librorum ſacrorum & bonarum artium utriusque linguæ afferuntur, nihil deprehendi in rem Jurisprudentiæ, niſi forte Conſtantini Harmenopuli promptuarium, e codice regio 2521 bombycino. Deinde indicem Conſtitutionum Sicularum Friderici II. A Sacerdote autem & monacho Benedictino quantumcunque docto ac ſedulo, non videbatur poſtulari

poſſe

Digitized by Google

poſſe plena inveſtigatio ac recenſio earum membranarum, quæ ad jura Romanorum pertineant. Itaque nihil ibi de Baſilicis, etiam ubi agitur de Baſilio Macedone. *Rem*, inquit, *mittimus iis, qui regia Bibliotheca deſcribendæ operam navant.* Quid a Joanne Boivinio, altero illius cuſtode, ſperandum ſit, æque non liquet. Montfauconius tamen inſigniter laudat Virum illuſtriſſimum, *Dominicum Paſſioneum*, qui anno ætatis vix vigeſimo & quarto Græcis Latiniſque literis apprime ſit eruditus, & Bibliothecam numeroſam MSC. editorumque poſſidens, quibusvis literariæ rei operam dantibus nec rogatus offerat, quæ vel penes ſe habeat, vel amicorum ope nanciſci poſſit. Et felici præterea omine factum eſt, ut illuſtriſſimi Præſidis in ſupremo Divionenſium per Burgundiam Senatu, Diſſertatio de priſcis Græcorum ac Latinorum literis, ea occaſione publici juris ſimul fieret. Quandoquidem enim is profitetur, *ſe Muſas colere ſeveriores*, h. e. quæ Jurisprudentiam ornant, ab iſto Muſarum Præſide pollicebitur ſibi tum Gallia doctior, tum univerſus cultior orbis, quidquid cuiquam parti noſtræ ſcientiæ pridem defuit. Atque tunc juſtiſſimis titulis deprædicabunt, quem hactenus, unico iſto erudito ſpecimine permoti, velut in monogrammate J. B. venerantur omnes.

DE B. HIERONYMI COMMENTARIO MSPTO in Jobum, qui Amſtelodami in Bibliotheca MARCI MEIBOMII exſtat.

MIſit nuper ad nos Vir Cl. Hadrianus Relandus, cujus non ſemel honorificam in his Actis fecimus mentionem, Excerpta quædam ex Commentario MS. Hieronymi in Jobum, eaque Actis noſtris inſeri cupivit eo conſilio, ut eruditis hoc e ſpecimine judicandi copia fieret, ſitne is genuinus Hieronymi fœtus nec ne. Codex ipſe Trajecti Batavorum exſtat apud viduam Marci Meibomii hoc anno ibi defuncti, & præter hoc exemplum nusquam aliud reperiri creditur in bibliothecis Europæ. Teſtis eſt hæc vidua, Comitem d' Avaux, Legatum Regis Galliæ, marito ſuo aliquando decem millia florenorum Hollandicorum obtuliſſe pro hoc codice, nec tamen eum tanto

pretio

pretio ipſi venalem fuiſſe. Recordamur, Cl. Benthemium in *Deſcriptione Status ſcholarum Eccleſiarumque Batavicarum P. II cap. IV §. 89 p. 381* jam meminiſſe hujus Codicis, ac referre, Meibomium eum obtuliſſe Gallis editoribus Operum Hieronymi, ſed hos immenſo libri pretio, quod more ſuo ſtatuerat Meibomius, deterritos eſſe, quo minus eum emerent. Ceterum Relandus indicat, Codicem illum in membranis ſcriptum eſſe forma, ut vocant, folii: longitudinem foliorum eſſe quindecim & paulo amplius digitorum pedis Græci: latitudinem tredecim: integrum codicem habere paginas 239: folia tribus columnis eſſe diviſa, quarum media textus Jobi habeatur ex interpretatione Hieronymi, utrinque additis ejus commentariis. Scripturam idem teſtatur ſatis eſſe nitidam, ſed ob ſcripturæ compendia lectu difficiliorem. De ætate codicis nullam addidit conjecturam. Nos dimidiam Excerptorum illorum partem jam Lectoris conſpectui ſiſtimus, alteram cum brevi epicriſi Menſi reſervaturi proximo vel Supplementis. Viſum tamen hic nobis eſt, pauculas ſubjungere notas, quibus loca aliquot perperam vel in codice vel in tranſmiſſo exemplo ſcripta emendantur.

EXCERPTA EX COMMENTARIO MS. IN IOBUM, qui putatur eſſe S. Hieronymi.

Ex proœmio ad hunc commentariu.

QUædam hiſtorice hic dicuntur, & allegorice, & moraliter. Quædam nequeunt ad literam accipi, quia erronea eſſent vel impoſſibilia, vel a ſe invicem diſcordantia; ut, *ſub quo curvantur, qui portant orbem:* quaſi gigantes mundum vehant. Et: *elegit ſuſpendium anima mea:* quaſi tam patiens velit ſuſpendio vitam finire. Et: *pereat dies, in qua natus ſum*, &c. Aliquando, qui ſenſum literæ negligit, veritatis lumen ſibi abſcondit, dum intrinſecus aliud quærendo, quod eſt foris, perdit, dum de miſericordiæ operibus dicit: *ſi negavi, quod volebant, pauperibus.*

Divinus ſermo, ſicut *miniſteriis* (a) prudentes exercet: ita ſuper-

(a) Legendum *myſteriis.* Innuit enim ſenſum Scripturæ myſticum.

ſuperficie ſimplices refovet, quia eſt ut fluvius planus & altus, in quo equus ambulet, elephas natet.

Erranti homini data eſt lex: inobediens legi confunditur: exemplo maximi hominis, ſine lege qui legaliter vixit. Unde *erubeſce Sidon*, id eſt, ſtabilitas in lege poſitorum: *ait mare*, id eſt, gentilitas, quæ dum legem cuſtodit, auditores legis redarguit.

Dicitur Moſes hæc de Job, quaſi de antecedente ſcripſiſſe: quia in Geneſi legitur Jobab de Eſau deſcendiſſe, & Bela filio Beor in regnum ſucceſſiſſe. Sed mos eſt ſacri eloquii, in prioribus patribus breviter longe poſt ſecutura perſtringere, dum ad alia properat. Non igitur fuit Job ante legem, ſed tempore Judicum. Qui ipſe verius creditur geſta *victoria* * ſuæ ſcripſiſſe. Nec nocet, quod ait: *dixit* vel *fecit* hoc Job: quia mos eſt ſanctis, de ſe quaſi de aliis loqui. Spiritus enim eſt, qui loquitur in illis de ipſis, ſicut de aliis. Unde angelus Moſi modo angelus dicitur, qui exterius ſervit: modo dominus, qui interius præſidet. Unde & David: attendite populus meus legem meam. Non enim populus vel lex erat *David*, (b) ſed ejus, qui in eo loquitur.

Et a gentili, ſicut a Judæo, voluit prophetari, qui pro utroque populo venerat.

Infructuoſa loquacitas quaſi verborum folia a divinis reſecatur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Indignum eſt, ut verba cœleſtis oraculi reſtringantur ſub regulis Donati.

Virtus Job in quiete magna fuit ſibi nota & Deo, ſed flagellis commota, ut aromata, nobis redolet. Unde & fides grano ſinapis comparatur, quod non contritum lene eſt, ſed ſi conteritur, inardeſcit, &, quod latebat in eo, prodit. Unde in Pſalmo: *In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte declaravit eam.* Donum miſericordiæ, quod in diei quiete præcipitur, nocte adverſitatis manifeſtari dicitur. Flagellatur autem, ut & inter mala gratias agere ſciret: quod unum *profecto* (c) deerat. Quod ergo hoſtis ad malum petiit,

Mm Deus

(*) leg. *hiſtoria*. (b) id eſt, *Davidis*. (c) fortaſſe legendum *perfecto*.

Deus ad bonum permiſit. Nec putet quis, aliquando verba Job reprehendenda, quem Deus adeo commendat: in quo, quaſi medio, diabolus contra Dominum certat. Quod *vera* (d) bona ſua narrat, non eſt arrogantia, ſed per ea ſe, ne deſperet, confirmat, cum per tot mala & amicorum opprobria cogeretur deſperare de vita ſua.

Omni genere tentationis feritur Job. Damnis rerum, quibus potens in ſeculo moveri putabatur: ſed hæc deſpicit. Orbitate prolis, ſed hanc æquanimiter dolet. Percuſſione carnis, quam patienter tolerat. Et hæc fuerunt quaſi exterior impetus belli & quaſi hoſtes a facie pugnantes. Intus vero per uxorem quaſi per civem mens ſuſtinet venena conſilii, ſed & hanc ſapienter docet.

Amici ad conſolationem veniunt, ſed ad increpationem proſiliunt. Inter quos *& ultimus junior. Quod* (e) indignus ſit, acrius increpat: quia aliquando plus conturbant verba, quam vulnera. Ecce quaſi hoſtes ex latere. Per vulnera probatur patientia, illa robore, hæc ratione ſuperavit.

Amici Job magis ignorantia deliquerunt, quam malitia. Non enim tantus vir amicos iniquos habuit, ſed, dum cauſam percuſſionum diſcernere nequeunt, in culpam labuntur. Percuſſionum enim alia eſt, qua premitur iniquus, ut puniatur, alia, ut corrigatur, alia, ne futura committat, alia, ut, cum ſequitur ſalus, Salvator amplius ametur. Bonus ſi percutitur, merita cumulantur: quod neſcientes diſtinguere, percuſſum pro culpa credunt. Unde & citius ad veniam redeunt. Quos Deus ſic humiliat, ut non niſi per eum, quem deſpexerant, ad gratiam reciperet.

Ad Cap. I, 1, ad v. Simplex.

Neceſſe eſt, ut ſimplicitatem columbæ aſtutia ſerpentis inſtruat, & aſtutiam ſimplicitas temporet. Unde Chriſtus in Columba & igne apparuit: quia pleni illo ſic manſuetudini ſimplicitatis deſerviunt, ut contra mala zelo rectitudinis accendantur.

Ad Cap. III, 8.

Maledicant ei, qui maledicunt diei, moraliter. In veteri trans-

(d) Leg. *Sera*. (e) Legendum, *ultimus & junior, quod.*

tranſlatione: *Maledicat eam, qui maledicit diem, qui capturus eſt grande cetum.* Diabolus, qui modo nox, in fine erit viſus dies, cum extolletur ſupra omne id, quod dicitur Deus, vel quod colitur. Sed modo malitiam ejus deſtruit, qui in fine adventu ſuo potentiam ejus deſtruet: qui in aquis ſancti baptiſmi grande cetum, id eſt, fortitudinem ejus extinguit. *Vel maledicant ei*, id eſt, nocti, tenebras damnando nuntiantes electi angeli. *Qui maledicunt diei*, id eſt, qui fictam ejus claritatem, qua præſumſit æqualis Deo fieri, deſpiciendam monſtrant. *Qui parati ſunt ſuſcitare*, id eſt, relaxare, ut totis viribus contra eccleſiam agat. Modo ligatus tenetur in abyſſo & preſſus, & qui ſuperbus præ aliis ſe extulit, ſubſtratus ditioni eorum ſuccubuit, ut modo eis miniſtris ligatus lateat, etſi in fine ſolutus aperte bella gerat.

Ad Cap. IV, 10, 11.

Poſtquam clementer monuit, aperte increpat. *Rugitus leonis*, id eſt, ſeveritas & terror ipſius Job. *Vox leænæ*, loquacitas conjugis: *dentes catulorum*, edacitas filiorum, deſtructa eſt. His rigidus inſultat, quaſi in re damnata. *Tigridi* etiam Job comparat, pro maculis ſimulationis. Hypocrita enim, qui rectus videtur, habet latentia vitia, quæ aliquando erumpentia colorem variant. *Præda* eſt juſtorum gloria, quam ſibi arripit. Putans ergo iſte, ſanctum Job bona, quæ in eo noverat, per hypocriſin tenuiſſe, dicit: *Tigris periit*, hoc eſt, varietas ſimulationis tuæ extincta eſt, quia adulatio laudis ablata. Pro *tigride* hic apud LXX *mirmicoleon* legitur, quod Latine dicitur formicarum leo, vel expreſſius, formica & leo. Eſt autem parvum animal, quod latens in pulvere inſidiatur formicis, eas comedit: volatilibus & aliis animalibus formica eſt, a quibus comeditur. Per hoc notat Job, Job fuiſſe contra erectos timidum, contra ſubjectos audacem, ſed jam non habet prædam ejus elatio, quia percuſſus ab aliena læſione prohibetur. Eadem typice de hæreticis. Leo diabolus pro ſævitia. Leæna civitas mundi. Babylonia, leoni ſociata, catuli. Qui quod reprobi ab illis generati, ab his caveant ſibi ſancti. At hæretici ſecuri omnia ſe ſuperaſſe putant,

Digitized by Google

quaſi dicant: ideo non flage[…]mur, qua virtutem diaboli vincimus, & vocem, id eſt, gloriam ſeculi, & dentes, id eſt, perſuaſionem reproborum. Tigris iterum diabolus pro multiformi aſtutia, vel mirmicoleon, qui contra reſiſtentes debilis, contra conſentientes fortis. Quem dicunt periiſſe, quia in eis prædam non habet. Hoc *pro* (f) gaudio repetunt, quia ſæpe repetitur, quod per gaudium dicitur.

Ad Cap. XIX, 24.

Quod in plumbo ſcribitur, citius deletur. In ſilice difficile ſcribitur, ſed manet. Sic Judæa verba Dei cito recipit & deſerit: gentilitas vix recipit, ſed fortiter ſervat.

Ad Cap. XIX, 25, 27.

Scio enim, quod redemtor meus vivit. Non ait *conditor*, ſed *redemtor*, eum aperte denuncians, qui poſtquam omnia creavit, de captivitate paſſione ſua nos redemit. Vivit autem, quod inter manus impiorum occubuit. Quem viſurus ſum ego, id eſt, caro noſtra poſt reſurrectionem eadem erit & diverſa. Eadem per naturam, diverſa per gloriam. Eritque ſpiritualis, quia incorruptibilis, & palpabilis, quia non amittitur eſſentia veracis naturæ. *Repoſita eſt hac ſpes mea in ſinu meo.* Nihil nos certius habere credimus, quam quod in ſinu tenemus. In ſinu ergo ſpem repoſitam tenuit, quia vera certitudine de ſpe reſurrectionis præſumſit. Expreſſe indicat veritatem reſurrectionis. Non alius moritur, alius reſurgit: ut qui dicunt, inviſibile corpus futurum: ſed idem ipſe. Redemtor meus vivit, & per reſurrectionem ſpero mihi ſimilem: ut aliæ virgæ manſerunt aridæ, ſed virga Aaron, id eſt, corpus ſacerdotis noſtri in florem reſurrectionis erupit, quo flore ſacerdos ille oſtenditur, qui pro nobis interpellat.

Ad Cap. XXII, 11.

Et impetu aquarum inundantium non oppreſſum iri: Tribulationes aquis inundantibus comparantur, quia aliæ ſuper alias irruunt, ſicut unda ſuper undam: Ideo non putabas te opprimendum, quia cogitabas, Deum non videre hæc inferiora. Et

(f) Fortaſſe leg. *præ.*

Et an adhuc cogitas. Hæretici ſe ſapientes putant, & irrident catholicos, quod Deum non timeant, quia corporaliter eum non vident: nec putant, eum terrena videre ex longinquo. Imo quod cœlo altior ſit, & quaſi in nube latens per caliginem judicet. Ideo, quod inter nos & cœlum aeriæ partes ſunt, & ſuperioribus intentus minus videat ima, vel ambiens cardines cœli inferiora non reſpiciat.

Ad Cap. XXII, 15, 16.

Num quid ſemitam ſeculorum cuſtodire cupis? Sicut ſemita redemtoris humilitas, ita ſemita ſeculorum ſuperbia. Seculorum itaque ſemitam viri iniqui calcant, quia per hujus vitæ deſideria in elatione perambulant. *Qui ſublati ſunt ante tempus ſuum*, qui præſentem vitam diligunt, longiora ſibi ſpatia ejuſdem vitæ promittunt. Sed cum eos ſuperveniens mors ſubtrahit, eorum vitæ ſpatia, quæ in cogitatione tetenderant, intercidit. *Et fluvius ſubvertit fundamentum eorum.* Iniqui, dum præſentia fugitiva eſſe non intuentur, mentem in amore præſentis vitæ infigunt, & quaſi longæ habitationis in ea ſibi fundamentum conſtruunt. Sed fluvius ſubvertit fundamentum eorum: quia ipſe curſus mutabilitatis ſtatum ejus ſubrui pravæ conſtructionis.

Ad Cap. XXII, 16.

Qui ſublati ſunt ante tempus ſuum. Sciendum, quod ordinat annos Deus juxta merita ſingulorum, diſponit & terminum: ut & malus breviter vivat, ne pluribus noceat, vel bonus diutius vivat, ut pluribus proſit: vel rurſus malus diutius, ut mala augeat, quibus boni probentur: ut bonus citius ſubtrahitur, ne, ſi diutius vivat, malitia corrumpatur. Et mutatur ſententia Dei, ſed non conſilium æternum.

JOANNIS CLERICI OPERA PHILOSOphica in quatuor Volumina digeſta. Editio IV, auctior & emendatior.

Amſtelodami, apud Lormium, 1710, 12.

Alph. 3 plag. 20.

JO. CLERICI OPERA PHILOSOPHICA in IV Tomos digeſta. Editio in Germania prima & noviſſima, cui Præfationem novam addidit GOTTLOB FRIDERICUS JENICHEN.

Lipſiæ, apud Theophilum Georgi, 1710, 8.
Alph. 3 plag. 15.

DUæ ſimul uno eodemque anno prodiere *Operum Philoſophicorum* Viri celeberrimi, *Jo. Clerici*, editiones, quarum prior ab ipſo Autore in Belgio reviſa, & acceſſionibus aliquot, ſtylique ſubinde immutationibus auctior emendatiorve divulgata eſt, poſterior autem cum tertia & imo etiam quoad partem aliquam cum quarta editione Belgica collata adjunctam habet Cl. Collegæ noſtri, G. F. Jenichii, Facultatis Philoſophicæ in Academia noſtra Aſſeſſoris & Collegii Principum minoris Collegiati, Præfationem novam, in qua de Vita & Scriptis Clerici diſſeritur. Eo nimirum cum litteratorum applauſu Opera hæc Clerici Philoſophica hactenus excepta fuerunt, vt ubi A. 1695 prima, A. 1698 ſecunda, & A. 1704 tertia vice excuſa fuiſſent, jam ob inopiam exemplorum ipſe Autor novam eorum, illamque *quartam* in Belgio editionem adornare permotus fuerit, dum interea bibliopola Lipſienſis, rei iſtius primum inſcius, aliam, eamque ſic *quintam* in ordine, prelo ſubmittere e re ſua duxit, ut hoc pacto pretium etiam Operum iſtorum penes nos paulum imminueretur. Nos eorundem jam in Actis hiſce A. 1696 p. 453 & A. 1698 p. 486 mentionem juſtam fecimus. Ac cum acceſſiones perpaucas, quibus editio quarta Belgica locupletior reddita perhibetur, ipſe Clericus partim in Præfatione ſua ad Logicam & Phyſicam, in quarum illam quædam ex Lockio, in hanc vero ex Newtonio obſervationes quaſdam novas tranſtulit, partim in Bibliotheca ſua ſelecta Tom. XXI part. 1 p. 216 nuperrime indicaverit: jam potiora ſaltim momenta ex Vita Clerici a Jenichio noſtro editioni Lipſienſi præmiſſa enarrabimus. Natus nimirum eſt Vir celeberrimus *Jo. Clericus* Genevæ Allobrogum A. 1657, patre Stephano Clerico, Græcæ linguæ Profeſſore & Senatore

natore Genevenſi, matre autem Suſanna, Martini Gallatini, mercatoris & Senatoris Genevenſis filia. Fratres nactus eſt ex iisdem parentibus duos itidem haut incelebres, Danielem Clericum, Medicinæ Doctorem Genevenſem, qui Hiſtoria Medicinæ, aliisque ſcriptis perdoctis inclaruit, & Franciſcum Clericum, mercatorem Lipſienſem; quos inter Noſter natu medius exiſtit. Philoſophiæ fundamenta jecit in ſcholis magni Choueti, Profeſſoris & Conſulis Genevenſis, Philoſophiam Carteſianam magna cum ſoliditate tum enucleantis; ad Theologiæ autem myſteria haurienda manuductione uſus eſt tum Parentis ſui, cujus Diatribas ſacras in his Actis A. 1685 p. 233 recenſuimus, tum Patrui ſui, Davidis Clerici, linguarum Orientalium in Academia Genevenſi Profeſſoris & litterarum elegantiorum ſtatoris, dum viveret, pereximii. Sed cum in tractandis myſteriis ſacris ſuo Marte Theologiam Stephani Curcellæi, fratris aviæ ſuæ, avidius legeret, eamque data occaſione ferventius propugnaret: hæreſeos per Franciſcum Turretinum aliosque Particulariſtas Genevenſes ſuſpectus redditus, ex urbe patria in Academiam Galliæ Salmurienſem ſeceſſit, ibidemque ſub nomine Liberii de Sancto Amore Epiſtolas quasdam, ſuam de tolerantia opinionum diverſarum ſententiam exponentes, divulgavit. Poſtmodum familiaritate cum Gregorio Leti, Italo doctiſſimo, contracta in Angliam cum eodem abiit, & Londini per integros ſex menſes in æde quadam Gallorum ſacra conciones ad populum magno cum applauſu habuit, usque dum circa annum 1683 ſe inde Amſtelodamum reciperet, vbi paulo poſt in Gymnaſio Remonſtrantium Philoſophiæ docendæ muneri ampliſſimo admotus eſt, quam provinciam etiamnum ornat, plurium operum & ſcriptorum hactenus ſive Editor ſive Autor celebratiſſimus, quæ a Jenichio etiam ſummatim indicantur. Ceterum matrimonium iniit cum Maria, filia Leti natu majori, ex qua filium vidit unicum, eumque vivaciſſimæ indolis, ſed jam decimo ætatis ſuæ teneræ anno vita defunctum.

LINAE-

LINEAMENTA METHODI STUDIORUM, quæ ad expeditius diſcendas literas elegantiores, Philoſophiam & Hiſtoriam adumbravit FRIDERICUS WILHELMUS BIERLING, Hiſtoriarum, Eloquentiæ & Politices in Academia Haſſo-Schaumburgica Profeſſor Ordinarius.

Rintelii, apud Hermannum Auguſtinum Enax, 1711, 8.
Conſtat plag. $10\frac{1}{2}$.

QUantum in omni ſtudiorum genere tractando valeat bona methodus, nemini ignotum eſſe arbitramur. Quam parum noſtra ætate ſtudioſa juventus eadem utatur, illi experiuntur, quibus eam docendi cura auctoritate publica demandata. Operæ igitur pretium faciunt viri docti, qui methodum ſtudiorum non modo Auditoribus ſuis explanant, ſed & ejus lineamenta cum publico communicant, ut tanto plures eodem labore juventur. En tibi primas lineamentorum, quæ Cl. Autor duxit, lineas. Methodo ſtudendi in genere abſoluta, ſpeciatim de linguis addiſcendis, Latina præſertim, de Arte Critica & Autoribus claſſicis, de Oratoria & Poeſi, de ſtudiis Mathematicis, de Philoſophia in genere & Philoſophorum ſectis, de Philoſophia rationali, naturali, pneumatica, morali hujusque partibus, Jure naturæ, Ethica & Politica, de Jure publico atque Hiſtoria civili & litteraria tractat. Ita autem in hiſce verſatur, ut indolem diſciplinæ exponat; de quibus in ea addiſcenda maxime ſollicitus eſſe debeat ſtudioſus, indicet; quænam vero cavere debeat, vel quia vana & inutilia, vel quia prorſus pernicioſa, moneat; Autores denique tyronum ſcopo congruos commendet. E. gr. in Philoſophia rationali duo occurrere notat, artem ſyllogiſticam & præcepta inveniendi veritatem. Monet ſtudioſum Logices, ut diſcrimen inter rationem rectam & corruptam ſibi familiare reddat, ne ab hoc ſtudio deterreatur injuſtis multorum de ratione corrupta querelis; ut caveat, ne ſenſus ideis, aut ideas ſenſibus opponat, ſed hos potius cum illis conjungat, & ne rationis ac intellectus terminos ulterius, quam par eſt, extendat; ut inter veritates certas & propoſitiones veroſimiles accurate diſtinguat, nec dubitatione

utatur,

utatur, niſi quantum ad veritatem inveniendam ſufficit; ut præjudicia autoritatis & præcipitantiæ exuat & de his nævis intellectus corrigendis magis ſollicitus ſit, quam de prolixis meditandi & veritatem inveniendi præceptis; ut doctrinam de interpretatione probe percipiat, quoniam aliorum cogitata multum juvant veritatis indagatorem; ne artem per ſyllogiſmos diſputandi contemnat, cum ſit peculiaris veritatis proponendæ modus in Academiis receptus; ut methodum diſputandi per quæſtiones Socraticam una excolat, cum ejus tam in meditatione quam in familiari cum amicis colloquio multus ſit uſus; ut denique ſibi temperet a nimio diſputandi & contradicendi pruritu. Studiis Mathematicis inſignem præ multis aliis utilitatem tribuit & hinc non ſolum in Academiis frequentiorem eorum tractationem, ſed & in ſcholas inferiores introductionem optat. Errare adeo, qui ea contemnunt aut diſſuadent; non minus tamen errare illos, qui ſummum bonum & omnium ſcientiarum medullam in iis quærunt & ſolos Mathematicos eruditos eſſe perſuaſum habent. Prætermittendas eſſe ſubtilitates; addiſcenda vero, quorum præſens in vita humana utilitas. Fugienda quoque eſſe inculcat ſtudia vana, quæ ad Matheſin vulgo perperam referuntur, Aſtrologiam puta, Chiromantiam, Metoſcopiam, Geomantiam; immo fugiendas eſſe otioſas ſpeculationes mechanicas, quarum in praxi nullus eſt uſus. Talia judicat cogitata de munimento inexpugnabili, de arte navigandi per aerem. Mature animum ad hoc ſtudiorum genus applicari debere cenſet, optimumque in eo ducem commendat Cl. *Wolfium*, Profeſſorem Hallenſem, in Elementis Matheſeos univerſæ Anno ſuperiori p. 486 recenſitis, quæ Matheſi *Sturmianæ* præferenda cum aliis Viris eruditis judicat.

CHRISTIANI GOTHÜLF BLUMBERGII, SS. Theol. D. & Superint. Cygn. Veritas Myſterii tiaræ Rom. Pontificis olim adſcripti, novis aliquot teſtimoniis aſſerta, & a contradictionibus aliter ſentientium vindicata.

Cygneæ, apud Jo. David. Friderici, 1711, 8.
Conſt. 9 ½ plag.

QUæ de voce *Myſterium* coronæ Papali inſcripta a ſumme Rev. D. Blumbergio contra Boſſuetum & Hannemannum aſſerta ac diſputata ſunt, jam olim recenſuimus. Vide Acta A. 1702 Menſ. Nov. p. 491. Cum vero ille poſt editum *Ens reale*, Celeb. D. Hannemanni *Myſterio non-enti* oppoſitum, in aliorum ſcripta ſententiæ ſuæ adverſa inciderit, contra hæc quoque eam ſibi vindicandam putavit. Itaque inprimis objectiones ab Andrea Sauſſay in Panoplia Epiſcopali p. 74, & a Petro Bayle in Dictionario Hiſt. T. I f. 1080 prolatas refellit, & poſtquam argumenta ſua ab adverſariorum exceptionibus tuta præſtitit, p. 101 ſeqq. integrum Catalogum teſtium ac Scriptorum ſibi conſentientium non modo ex Lutheranis & Reformatis, ſed & ipſis Pontificiis exhibet. Ceterum quia præcipuum ſententiæ affirmantis fundamentum in Jac. Brocardi, Annæ Montmorantii Conſtabilis Franciæ, & J. C. Scaligeri, tanquam teſtium αὐτοπτῶν, fide reponitur, de ſingulis quædam memoratu digna afferuntur. Speciatim p. 53 *Conſtabilis* titulus ac officium declaratur; p. 58 de *Scaligerorum* gente, affinitate & facete dictis nonnulla, potiſſimum ex Daumii diario, repetuntur; p. 77 Sauſſayus ideo notatur, quod Brocardum unquam in rerum natura extitiſſe, dubitat, & nomen iſtud pro Burchardo Wormatienſi poſitum ſuſpicatur, cum tamen Brocardi in Apocalypſin commentarius, ex quo teſtimonium de coronæ Papalis inſcriptione petitum eſt, ſemel iterumque, ſcil. A. 1582 & 1610, Londini editus extet, & vita ejus a Wolfio Lect. Memorab. P. II p. 752 deſcribatur. Præterea & aliæ obſervationes non injucundæ inſperguntur, ut de Romæ æternitate olim falſo credita & exitio illi imminente p. 26; deque librorum titulis pro ſcriptoribus ridicule venditatis p. 36. Controverſia de juramento fidelitatis a Jacobo I Rege Angl. ſancito atque defenſo, & ſcripta de eo in utramque partem edita recenſentur p. 67 ſqq. ut alia nunc taceamus propriæ cujusque lectioni relinquenda.

AFGO-

AFGODENDIENST DER JESUITEN &c.
hoc eſt:
IDOLOLATRIA JESUITARUM IN REgno Chinæ, Autore JOHANNE MAURITIO.

Amſtelodami, apud Jac. Borſtium, 1711, 8.
Alph. 1 pl. 19 cum fig. æn.

IN hoc libro Autor, qui quondam fuit Frater ordinis Prædicatorum, poſtea vero religionem Reformatam amplexus eſt, graviter admodum in ordinem Jeſuitarum invehitur. Primo loco ſiſtit excerpta ex litteris Johannis de Pallafox de Mendoza, Epiſcopi Angelopolitani, quibus Jeſuitas apud Innocentium X Papam Romanum A. 1649 accuſavit. Subjunguntur p. 32.
quæſtiones a Johanne Baptiſta Moralez, Fratre ordinis Prædicatorum & Miſſionario Chinenſi, de ratione vivendi ac docendi, qua Jeſuitæ in China utuntur, propoſitæ, una cum reſponſionibus Congregationis de propaganda fide de A. 1645. Has excipit brevis relatio eorum, quæ ſpectant ad declaratio- 60.
nem Imperatoris Kamhi, circa cœli, Confucii & Avorum cultum Anno 1700 datam, a Patribus Societatis Jeſu Pekini pro evangelii propagatione laborantibus facta: quæ cum Directoribus Societatis Indicæ Orientalis in Bataviam e regno Chinenſi miſſa eſſet, in Autoris noſtri manus pervenit. Nimirum Patres Jeſuitæ in China commorantes, ut ſe purgarent ab incuſationibus reliqui Cleri, qui idololatriam in eo Regno ab ipſis permitti aſſerebat, declarationem certam tutamq; ab ipſo Imperatore, qui Imperii ſui in rebus tam ſacris quam profanis ſummus legislator eſt, petendam duxerunt, ex qua conſtaret, quo ſenſu Chinenſes cœlum, Confucium & majores ſuos colerent. Hunc in finem Epiſtolam hac de re in Europam mitten- [6]o.
dam, antea autem Imperatori oſtendendam, ſcripſerunt, in qua ita ſentiunt. Chinenſes, cum Confucio honorem exhibent, id eo facere, ut ſuam ei reverentiam teſtentur ob traditam doctrinam, non ut ab eo ingenium aut dignitates petant. Oblationes, ritusque alios, quibus proſequuntur defunctos parentes

ac propinquos, itidem ad demonſtrandum debitum amorem ac reverentiam adhiberi. Tabellas, quas erigunt avis & majoribus ſuis, non ideo erigi, quod credant, defunctorum animas in eis reſidere, vel ut fauſta ac proſpera ab eis petant, ſed ut demonſtrent, dum ipſis quaſi vivis & præſentibus amorem ac reverentiam deferunt, conſtans ſibi & perpetuum eſſe ſtirpis ſuæ autorum deſiderium. Sacrificia cœlo offerri ſolita non offerri cœlo huic viſibili, ſed cœli domino. Hunc enim ob ſummam reverentiam ab ipſis non proprio, ſed cœli nomine ſolere appellari: ſimilique modo, quando de ipſo Imperatore cum reverentia loquuntur, omiſſa Imperatoris appellatione, Chinenſes dicere, intra ejus throni gradus, vel ſupremam palatii aulam appellare. His perlectis & attente conſideratis ac perpenſis, Imperator in hunc modum reſpondit: *Quæ in hoc ſcripto continentur, optime ſcripta ſunt, & plane concordant cum magna doctrina*, (ita appellant Sinenſes doctrinam Confucii,) *Cœlo, dominis, parentibus, magiſtris ac proavis debita obſequia præſtare, iſta orbi univerſo communis lex eſt. Ea, quæ in hoc ſcripto continentur, veriſſima ſunt, neque egent ulla prorſus emendatione.* Hujus reſponſionis illico in Aula Imperatoris duo exemplaria ſcripto exarata fuerunt, quorum alterum traditum eſt Patribus, alterum inter Acta Regia ſervatur. Poſt aliquot dies in novis publicis per provincias divulgatis hoc Imperatoris decretum apparuit: quod Autores Relationis ubique, quod ſciant, cum approbatione exceptum perhibent.
p. 111. Huic teſtimonio Imperatoris adjungunt alia primatum &
præcipuorum quorundam doctorum Imperii Chinenſis de eo-
138. dem ſenſu rituum & conſuetudinum memoratarum. Inter
hæc teſtimonia reperitur unum, in quo de myſterio Chriſti
crucifixi mentio fit, quod Autores negant a ſocietate ſua Chi-
173. nenſibus occultari. Poſtea fuſe agunt de ratione & ceremo-
237. niis cultus divini apud Chinenſes, aſſeruntque, divinæ notitiæ
lucem ab omni retro memoria populum Sinenſem illuſtraſſe,
& etiam nunc apud non paucas familias illibatam ac ſine ulla
246. idololatria reperiri. Id ulterius confirmatur, allatis multis
Chinenſium proverbiis, e quibus, quam bene de Deo ſentiant,
apparet.

Digitized by Google

apparet. Sub finem hujus Relationis Patres Jeſuitæ declarant, ſolitos ritus erga Confucium & majores defunctos, quod politice tantum adhibeantur, merito a ſe retineri: atque apud quemvis rerum Chinenſium peritum certum eſſe, contrarias ſententias innumeris Chinenſibus ac inprimis litteratis viam ſalutis occludere, & ab illis certiſſimo miſſionis perdendæ periculo omnes miſſionarios exponi. Cumque perceperint, a nonnullis non modo hoc periculum contemni, ſed & alios pariter ad ejus contemtum per datas in Europam litteras exciri: ſe hoc publico ſcripto conſcientias ſuas exonerantes proteſtari, Chinenſem Eccleſiam, ſublatis Confucii avorumque ritibus diu ſtare nequaquam poſſe, quin adeo ad primam quamque malevoli cujusdam accuſationem ejus ruinam certo certius accelerandam, a ſe judicari. Huic Relationi ſubjunguntur excerpta ex relationibus Pariſienſibus, quæ ante aliquod tempus de miſſione & itinere Cardinalis de Tournon Gallica lingua a Præfectis Academiæ miſſionariorum, quæ Pariſiis eſt, fuerunt editæ. Sequuntur denique animadverſiones ipſius p. 357. Johannis Mauritii, quibus actiones Jeſuitarum acriter admodum perſtringit. Dicit, ſe ideo calamum arripuiſſe, ut man- 503. ſueto animo, quantum Chriſtianus zelus permiſſurus ſit, veritatem circa actiones Jeſuitarum proponat. Hujus vero zeli ſpecimen capi poterit e p. 511, ubi verbis paulo acerbioribus Jeſuitas ceu peſtem fugiendos declarat.

HET WAARE BELEID VAN DE MENSCHElyke reden &c.

hoc eſt,

VERUM REGIMEN RATIONIS HUMANæ, expoſitum a JOHANNE CASPARO SCHROEDER.

Amſtelodami, apud Petrum de Coup, 1710, 8.
Plag. $10\frac{1}{2}$.

COmpendium hoc Logicæ ſcriptum eſt methodo erotematica, & maxima ex parte excerptum ex Logicis Johannis

Claubergii & Johannis Clerici, item ex Arte cogitandi, aliisque nonnullis libris ejusdem argumenti recentioribus, ut ipſe Cl. Autor in Præfatione fatetur. Termini technici omnes Belgica lingua efferuntur, additis tamen in margine vocabulis Græcis aut Latinis, quæ communiter uſurpantur, in uſum eorum, qui Logicas aliorum aut adhuc lecturi ſunt aut jam legerunt. In Prolegomenis Cl. Autor de natura & utilitate Logicæ agit. Ubi, quamvis præter corpus & animam non aliud principium ſpirituale in homine agnoſcat, indiſſolubilem tamen difficultatem occurrere dicit circa formationem idearum. Quia enim ſæpe contra voluntatem noſtram ideæ in nobis exſurgant, clariſſimum ipſi videtur & extra controverſiam poſitum, non eſſe eas animæ, tanquam cauſæ efficienti, tribuendas. Ipſum compendium ſecundum methodum communem diſpeſcuit in partes quatuor, quarum prima de ideis ac terminis agit, ubi & præcipui termini, de quibus alias in Metaphyſicis ſolet tractari, inſerti ſunt, altera continet doctrinam de propoſitionibus, tertia de ſyllogiſmis, quarta de methodo. Capite

p. 74. octavo partis tertiæ, quo de diviſione agit, locum Rom. IV, 5, ubi Deus dicitur juſtificare impium, tanquam exemplum ſenſus diviſi allegat, ut ſententia hæc ſit, Deum juſtificare eum, qui antea fuerit impius, non qui adhuc in impietate ſit conſtitutus. Videtur Cl. Autor terminum *juſtificare* ita accipere, ut ſit idem quod juſtum habere aut declarare: quo ſenſu verum eſt, Deum neminem juſtificare, qui adhuc ſit impius. Si autem juſtificare idem ipſi eſſet, quod juſtum efficere, dictum Pauli interpretandum omnino eſſet ſenſu compoſito. Uti enim ægrotus non opus habet ſanatione aut purus purificatione, ita nec juſtus juſtificatione.

NOVA LITERARIA CHINENSIA.

REv. P. Franciſcus Noel Soc. Jeſ. ſuperiori anno Obſervationes Mathematicas & Phyſicas in India & China ab A. 1684 ad 1708 factas edidit Pragæ in 4, de quibus mox in his Actis dicemus. Idem vero & Pragæ prelo ſubjecit libros ſex e Sinica

nica lingua in Latinam accurate translatos, quorum quinque, nempe *Doctrina Adultorum*, *Liber Sententiarum*, *Medium immutabile*, *Memcius*, & *Doctrina parvulorum* tanto ſunt in pretio apud Chinenſes, ut omnes pueri, qui in urbibus, oppidis, pagis legere & ſcribere diſcunt, eos memoria teneant, & qui ad obtinendum Baccalaurei gradum ſe examini ſubjiciunt, decerptas ex illis ſententias ad componendas breves quaſdam orationes a Literarum Præfecto accipiant: ſextus vero, qui *de filiali obſervantia* inſcribitur, omnibus Baccalaureis addiſcendus injungitur. Neque vero ingratum fuerit, ut paucis hoc loco, quæ in illis libris contineantur, Lectori indicemus. Primus eſt libellus, dictus *Adultorum Schola ſeu Doctrina*, a Confucio conſcriptus, & ab ejus diſcipulo *Tsem* paulo fuſius explanatus. Hic demonſtrat gradatim normam & propriorum & alienorum morum perficiendorum; ex quorum acquiſita perfectione ultro emanat optimum uniuſcujusque familiæ, regni ſeu principatus, ac denique totius Imperii regimen, ita ut omnes ubique contenti vivant; ſummaque pace ac concordia perfruantur. De cognitione ergo Boni & Mali, de illius amore & hujus fuga, de ſui perfectione, de bono familiæ, principatus, imperii regimine paucis agit. Secundus eſt libellus, dictus *Immutabile Medium*, a *Tſu Su* Nepote Confucii conſcriptus. Hic docet, ad ineundam virtutis viam, ſequendum eſſe ſemper medium; unde incipit ab ipſa hominis natura, & naturæ affectionibus; deinde pergit per varia virtutum, pietatis, prudentiæ, fortitudinis, filialis obſervantiæ exempla tanquam medii obtenti normam. Hoc autem medium, mediique uſum, veram eſſe viri ſapientis viam, eamque præſertim Magiſtratibus ac Principibus ſequendam aſſerit. Denique perfectum medium in ſumma veritate ſectanda ſitum eſſe affirmat. Atque is Autor magna ex parte ſui Avi Confucii verba ac ſenſum citat. Tertius eſt *Liber Sententiarum* in 20 parvos articulos diviſus. Hic, præter articulum decimum, in quo diſcipuli ſigillatim referunt ſui Magiſtri Confucii externum agendi modum, ſolummodo complectitur diverſas interrogationes, reſponſiones, ac ſententias tum a Confucio tum ab ejus di-

ſcipulis non uno tempore prolatas circa virtutes, bonos mores & regiminis artem. Stylum ſententioſum Sinicum Cl. Interpres in Latina phraſi, quantum potuit, retinuit, ac ſubinde ad majorem legentis voluptatem parva Scholia de Sinarum hiſtoria, ritibus antiquis, & eorum muſica adjunxit. Quartus eſt liber a Doctore Memcio, Sinice *Mem Tſu*, compoſitus trecentis circiter annis ante Chriſti nativitatem. Dividitur in duos tomos; ſinguli tomi in quinque capita, & ſingula capita in duas partes. Præcipue agit de bono regimine, ad quod pietatem & æquitatem præ omnibus aliis virtutibus requirit; quia nimirum tunc temporis inteſtina ubique bella ardebant. Unde vult totum Imperium non armorum vi, ſed virtutum exemplo debere pacari ac componi. Omnes ejus Diſſertationes ſunt dialogi inter ipſum & ejus diſcipulos, aut inter Principes, quos ante convenerat, quosque introducit loquentes, ſtudioſe inſtituti, & ſermone quidem ſatis perſpicuo compoſiti. Multus eſt in ſimilitudinibus & exemplis appoſite ingenioſeque applicatis, more veterum. Denique totus liber hæc maxime quatuor complectitur: 1 Plurimi facit & extollit veram imperandi artem, quam tenuerunt primi trium familiarum *Hia*, *Xam*, *Cheu* ſibi invicem in Imperio ſuccedentium Imperatores. 2 Minoris facit ac rejicit bellicum pacandi Imperii modum, quem tenuerunt quinque Illuſtres Reguli, ſive Archontes. 3 Fuſe exponit veram naturæ rationalis bonitatem, ac rectitudinem. 4 Refutat pernicioſos falſorum dogmatum errores. Quintus eſt libellulus *de filiali obſervantia*, & nihil aliud complectitur quam varias reſponſiones, quas Confucius dedit diſcipulo ſuo *Tſem* de debito erga parentes cultu, huncque ad bonum regimen conducere affirmat. Idcirco quænam ſint cujusvis filii erga parentes ſuos officia & horum effecta, paucis explicat. Sextus eſt liber dictus *Parvulorum Schola ſeu Doctrina*; hic a Doctore *Chuhi* ſub imperio familiæ *Sum* conſcriptus, aut potius ex variis tum antiquorum tum recentiorum ſententiis & exemplis compilatus fuit. Unde totus eſt in illis ad captum puerorum, & memoriam eorum exercendam, ac intellectum paſcendum, adeoque tota dicendi connexio maxime conſiſtit in pulcra capitum ac paragraphorum diſpoſitione atque ordine. Ea, de quibus agit, ſunt ſcholarum erectio, obſervantia erga parentes, Reges, Magiſtratus, Seniores; mariti & uxoris munus; amicorum ſinceritas; cordis, corporis, victus, veſtitus bene diſponendi regulæ; multa denique moralium virtutum utilia documenta. Ceterum ſuperſunt quinque adhuc libri claſſici antiquorum Sapientum, *Ou Kim* dicti, ſcil. *Liber Annalium Imperialium, Liber Carminum, Liber productionum ac mutationum, Liber Rituum, Liber Ver & Autumnus*; at hos, quoniam plerique prolixiores ac nimis tædioſi ſunt, Latinitate donare operæ pretium haud duxit doctiſſimus Autor.

Proſtat Supplem. Tomi IV Sectio XII.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii, Anno M DCC XI.

MUSEUM REGIUM SEU CATALOGUS rerum tam naturalium quam artificialium, quæ in baſilica bibliothecæ Auguſtiſſimi Daniæ Norvegiæque Monarchæ FRIDERICI IV Havniæ aſſervantur, Glorioſiſſimæ memoriæ Rege CHRISTIANO V regnante ab OLIGERO JACOBÆO Med. & Phil. Prof. Regio quondam deſcriptus, nunc vero magna ex parte auctior, uberioribusque commentariis, præſertim autem quoad antiquitates, hiſtoriamque numiſmatum Danicorum, illuſtratus, accurante JOHANNE LAUERENTZEN, Aſſeſſore Conſiſtorii Havnienſis Regio.


Havniæ, ex Reg. Maj. & Univ. typogr. f. Alph. 5 pl. 5 fig. æn. pl. 27.

NAturæ æmulæque artis theſauros, & tot antiquitatis reliquias, gentiumque a nobis remotiſſimarum utenſilia, una cum ceteris opibus, quas diſtinctum octo conclavibus Muſeum Regium Danicum jactat, jam anno 1696 Ol. Jacobæus deſcripſit, opere quod Anni ſubſecuti Menſe Auguſto recenſuimus. Id nunc Cl. Lauerentzenius amplis & eruditis acceſſionibus auxit, quæ vel Jacobæi commentarios ſupplent, vel nova ornamenta ex illo tempore, & inprimis ſub auſpiciis Sereniſſimi FRIDERICI prioribus addita exponunt. Paſſim quidem in illis memorabiles obſervationes lectuque jucundæ habentur, ut cum P. I S. VII n. 8 de metallifodinis Norvagiæ, n. 52 de margaritis, quæ in nonnullis ejusdem & Daniæ locis inveniuntur, n. 78 de marmoribus Norvagicis, n. 114 de ſuccino Havniæ e terra effoſſo &c. agitur. Sed ante alias atten-

Digitized by Google

tius luſtrari merentur claſſes duæ, quarum altera antiquitatis ſpolia, altera numos conſervat. In his enim præcipue Muſei augmenta & Scriptoris ſolertia emicant. Priori (P. II S. III) Abſalonis Epiſcopi olim Roeskildenſis, poſtea Archiepiſcopi Lundenſis & Primatis Sveciæ, mitram, galeam, pedum, zonam, ſoleas, habitumque reliquum ſiſtit. Tum occaſione urnarum ſepulchralium, quarum nonnullæ ex auro, aut cryſtallo confectæ adſunt, Septentrionalium comburendi tumulandive ſuos antiquum modum illuſtrat. Inde apparatus apud eosdem bellici reliquias proſequens, lucem illi & ſimul nonnullis mediæ obſcuræque ætatis ſcriptorum locis affundit. Quemadmodum & paulo poſt de calcarium apud illos uſu diſſerit, anſam ſuppeditantibus Waldemari III, Erici Pomerani & Johannis, Regum, nec non Bœrgeri Archiepiſcopi Lundenſis calcaribus, quæ una cum iis hic aſſervantur, quibus Guſtavus Adolphus in fatali ad Lutzenam prœlio inſtructus fuit. Dum n. 59 cornu aliquod aureum (diverſum ab Oldenburgico proxime ſubſequenti) figuris ad hieroglyphica Ægyptiorum accedentibus conſpicuum deſcribit, ſuccenſet Begero Antiquariorum peritiſſimo, quod non tanti, ut par fuiſſe exiſtimat, illud fecerit, & cum alio inter Cimelia Brandenburgica cuſtodito, Theſauri ſui Vol. I p. 14, compoſuerit. A n. 88 usque ad 96 exhibet ſigilla Regum Daniæ, Valdemari II, Abelis, Chriſtophori I, Ericorum Glipping & Menvedii, Chriſtophori II, Waldemari III & IV ac Erici Pomerani, ſimulque inſignium Danicorum origines erudite illuſtrat. Jam antea vero n. 41 explicaverat antiquiſſimum ſigillum eburneum templi Roeskildenſis, Lucium Papam præferens, cujus caput illepidis Monachorum ejus loci fabulis celebre, in eo ſervari quondam jactatum eſt. Monetis ac numiſmatibus dicata eſt P. II S. V; ad quam acceſſuri præmittimus ex S. III n. 14 ſex numos ex auro antiquiſſimos, (quorum quinque in priori editione quidem jam viſi ſunt, ſed paulo rudius ſculpti, nec explicati,) oculo ſimul B. L. in Tab. IV fig. 1--6 ſubjectos. Illos, explicatu difficiles, poſt tempora demum Liwigildis Gothorum Regis in Hiſpania cuſos, ac Heroibus in Tauromachiis victoribus diſtributos fuiſſe conjicit.

TAB. IV. Fig. 1-6.


TA

cit. Inter ſeries numiſmatum prima eſt Danicorum ex auro. Ubi n. 3 de ordine Seraphico a Magno Smek Sueciæ Rege A. 1343 inſtituto nonnulla refert, quod & de ordine brachii armati a Chriſtiano IV A. 1616 ſtabilito, ſed Elephantino poſtea inſerto, fecit ad numum 24 Chriſtiani. Priori loco inſuper notat, Johannem Regem, primum in Dania, Regnorum Ducatuumque inſignia integra numis inſeruiſſe, iisque Gothorum Vandalorumque titulos a Chriſtiano III demum additos eſſe, n. 14 indicat. E numis, quibus claſſis iſta, præter XXXVII auſpiciis Friderici IV cuſos, aucta eſt, ſiſtimus hic duos Johannis, in quibus caput ejus nimbo, quali Sanctorum vertices inſtrui ſolent, cingitur, & alium, Chriſtiani V, quem ipſa averſa ejus facies explicat. Aureos excipiunt antiquiores ex argento ac viliori metallo Regum, qui ante familiam Oldenburgicam Daniæ præfuerunt, ut & ab Epiſcopis urbibusque ſub hac periodo cuſos. Ampla illorum ſeges eſt, cum Jacobæus ultra XXII non habeat, & uberi commentatione dilucidantur. Utriusque ſpecimina daturi, ex illa Cnutum qui Angliam ſubegit, aliquot ſupra XX numis hic expreſſum, filiumque ejus Harde-Cnut repræſentamus, in figuris 10, 11, 12, 13. In poſtica illorum facie monetarii & loci nomen occurrere autumat & in tertio quidem per voculam Heſt deſignari Haſtingam. In explicatione aliquoties inculcatur, quod in proemio hujus ſeriei monuerat, ſub Cnuto demum M. ſuam habere monetam incepiſſe Danos, evocatis ex Anglia artis ejus peritis. Itaque numos, quos ad Svenonem cum bifida barba ſagaciſſimus Kederus aliique retulerunt, partim Svenoni Cnuti ex ſorore Eſtritha nepoti aſſerit, ut n. 45 ad T. XXV: partim Svenoni IV, qui circa dimidium ſeculi XII partem Regni tenuit, ceu n. 46 factum videmus. Interdum etiam non intempeſtivis excurſibus indulget Noſter, & ita ad T. XXVI n. 1 de ſceptris in lilii figuram factis, n. 6 de modo veterum, quo fluentem per humeros cæſariem in nodos aut faſciculos collegere, n. 12 de coronis liligeris in Anglia ante adventum Normannorum jam uſitatis, & poſt n. 61 ad T. XXVIII de numis Margarethæ diſſerit. Nullum autem reperit, cum magna imperante ea

TAB. IV. Fig. 7, 8. 9.

Fig. 10, 11, 12, 13.

Digitized by Google

fuerit pecuniæ raritas,& æram pretiumque additum præferentes ſpurii ſint. Merito tamen eos explodit, qui occurrentem alias in iis vocalem O ductu, quem vocant, monaſtico ita exaratam, ut lineola transverſa mediam ſecet, leviter ſatis & propudioſe interpretantur. Orebroenſem enim civitatem, in qua ſignati ſint, ea indicari, ex tot aliarum urbium nominibus, ſolo elemento initiali in illarum moneta expreſſis, ſatis liquet, præſertim cum eadem in numis Waldemari IV etiam conſpiciatur. Nec inepta forte illius conjectura videretur, qui Olaum filium Margarethæ ſignificari hariolaretur. In denariis enim Epiſcoporum Regis hujus nomen unica hac litera ſcribitur, & cumMargaretha eo impubere Regnum adminiſtraret,ac utrumque nomen in inſtrumentis publicis jungeretur, in numis quoque id factum a veri ſimilitudine non adeo abludit. De Regum cognominibus, Epiſcoporum urbiumque nominibus, teſſeris,ætate, jure cudendi monetas,earundemque officinis,valore, & mutatione, quæ omnia ſtudioſe excutiuntur, nihil addimus. Nec numos Regum e Gente Oldenburgica argenteos, & paucos Græcos, Romanorum vero usque ad Julianum Apoſtatam ſeriem, operi, ceu in priori quoque editione factum, colophonem imponentes, quamvis hinc inde auctos, attingimus.



h. e.

JOH. JOACHIMI SCHROEDERI THESAURUS Linguæ Armenicæ, antiquæ & hodiernæ.

Amſte-

Amſtelodami, Anno Æræ Chriſtianæ 1711, Armenorum 1160, 4.
Alph. 2 pl. 16.

FOecunda licet adeo ac fertilis ſemper fuerit Europa Virorum in Orientali literatura excellentium, ut ipſum quaſi Orientem ad invidiam provocarit: nondum tamen in Armenicâ lingua tantos hucusque fecerat progreſſus, ut *Philarmeni* famem explere, ejusdemque ſitim ex voto reſtinguere poſſe videretur. Tentarunt aliquid, nec ſine laude, *Theſeus Ambroſius*, *Franciſcus Rivola*, *Clem. Galanus*, *Theodorus Petraus*, *Andr. Acoluthus* & alii; ob librorum vero Armenicorum penuriam, regionisque, ſub Turcarum Perſarumve jugo gementis, diſtantiam, in limine ſaltem hæſerunt, primasque lineas duxiſſe contenti fuerunt. Sed meliori nunc ſucceſſu laborem hunc in ſe ſuſcepit Vir in omnibus quidem Orientalibus, in Armenica tamen inprimis lingua verſatiſſimus, Joh. Joachimus Schrœderus, natione Haſſus, quem nuper in Academia Marburgenſi ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & linguarum Orientalium Profeſſionem vocatum intelleximus; dum *Theſaurum* ſuum *Lingua Armenicæ, antiquæ & hodiernæ*, opus elegans, cum erudito Orbe communicavit. Poteris tibi de hoc Viro tanto majora promittere, quo plura eum, jactis in Academia patria apud Georgium Othonem fundamentis, a Thoma Gothanenſi, Armenorum Archi-Epiſcopo, ejusdemque ex fratre nepote Luca Nurigianide, Amſtelodami proficere potuiſſe palam eſt. Accedit, quod gratia facultatibusque ſui Principis *CAROLI I*, Haſſiæ Landgravii (cui etiam Theſaurum ſuum inſcripſit) ſuffultus, itinere, quod in Orientem meditabatur, inopinata Archi-Epiſcopi, Præceptoris chariſſimi, morte intercepto, Bataviæ ad minimum Britanniæque Viros ſummos conveniendos, eorundemque Bibliothecas & diſcurſus in ſuum uſum transferendos ſibi eſſe exiſtimaverit. Continet vero hic Theſaurus I Diſſertationem, II Grammaticam & Proſodiam, III Confeſſionem Eccleſiæ Armenicæ, IV Synopſin hodiernæ linguæ Armenicæ, V tres Dialogos, VI Epiſtolographiam Armenicam, praxin Grammaticam & Indices.

Diſſertatio præmiſſa abſolvitur IV Capitibus, quorum I antiquitatem

tiquitatem & originem hujus linguæ exponit, quod non quidem, quæ nonnullorum ſententia eſt, pro lingua primæva, & conſequenter Hebraicæ matre, neque tamen etiam pro ejus filia, ſed pro cardinali lingua ſit habenda, quæ ex diſperſione, ad turrim Babylonicam facta, originem trahat, peculiaribus ſuis vocibus, ex Hebraica nequaquam deducendis, viros & loca denominaverit, & Haicum, primum Armenorum Regem (unde & Haicana lingua frequenter ſalutatur) autorem agnoſcat. Cap. II fata linguæ Armenicæ, quæ cum gentis fatis eadem fuerunt, Lectori propinat. Quanquam enim ab Haico usque ad Artaſchirum, octogeſimum Regem, ex voto floruerit lingua, per bella tamen & commercia cum Genthuniis, Ardzeruniis & Genuniis, Bagraditis, Medis, Arſacidis, Amatuniis, Arravielanis & Mamcuniis, quamplurima peregrina vocabula ſunt invecta & civitate Armenica donata. Quod eo facilius patebit, ſi hanc linguam, usque ad Sec. IV poſt C. N. propriis literis (quas a Miſrobo demum inventas, & a Rege Uramſchapu introductas eſſe, memoriæ proditum eſt) deſtitutam, ſub Perſarum Græcorumve literis delituiſſe, perpenderis. Tandem Syrorum Perſarumque crudelitate effectum eſt, ut non niſi in libris lingua iſta conſervaretur, & dubio procul funditus eſſet exſtirpata, niſi omnibus adhuc ſeculis eruditi Viri, quos Autor enumeratione dignos judicavit, extitiſſent, qui eandem vel calamo, vel (quod ſuperiori Seculo factum) typographia ad poſteros transmittere allaborarint. Quorum proinde libri recenſentur, & cum modernorum Armenorum ſtudiis conjunguntur. Cap. III indolem & naturam linguæ Haicanæ docet, quod ceu lingua cardinalis tot propriis vocibus ſit referta, ut vocabula Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Parthica, Perſico-Turcica & Græca, quorum non exigua meſſis, diuturno uſu immiſta, numero nequaquam cum iis poſſint comparari; peculiarique ſua conſtructione & pronunciatione gaudeat. Cap. IV uſum hujus linguæ peculiarem, qui tum in vocum quarundam Armenicæ originis, ſeu Hebraicarum, ſeu Græcarum, ſeu in S. Codice, ſeu in profanis ſcriptoribus occurrentium, deductione: tum in verſione Bibliorum, a Miſrobo ſuſce-

pta

pta & Amſtelodami inter applauſus Virorum eruditisſimorum typis exſcriptæ tum denique in Hiſtoria, Chronologia & Geographia Armenica ſeſe uberrime exerit, erudite exponit. Grammaticam Armenicam in V libros diviſam exhibet, quorum I de Orthographia, II de Nomine, III de Verbo, IV de invariabilibus orationis partibus, V de Syntaxi agit. Ad Orthographiam revocavit Cl. Autor doctrinam de literarum Armenicarum numero, ordine, quadruplici figura & calligraphia; de earundem poteſtate & diviſione in vocales & conſonantes: item doctrinam de Syllabæ conſtitutione ac diviſione, de Voce ex ſyllabis conflata, de ejus affectionibus, Accentibus puta & Tono, Spiritibus, Paſſione (quo nomine Vinculum & Apoſtrophus venit) & interpunctionibus, de ſiglis ſeu Abbreviaturis, de genuina legendi ratione, & tandem de Vocalium mutatione ac eliſione. Quæ omnia X diſtinctis capitibus accurate ſatis & nervoſe ſunt diſcuſſa. Circa nomen conſiderari merebantur Qualitas, an ſit Subſtantivum vel Ajectivum; Species, an ſit primitivum, vel derivativum; Figura, an ſit ſimplex, compoſitum aut decompoſitum; Genus, an ſit Maſculinum, Fœmininum aut Neutrum; Motio; Comparatio; Numerus, tam Singularis quam Pluralis; Caſus, quorum Armeni 10 numerant; Declinatio, quarum totidem Nominum & Regularium & Irregularium deprehendes. His adde doctrinam de numeralibus & de Pronomine tam ſeparato quam affixo, cum ſuis ſubdiviſionibus & accidentibus. De Verbo porro Noſter agit primo in genere, deinceps in ſpecie, quoad Qualitatem, an ſit regulare vel irregulare, & Speciem, an ſit primitivum vel derivativum; quoad Figuram, an ſit ſimplex, compoſitum vel decompoſitum; quoad ſignificationem, an ſit Activum, Paſſivum, Neutrum, Commune & Intranſitivum: de ejus flexione per modos, tempora, numeros & perſonas; de temporum ac perſonarum formatione per omnes caſus; de I, II, III & IV Conjugatione; de Verbis Auxiliaribus & denique de Imperſonalibus. Addit deinde obſervationes de Præpoſitione, Adverbio, Conjunctione earumque ſpecie, figura & ſignificationibus. Ad Syntaxin vero haut immerito refert convenientiam nominis cum nomine, ſeu

Subſtantivo,

Subſtantivo ſeu Adjectivo, Nominis cum Pronomine, Nominis cum Verbo, Regimen Nominis Subſtantivi & Adjectivi; Syntaxin Verborum Infinitivorum, Participiorum, Imperſonalium, Præpoſitionis, Adverbii, Conjunctionis ac Interjectionis, & tandem Syntaxin mixtam ſeu elegantiarum, in quibus ſingulis nec Autoris diligentiam nec judicium deſiderabis. Ad calcem Grammatices Proſodiam Armenicam ſubjunxit Autor, in qua de Syllabarum quantitate, de pedum conſtitutione, ut fiat Spondæus, Jambus &c. de verſu ex Spondæo, Jambo &c. conſtituto: de carmine ſive Monocolo ſive Polycolo ſive Strophico: de rhythmo, tum æquali tum inæquali, tum puro tum impuro: de carmine rhythmico, denique de Muſica ejusdemque Notis ſermonem inſtituit. *Confeſſio Fidei* Eccleſiæ Armenicæ verſione non modo Latina, ſed & notis ac obſervationibus eruditiſſimis inſtructa eſt. *Synopſis Linguæ Armenorum hodiernæ* eo ordine procedit, ut primo Orthographiam, deinde Nomen ejusdemque affectiones, Pronomen, Verbum, Præpoſitionem, Adverbium, Conjunctionem & Interjectionem, denique Syntaxin, prouti hac noſtra ætate apud Armenos in uſu eſt, explanet. *Dialogi*, numero tres, tum de rebus ac ritibus Armenorum Sacris, tum de rebus Secularibus, tum denique de rebus convivalibus & domeſticis agunt. Supereſt *Epiſtolographia Armenica*, in qua, quid circa ſtylum epiſtolarem, titulos, ſubſcriptionem nominis, inſcriptionem &c. notandum, regulis non minus, quam exemplis perſpicue oſtenditur. Sub finem quoque penſum ex *Moyſe Cheronenſi*, tanquam *praxis Grammatica* pro tyronibus, indices, tum Armenarum tum Latinarum vocum, nec non Pſalmi duo Armenici, & alia annectuntur. Hæc ſciagraphia eſt operis elegantiſſimi, quod ab hujus linguæ cupidis perluſtrari malumus, quam ut ſpecimina inde hic exhiberi conſultum ducamus. Nihil addimus, niſi quod monendum putamus, pauca admodum libri exemplaria impreſſa, neque eum vulgo in publicis officinis proſtare. Ceterum doctiſſimum Autorem publico nomine rogamus, ut quorum ſpem fecit, Lexicon nempe Armenicum & Hiſtoriam atque Bibliothecam Armenicam, cum Orbe erudito quam primum communicet.

PHI.

Digitized by Google

PHILARGYRII CANTABRIGIENSIS Emendationes in Menandri & Philemonis Reliquias, ex nupera Editione JOANNIS CLERICI. Ubi quædam GROTII & aliorum, plurima vero Phileleutheri Lipſienſis Errata caſtigantur. Cum Præfatione JOANNIS CLERICI. Accedunt ANTONII MARIÆ SALVINII, Publici Græcarum Florentiæ Profeſſoris Annotata in Menandri & Philemonis Reliquias.

Amſtelodami, apud Henricum Schelte, 1711, 8 maj.
Plag. 14.

QUi in emendandis hiſce Novæ Comœdiæ reliquiis verſantur, Viri Eruditiſſimi, hactenus imitantur Novam Comœdiam, quod ſub fictis nominibus prodeunt in Scenam, neque ὀνομαςὶ vel ſe præbent traducendos, vel alios traducunt, ut poſt Phileleutherum M. Lucilius Profuturus, & nunc Philargyrius Cantabrigienſis; dum autem alter alterum ſatis duriter atque inclementer inſectatur, in eo ad Antiquam redire videntur, in qua dicteria acerba, convicia atque maledicta aperta vigebant. Præcipue Philargyrius prodigus talium eſt in Phileleutherum. Defendit paſſim Clericum, & indignatur, Virum clariſſimum aſperius habitum, præſertim propter metra, quæ tamen non omnia pro bonis & integris venditaverit: item ſi Clericus cum aliis errans, ſolus vapulet: nec non ſi errata typothetarum ei imputentur: præterea ſi loca ſana tententur: denique ſi qua emendentur, iisque nihilo meliora proferantur. Nec tamen Clerici tam fautor inepte eſt, ut non fateatur quædam eum commiſiſſe; nec adeo iniquus erga Phileleutherum, ut non affirmet multa ab eo emendata eſſe, *recte*, *bene*, *optime*, *veriſſime*, *non invenuſte*, his enim utitur paſſim vocibus.

Liceat autem, pace quod fiat eruditiſſimi Philargyrii, ut factum in Emendationibus Phileleutheri Menſe Januario hujus anni in Actis noſtris, ita hic etiam ex ipſius Emendationibus pauca quædam excerpere, quidve de iis videatur, aperire. Omnia quidem, quæ placent, non afferentur, major enim pars libri exſcribenda foret; ſed ex illis tantum quædam, quæ in Phi-

leleutheri Emendationibus, & nobis & Philargyrio probantur, conſentit enim in quibusdam, licet nondum tunc Acta noſtra legiſſe videatur; deinde alia adjungentur, in quibus & ipſi & nobis ſecus videtur. Obſervaveramus p. 31, Ioniſmos recte a Phileleuthero proſcribi ex Scena Attica; eadem ſententia Philargyrii, qui p. 106 ſuarum Emend. diſplicere ſibi dicit Heinſii conjecturam in iſtis:

Ὦ νὺξ, σέο γὰρ δεῖ πλεῖςον Ἀφροδίτη.

quia, inquit, *Ionicum illud σέο Scenam Atticam intrare non poteſt*, & recte quidem hanc ob cauſam diſplicere ſibi illa dicit: ſed ſi propterea tantum; non ſenſit Solœciſmum: σῦ δεῖ Ἀφροδίτη, pro σῦ δεῖται Ἀφροδίτη· vel σῦ δεῖ Ἀφροδίτῃ in Dativo, niſi forte ita ſcripſit Vir doctiſſimus & jota ſub η aliorum incuria neglectum eſt, quod malumus credere: ſed præterea nec verſus ille integer eſt. Eadem de cauſa p. 139 ὁρῶ, quod Grotius immutaverat in ὁρέω, revocat, locumque feliciter corrigit. Idem Grotius alicubi ποιέων ſcripſerat pro ποιῶν, uterque, & Philargyrius p. 144 & Phileleutherus p. 129, reſtituit antiquam lectionem, quia porro Ionicum eſt ποιέων. Obſervaveramus etiam Poeticas voces recte a Phileleuthero repudiari: idem videri & Philargyrio apparet; nam cum Phileleutherus p. 120, de loco quodam a Grotio infeliciter emendato agens, hæc ſcripſiſſet; *Illud ἐστὶ Poeticum prorſus eſt, neque Scenam Atticam intrare poteſt*; Philargyrius p. 132 ad eundem locum laudat Phileleutherum, quod *vulgatam ſcripturam huic Grotianæ præferat.* Sed de illis quidem, quæ mere Poetica ſunt, nullum eſt dubium quin exulare debeant e Comœdia præſertim Nova; verum ſunt multa, quæ non cuivis ſtatim Poetica videbuntur, ab alio pro talibus habita; ſic ἄρειον, quod Cl. Clericus poſuit in Philemonis Reliquiis ex incertis Comœdiis v. 234:

Θανεῖν ἄρειόν ἐςιν ἢ ζῆν ἀθλίως.

Phileleuthero Poeticum videtur Num. CCCV. Philargyrius autem, eundem verſum allegans, ut eſt a Clerico editus, de illo ἄρειον tacet, ac proinde tolerare id videtur: nos etiam, cum cetera recenſuiſſemus in Actis noſtris, quæ a Phileleuthero recte pro Poeticis haberi putabamus, illud prætermiſimus tunc; quod

quod eſſet in promtu locus ex oratione ſoluta, ubi *ἄρειον* occurrit, quem hic adducemus; Ariſtotelis eſt apud Plutarchum de *Conſol. ad Apollonium* p. 115 D. *τί με βιάζεσθε λέγειν ἃ ὑμῖν ἄρειον μὴ γνῶναι*; De loco Philemonis obiter dicemus, nobis nec Cl. Clerici emendationem usquequaque diſplicere, nec iſtam Phileleutheri:

> *Θανεῖν ἄριστόν ἐστιν, ἢ ζῆν ἀθλίως·*

interim tamen priſtinam lectionem vix eſſe ſolicitandam, quæ ſic habet apud Stobæum & Grotium:

> *Θανεῖν ἄριστόν ἐστιν ἢ ζῆν ἀθλίως*
>
> *Mori* potius *optimum eſt, quam vivere miſere*

tantum ſubaudiatur *μᾶλλον*, ut ſæpiſſime alias etiam ſolet ante *ἢ*· nempe præcedentibus verbis *optandi*, *eligendi*, & *voluntatem* ſignificantibus: nec deſunt exempla ubi Adjectivum poſitivi gradus ſequente *ἢ* habet vim Comparativi ſubaudito *μᾶλλον*· ut hic Superlativus: & in hoc Anthippi Comici loco apud Athenæum p. 404 D.

> *Τὰ τῶν γερόντων στόματα διαφορὰν ἔχει,*
>
> *Νωθρότατα πολλῷ δ' ἐστὶν ἢ τὰ τῶν νέων.*

id eſt, *πολλῷ μᾶλλον νωθρότατα*. Sic etiam hunc Ariſtophanis locum in Avibus v. 824: *καὶ λῷστον μὲν ἢ τὸ Φλέγρας πεδίον* Scholiaſtes per Comparativum exponit: *βέλτιον ἢ εἰς τὸ Φλέγρας πεδίον*. (in antecedentibus apud Scholiaſten aliquid deeſſe videtur, aut etiam corruptum). Scimus equidem, Cl. Hemſterhuſium, qui illam Comœdiam elegantiſſime vertit, *ἢ* pro disjunctiva particula habere, & magnopere probamus, cum vertit: *Optimum quidem eſt* ut hanc eſſe dicas, *aut campum Phlegraum*, ſic enim ſcripſiſſe putamus Virum Cl. non *campus Phlegraus*; ſed & Scholiaſtæ illa expoſitio bona eſt, patetque inde Superlativum cum *ἢ* exponi poſſe per Comparativum. Quod ſi conſtaret, Cl. Clericum illud *ἄρειον* non ex propria conjectura, verum ex auctoritate libri alicujus poſuiſſe, (nihil enim indicavit) poſſet videri commutatum cum *ἄμεινον*. Sicut in oraculo de Cyrene condenda apud Herodotum in Melpomene legitur *οἶδας ἄμεινον*· apud Plutarchum autem *de Pythia Oraculis*, ubi idem verſus citatur, *οἶδας ἄρειον*· atque hoc pacto *ἄμεινον*

in Philemonis loco non immerito ſcribi poſſe quis ſuſpicaretur, ſi ἄρειον Poeticum videatur. Ut autem iſtud Phileleutherus Poeticum putavit, quod tamen in ſoluta oratione occurrere oſtendimus; ita eidem τοῖον pro τοιοῦτον vel pro τοιόνδε non habetur pro Poetico, quod nos in illorum numerum referre non dubitavimus p. 33, nec adhuc dubitamus; Philargyrius autem tantum abeſt ut τοῖον pro Poetico habeat, ut ei adamare id Græci videantur tanquam redditivum ad ὁποῖον· nam p. 129 ſcribit: *ὁποῖον, ταὐτὸν ἦν revera ingratum eſt, & Græci non ita ponunt ex adverſo; ὁποῖον, τοῖον adamant illi.* Imo ὁποῖον, ſive οἷον ponere poſſunt ex adverſo cum ταὐτὸν, & uſitate cum τοιοῦτον aut τοιόνδε, ſed non cum τοῖον, niſi qui Poetice loquuntur, ponunt. Etiam τὰ pro ταῦτα a Phileleuthero ποιητικωτέρως poni diximus ibidem; cujus aſſertionis nondum nos pœnitet. Thucydides cum Lib. I ſub initium ſcripſiſſet: ἐν τοῖς πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι τὸν σίδηρον κατέθεντο, Scholiaſtes ibi notat: Ἐν τοῖς. ἐν τούτοις ποιητικῶς. Nemo autem objiciat: atqui ſolutæ orationis Scriptor eſt Thucydides; ſatis oſtendit Dionyſius Halicarn. ad Ammæum & alibi, phraſin ejus a communi uſu eſſe alieniorem: cum in Comœdia, ut docent veteres Grammatici, omnia ad popularem captum & uſum componantur, maxime in nova; nam in veteri character ſublimior. Nemo etiam objiciat hujusmodi phraſin: Λάχητι καὶ Χρέμητι λέγω, τῷ μὲν ὑγιαίνειν, τῷ δὲ κλαίειν. Nam hic alia ratio. Philargyrius etiam articulo Præpoſitivo abuſus eſt, dum τὸν pro τοῦτον, vel quod pejus, pro αὐτὸν uſurpavit p. 120, in iſtis infeliciter omnino ab ipſo interpolatis:

Καὶ τόν τι πράττειν οὐ μόνον τὰς ἐλπίδας
Ἐπὶ τῇ τύχῃ χρὴ, παιδίον ὡς, πάντως ἔχειν
Ὅς βούλεταί τι.

hæc præterea variis modis ipſe depravavit, a Cl. Clerico rectiſſime, & ſine ullo omnino vitio edita:

Κ'αυτόν τι πράττειν οὐ μόνον τὰς ἐλπίδας
Ἐπὶ τῇ τύχῃ χρὴ, παιδίον, πάντως ἔχειν
Ὧν βούλεταί τις.

Et ipſum aliquid facere, non tantum ſpem
In fortuna oportet, fili, prorſus habere
Eorum quæ cupit quis.

In his nemo jure quid deſideret, niſi forte pro πάντως ſcribendum potius videatur πάντων, ut ſit ἐλπίδα πάντων ὧν βούλεται. Sed & ἐλπίδα ὧν βούλεται recte dicitur per éllipſin pronominis τούτων, ut ſæpiſſime ſolet & in primis elegans eſt. Obſervaveramus etiam ex Phileleutheri libello, *quasdam particulas non inchoare verſum*; in quo etiam conſentientem habemus Philargyrium; cum enim Clericus a Phileleuthero reprehenſus fuiſſet, qui initio verſus δὲ poſuerat: Philargyrius p. 80 ad eundem verſum, *Verum eſt*, inquit, *quod de particula δὲ - narrat*, & p. 107, ubi affert verſum, quem Grotius a γὰρ inchoaverat, prætereaque rem non ſatis feliciter geſſerat, ob eamque rem a Phileleuthero reprehenſus fuerat: atque id *merito* factum eſſe dicit.

In his itaque tribus Obſervationibus, nempe de *Ioniſmis*, de *Poeticis vocabulis*, & de *Particulis verſum non inchoantibus* ὁμόψηφος nobis eſt Philargyrius; non item de concurſu vocalium inter duas voces vitando, ne fiat *Hiatus*. Nam poſtquam ſemel opinionem quandam falſam concepit, eandem nimirum fuiſſe in hac re Comicorum licentiam, quam in Homero aliiſque hexametrorum aut pentametrorum Poetis videmus; luxuriat in iſtis hiatibus. P. 92 Num. 101 - εἰ ὁ δεσπότης, ubi *illud* ὁ inquit *nihil ab* εἰ *ſibi metuendum habet; nam hic eliſio ſane non eſt ita prona, ſimilesque hiatus millies deprehendere licet; vel unum inſpicias Homerum.* P. 142 Num. 15 v. 8 - ἑαυτῷ ἐὰν - cum Phileleutherus hic deformem eſſe hiatum dixiſſet; Philargyrius p. ſeq. *Hiatus*, inquit, *quem vocat deformem, non eſt ſane deformis, ſed cui in Poetarum loculis ſimiles reperiuntur pluſculi.* Hac inquam concepta opinione non tantum hiatus in iſtis etiam admittit, ſed præterea longas vocales & diphthongos ſequente vocali vel diphthongo corripit, ut p. 37 - πρώτου ἐν - & p. 49 lin. 6 ἀπεθάνη εἰ - & p. 56 in med. κρίνει οὐ - & p. 68 lin. 6 Θεοῦ οὐ - & p. 111 lin. 9 - εἶναι ἢ - & p. 122 in fine ἢ ἀλήθει ἔχει & p. 142 lin. 25 ἀφαιρεῖται ἀγαθόν. Statuit etiam

iam ante vocalem quæ ſpiritum aſperum habet, non elidi vocalem, ut p. 129 in fine - δὲ ἡ - & p. 130 Σάνναχος ἱπποτραγέλαφοι, & p. 134 in med. - ἱερεῖα ἵν᾽ ὅταν - & p. 142 καὶ ἑτέρους - Quin tantam vim ei habet ſpiritus aſper, ut etiam ſyllabam brevem conſonante terminatam producat; p. 73 hæc ſcribit ad Phileleutherum directa oratione: *Nam quod tu forte ignoras, ego cum eruditioribus ſcio, ultima in τοὐναντίον producitur, propter ſpiritum aſperum in voce ἁλίσκεται, & vim cæſuræ.* Scit hæc inquam Phileleutherus, ſi ſatis novi virum, & quæ his frigidiora commenti ſunt aliqui Grammatici ad excuſandos verſus quoſdam, nec ea forte morabitur. Sed ut ad hiatus redeamus, etſi non negemus, dari quoſdam etiam apud Iamborum Poetas, nec unquam negaverimus, ut patet ex Actis noſtris p. 31, ubi etiam exempla protulimus, cujus generis Noſter etiam duo affert p. 120, & alibi οὐδὲ εἷς quod itidem verum eſt: poſſimusque alius etiam generis proferre, nam & præcedente περὶ ſcimus alicubi vocalem non elidi, & ὅτι & δὴ & μὴ præcedentibus alicubi; nihilominus tamen veriſſimum eſſe comperimus, quod Phileleutherus dixit: *Ab hiatu illo concurrentium vocalium veteres maxime caviſſe*, & comperient, quicunque conſuluerint Tragicos & Ariſtophanem. Ut autem in hiatibus nimium indulſit ſibi Philargyrius; ſic e contrario viſus eſt nimis audacter elidere vocales longas, p. 33 ἐγ᾽ οὖν μὲν ἤδη - pro ἐγὼ οὖν, & præcipue p. 108 - ἀνθρωπ᾽ ὡς pro ἀνθρώπω ὡς, ut ipſe dicit. Quin nec ἀνθρωφ᾽ ὡς ſcripſit, ut mos in talibus, ut p. 56 lin. 21 πάντ᾽ ὡς ſcripſit pro πάνθ᾽ ὡς.

Hactenus de univerſalibus Obſervationibus. Nunc ad ſingularia deſcendemus, quæ ex Phileleutheri Emendationibus & nos attigimus in Actis, & Philargyrius: deinde ad alia Philargyrii. Verſum illum

Ἔξεστιν ἀποκτείνειν μὲν ἀποθνήσκειν δὲ μή.

quem recte ſe habere diximus p. 32, ipſe etiam affirmat p. 141. Sed cum affingit Phileleuthero ἔξεστιν eum pro dactylo habuiſſe, quid ſibi velit, profecto neſcimus. P. 34 pro - οὐδέ γ᾽ οἶσθά σ᾽ ἄθλιε ſcribebamus - οὐδὲν οἶσθ᾽ ἄρ᾽ ἄθλιε· Philargyrius p. 55 lin. 4 - οὐδὲν οἶσθά γ᾽ ἄθλιε, itidem bene. Illud εἰς πάντα, de

que

quo eadem pagina egimus, ipſe etiam nobiscum negat eſſe barbarum p. 58. Illum autem locum, in quo Phileleutherus κἂν βιῶν' ἔδει legit, nos autem p. 35 κἂν βιοῦν δέῃ, nulla indigere emendatione putans p. 76, vehementer fallitur, dum hæc

--- ταῦτα κἂν ἑκατὸν ἔτη βιώσεται,
Ὄψει παρόντα, κἂν ἐνιαυτοὺς σφόδρ' ὀλίγους

vertit: *Hæc ſive centum vivatur annos, ſive annos perpaucos, in oculos eodem incurrunt modo.* Et hæc annotat: *Non opus eſt ut vel literam mutes.* Βιώσεται *omnes novimus, quod hic* vivatur *reddidi, ut Latina Græcis amica forent.* Ὄψει *vox eſt ſubſtantiva & tertius caſus τοῦ ὄψις, non verbum, ut hactenus crediderunt Interpretes noſtri,* ὄψει παρόντα *quæ oculis præſto ſunt.* Ergo ita vertatur; ſive illis ipſis verbis totus locus: *Hæc ſive centum vivatur annos, ſive annos perpaucos, quæ in oculos eodem incurrunt modo.* Et apparebit abſurditas. De βιώσεται etiam, qui recte norunt alia omnia norunt. Nos adhuc ita accipimus, ut Phileleutherus: tantum ut ad illud βιώσεται propius accedamus, nunc legimus:

-- ταῦτα κἂν ἑκατὸν ἔτη βιοῦν σε δεῖ
Ὄψει παρόντα, κἂν ἐνιαυτοὺς σφόδρ' ὀλίγους
Hæc ſive centum annos vivere te oportet,
Videbis præſentia, ſive perpaucos.

Neminem autem offendat κἂν δεῖ· nam etſi aliud aliquod verbum præſentis temporis cum κἂν in Conjunctivo efferendum ſit, tamen δεῖ etiam in Indicativo ſolet. Sic apud Ariſtoph. in Pluto v. 216:

--- κἂν δεῖ μ' ἀποθανεῖν
Αὐτὸς διαπράξω ταῦτα ---

Pro illo proxime ſequente τὴν ἐπιδημίαν ἄνω, ubi articulus illo loco poſitus a Phileleuthero nobis diſplicebat; Philargyrius p. 77 habet κ'ἀπιδημίαν ἄνω omiſſo articulo, quod non diſplicet. Eadem pagina pro καὶ τοῦτον diximus, præter neceſſitatem Phileleutherum ſcripſiſſe κ'εἰ τοῦτον· hoc Philargyrius etiam ſenſit p. 92. Locum autem illum, de quo nos agimus p. 36 & ſeq. ipſe p. 97 ita conſtituit:

Ἠ

Ἡ μὴ γαμεῖν γὰρ, ἂν δ᾽ ἅπαξ λάβῃς, φέρειν
Μύσαντα πολλὴν προῖκα καὶ γυναῖκα δεῖ.
Ἐκπυνθάνεσθαι παρθένων δ᾽ ἡμᾶς ποτέ.

Bene & ex noſtra ſententia, ſi δεῖ ſubaudiendum in tertio verſu putat; ſed tamen ipſe etiam longius recedit ab illo σέθεν, quod eſt apud Stobæum, dum pro eo reponit ποτὲ, quam nos qui δέον. Pro γυναῖκας ἔπλασε non debuiſſe γυναῖκ᾽ ἔπλασε ſcribi diximus p. 37 lin. 19, ipſe etiam p. 103 lin. 32 infeliciter id omnino factum dicit. Πρῴην ibidem pro *olim* vel *prius* (male in quibusdam exemplaribus apud nos editum πρώτην) nunc etiam improbamus; at ipſe p. 115 id amplectitur. Πλέον ἔχειν pro *proficere* recte dici Græce oſtendimus ibid. at Philargyrius p. 124 Phileleutherum id negantem ſequitur; non enim quod apud Stobæum legitur:

Τί δὴ ποιεῖς; πλέον οὐδέν· ἡ λύπη δ᾽ ἔχει.

ſic mutaſſet:

Τί δὴ ποιεῖς; δέον οὐδέν ---

Ultimo loco verſiculum varie tentatum

Ὅστις πένης ὢν ζῇ, παρὰ ζῆν βούλεται,

ſanum eſſe diximus; ipſe etiam *veriſſime* a Geſnero & Grotio ita editum affirmat. Sed hæc hactenus; de ceteris Menſe proximo dicemus uberius.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SECUNDI a Chriſto nato Seculi Selecta Capita, delineata ſtudio D. THOMÆ ITTIGII, Super. & Theol. Prof. in Eccl. & Academia Patria Lipſienſi. Præmiſſa eſt ejusdem de Scriptoribus Hiſt. Eccleſ. antiquioribus Diſſertatio.

Lipſiæ, apud Jo. Frider. Braunium, 1711, 4.
Alph. 2 plag. 10.

CUm Hiſtoria Eccleſiaſtica Seculi I a B. Autore edita, & ab ipſo in Actis noſtris A. 1709 recenſita, communi eruditorum, & antiquitatis Eccleſiaſticæ intelligentium, applauſu exciperetur, adduci ſe paſſus eſt Vir diligentiſſimus, ut Seculum II eadem ratione, ac induſtria & doctrina pari perſequeretur. Cujus

Cujus quidem laboris eum tulit fructum, ut eum maxima ſui parte ad finem perductum videret, nec quicquam non elaboratum relinqueret, præter paucos Capitis VI paragraphos & Caput VII integrum, Hæreſibus ediſſerendis deſtinatum, quod Viri Cl. L Chriſtiani Ludovici, P. P. induſtriæ debemus. Ipſi commentationi pereruditæ, & B. Autoris ingenio dignæ, præmittitur Præfatio de Scriptoribus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ antiquioribus, h. e. illis, qui ante doctrinam, Divi Lutheri beneficio repurgatam, vixerunt. In his alios ait eſſe deperditos, ut *Hegeſippum*, qui Sec. II libros V Actuum Eccleſiaſticorum conſignavit, Heſychium item, non VII, ſed vel V vel VI Seculi Scriptorem, cujus fragmentum de Theodoro Mopsveſteno in Concilio Generali V collat. V exſtat: alios inter MSS. adhuc numerari, ut Theodorum Lectorem, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam Tripartitam ſcripſit: alios denique ſuperſtites eſſe, qui vel Hiſtoriam Univerſalem & Chronica generalia tradiderint, alibi enumerandi, vel Hiſtoriam Sacram aut Eccleſiaſt. delinearint, partim Græci, partim Latini, quorum accuratior recenſio hic ſuppeditatur. Primo loco occurrit Euſebius Sec. IV, de quo multa attulit Cl. Hanckius p. 127 de Scriptor. Byzantinis. Hiſtoriam illius præter Rufinum Wolfg. Muſculus & Jo. Chriſtophorſonus Latine converterunt, quorum poſtremus & ipſe paſſim hallucinatus eſt, & Baronium, cæco impetu ſequentem, in errorum ſocietatem abripuit eo felicius, quo magis verſio illius dogmatibus Romanæ Eccleſiæ eſt accommodata. Propterea meliorem dedit interpretationem Henr. Valeſius, quamvis nec ipſe, quod Cl. Dupinio T. II Bibl. Eccleſ. p. 8 ed. Lat. obſervatum eſt, ab omni animadverſione liber. Recenſitis poſtea editionibus Euſebii vel Græcis ſolum, vel Lat. verſione munitis, de *Socrate Scholaſt.* Sec. V Scriptore commentatur B. Autor, cujus VII libri res inde ab p. 6.
A.C. 305 per 134 annos geſtas complectuntur. Hunc excipit *Hermias Sozomenus* ab A. 324, qui idem H. E. penſum, quod Socrates, abſolvit, ad quem, ut nec ad Socratem, illud Gregorii M. judicium referri haud debet, quod lib. VI ep. 31 legitur, cum ad Theodoretum potius referri debeat. Sequitur *Theodoretus*, hiſtoriam annorum 105 inde a turbis Arianis usque ad mortem Theodori 7.

 Mops-

Mopsveſteni h.e. A.C. 427 complexus, quem Garnerium in Au-
p. 8. ctario Opp. Theodoreti p. 193 in fraudis ſuſpicionem præter ra-
tionem adduxiſſe oſtendit, & varias ejus editiones commemo-
10. rat. *Philoſtorgiani* operis epitome tantum ſupereſt a Jac. Go-
thofredo Genevæ 1646 curata, cujus operam quamvis Sarravius
ep. 45 magni æſtimet, Stephanus Clericus tamen vel ex hoc
opere vix mediocrem ei Gr. L. notitiam fuiſſe colligit, teſte Jo.
Clerico in vita Stephani Clerici. Neque negari poteſt, Vale-
11. ſium hic multa emendaſſe. *Evagrius* Sec. VI ſcripſit, libris 6. hi-
12. ſtoriam inde ab A.C. 431 ad 594 perſequens. *Theodorus Lector*
eodem tempore ex Socrate, Sozomeno & Theodoreto Hiſtori-
am Tripartitam concinnavit, cujus tantum collectanea quædam,
a Nicephoro Calliſto amanuenſi dictata, ſuperſunt, quod inſcri-
ptio docet, ex qua Sagittarius ea ſuppoſita judicavit, Miræus
13. autem Theodorum A. C. 1320 vixiſſe falſo ſibi perſuaſit. *Nice-
phorus Calliſtus* Sec. XIV libris 23 de rebus a C.N. usque ad A. C.
911 commentatus eſt, ex quibus 18 tantum ſuperſunt, qui in uni-
co tantum MS. olim Budenſi, nunc Vindobonenſi, leguntur,
de quo exponit Lambecius Tom. I Biblioth. Vindobon. p. 62,
14. 108 & 152. Inter Latinos Scriptores H. E. occurrit *Rufinus*, qui
A. C. 400 libros XI H. E. exaravit, e quibus 9 priores Lat. Euſe-
bii verſionem, duo poſteriores ejus continuationem a Conc.
Nic. usque ad mortem Theodoſii Sen. exhibent. In verſione
ita verſatus eſt, ut variis narrationibus de ſuo additis integrum
librum X Euſebii omiſerit. Fallitur Beatus Rhenanus, qui
duos poſteriores Rufini libros, quibus Euſebium continuavit,
16. ex Hiſtoria Tripartita deſumtos putat. *Sulpitius Severus* Sec.
V ſcripſit ſtylo terſo & eleganti, quem Gennadius c. 19 de Scri-
ptor. Eccleſ. in ſenectute a Pelagianis deceptum loquacitatis
culpam ſilentio poſtea emendaſſe ait, quod falſum videtur
Chifletio in Paulino illuſtrato p. 169. Hallucinatus paſſim eſt
Sulpitius, quem excuſare conatur Jo. Launojus in diſſert. ad lo-
17. cum Sulpitii de primis Galliæ martyribus p. 79. *Epiphanius
Scholaſticus* Sec. VI Socratem, Sozomenum & Theodoretum La-
tine vertit, ex qua verſione Caſſiodorus Tripartitam Latinam
concinnavit. Beatus Rhenanus eam cum Rufini H. E. edidit,
quam

Digitized by Google

quam tamen perverſionis potius nomine dici debere arbitra-
tur. *Gregorius Turonenſis* eodem ſeculo vixit, cujus libri X Hi- p. 20.
ſtoriarum in MS. Cod. hiſtoriæ Eccleſiaſt. titulum præ ſe ferunt.
Leguntur illi non ſolum in Opp. Gregorii a Guil. Morellio 1561
curatis Pariſ. ſed etiam alias ſæpiſſime prodierunt, eruditorum
Virorum curis, quæ diligenter commemorantur, illuſtrati.
Anaſtaſii Bibliothecarii, poſt medium Sec. IX viventis, Hiſtoria 22.
Eccleſ. e tribus Græcis Scriptoribus hauſta eſt, nempe ex Nice-
phori Patriarchæ CPolit. Chronographia, Syncello & Theo-
phane. Edita eſt a Fabroto Pariſ. 1649. *Haymo Halberſtadienſis* 23.
eodem Seculo X libros Hiſtoriæ Sacræ ſcripſit a C. N. ad Secu-
lum V progredientes. Voſſius eos per errorem Haymoni Can-
tuarienſi tribuit p. 372 de Hiſtor. Lat. notatus ideo a Sandio.
Orderici Vitalis, Sec. XII florentis, H. E. libb. 13 comprehenſam 24.
inter Scriptores vet. hiſtoriæ Normannorum Pariſ. 1619 Andr.
du Chesne edidit. *Albertus Cranzius* Metropolin ſive H. E. de
Eccleſiis a Caroli M. ætate i. e. ab A. C. 780 ad A. C. 1504 fundatis
commentatus eſt, multis ex Gobelini Cosmodromio mutuo
deſumtis, ceu obſervatum eſt Meibomio in proleg. ad Gobe-
linum. Hac Præfatione defunctus B. Autor Cap. I dicere in-
ſtituit de Scriptoribus & Scriptis Eccleſiaſticis Sec. II. Inter p. 2.
hos primo loco ponitur *Ignatius*, de cujus ſcriptis cum per-
multi, & ipſe B. Autor in diſſ. de PP. Apoſtol. §. 83 ſq. data
opera ſcripſerint, illis laudatis §. 2 ſpeciatim notatur D. Chri-
ſtianus Gottlieb Koch, qui in præfat. ad Juſtini Mart. dialo-
gum examinatum ob varias & horrendas depravationes Ignatii
Epiſtolas merito ut ſuppoſitas rejici arbitratur, quamvis & ipſe
in diſſert. de Pauli conjugio c. 3 primo loco ad Ignatii Epiſto-
las provocet. De *Polycarpo* inter alia monetur, Cl. Dupinium 4.
tractatum quendam de unione Johannis apud Monachos
S. Floræ aſſervatum teſtari, qui tamen non de unione ſed de
obitu Johannis inſcriptus eſt. Juſtini Martyris dialogum cum 7.
Tryphone primus & hactenus ſolus *νοθείας* poſtulavit D. Chri-
ſtianus Gottlieb Kochius in ſcripto ſingulari Kilonii 1700 edito,
adverſarios varios nactus, quibus recenſitis ipſe B. Autor acce-
dit. Viciſſim Jo. Harduinus inter omnia Juſtini Mart. ſcri- 8.

Digitized by Google

pta ſolum iſtum dialogum germanum fœtum eſſe profitetur,
p.10. confutatus a Dupinio in præfatione ad T. V Biblioth. *Parænesin* ejus *ad Græcos* ſeu *Gentiles*, ab Hulſemanno p. 983 Patrologiæ inter pſeudepigrapha numeratam, genuinam eſſe Noſter arbitratur. Λόγον πρὸς Ἕλληνας vel mutilatum, vel Juſtino prorſus ſuppoſitum eſſe, putat Cl. Grabe in Spicilegio PP. Sec. II T. I, quorum neutrum ſufficienter probari poteſt. De ceteris Juſtini ſcriptis tam ſuppoſitis quam genuinis aliæ obſervationes afferuntur, ac denique diverſæ, quæ exſtant, editiones comme-
15. morantur. Sequitur *Tatianus*, quem Philaſtrius poſt Decii perſecutionem, Leo Allatius vero in not. ad Euſtathium poſt Adriani perſecutionem vixiſſe falſo arbitrantur, Gesnerus denique itidem per errorem ſub Juliano Apoſtata Martyrem factum putat. Orationem ejus ad Græcos Gr. & Lat. edidit Conr. Gesnerus, cui recte verſionem hanc tribuit Labbeus, præter rationem a Tenzelio p. 218 Exercitat. Select. reprehenſus, qui eam Conrado Clauſero adjudicare maluit. Eam inter orthodoxographa ſemel iterumque legi Editor Oxonienſis & Nourry tradiderunt per errorem, cum ſemel tantum Gr. & Lat. in illis
17. legatur *Harmonia Evangelica*, quæ ſub ejus nomine circumfertur, rectius Ammonio Alexandr. adſcribitur, præcipue cum talis non ſit, qualem eam fuiſſe veteres tradiderunt. Neque Tatiano ea adſcribenda eſt harmonia, quæ Ammonii Alexandr.
19. nomen præfert. Gregorius quidam Tatiano tractatum de anima dedicavit, quem, cum Nourry ineditum falſo putaret, in apparatu ad Biblioth. PP. Tomo II edi curavit, oblitus, eum jam a Gerh. Voſſio inter Gregorii Thaumaturgi opera editum eſſe. Quod ſi jam hæc inſcriptio vera putetur, neceſſe eſt ali-
20. um fuiſſe Tatianum, a noſtro illo diverſum. De *Irenæo* multi commentati ſunt, qui, interſperſis variis admonitionibus, lau-
23. dantur. Speciatim obſervatur, quinque poſtrema libri V capita in Eraſmi, Gallaſii & Grynæi editt. deſiderari & primo omnium a Fevardentio producta eſſe, in quibus cum Chiliaſmum ſuum prodat Irenæus, hanc forte cauſam, cur omitterentur, B. Autor fuiſſe ſuſpicatur. Irenæum inter Martyres
27. referendum eſſe, idem negat cum Dodwello in diſſ. de Irenæo, quod

Digitized by Google

quod veteres de illius martyrio nihil commemorarunt. De reliquiis Irenæi quæ circumferuntur, ea ſummatim ibidem perſtringuntur. Inter *Theophili* editiones præſtantiſſima putatur Gr. Lat. Oxon. 1684, novam autem cum ſuis & aliorum notis parare dicitur Cl. Gottlieb Schelguigius, Profeſſor in Athenæo Gedanenſi. Diverſum hunc Theophilum ab eo eſſe, quem Euſebius ſextum Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopum facit, contra Dodwellum in addit. ad Pearſon. de ſucceſſu Rom. Pontific. p. 11 recte negat Cl. Caveus T. II Hiſt. Lit. p. 31. *Liber de temporibus*, quem a Theophilo ſcriptum laudat Lactantius lib. 1 c. 3, non diſtinguendus eſt ab illo commentario, qui Autolyco eſt inſcriptus. Cl. Grabe in Spicileg. PP. Sec. II p. 223 fragmentum quoddam ex ejus commentariis in Evangelia, tanquam in commentariis editis non exſtans, & in Hieronymo tantum legendum, attulit, quod tamen vulgatæ etiam editt. lib. 3 circa finem totidem verbis exhibent. *Athenagoræ* variæ editiones exſtant diligenter recenſitæ, ubi inter alia Hulſemannus, p. 989 Athenagoræ Apologiam & librum de reſurrect. pro ſuppoſitis habens, confutatur. *Melitonis* ſcripta germana cum perierint, non defuerunt, qui alia ei ſupponerent, ac nominatim librum *de tranſitu Mariæ*, de quo præter alios conſuli poteſt Lambecius Tom. VIII Biblioth. Vindob. p. 161 & 189. Fragmenta tamen quædam genuinorum ejus Scriptorum adhuc exſtant. *Hermiæ* Irriſio Philoſophorum Gentilium ultima vice prodiit cum Tatiano Oxon. 1700, quæ Hermiæ Sozomeno a Lambecio & Tenzelio p. 227 Exercit. Select. perperam adſcribitur. *Hegeſippus Actuum Eccleſiaſticorum*, nunc quidem deperditorum, Scriptor, libros 5 de Excidio Hieroſol. non exaravit, ſed alius, qui veteris illius Hegeſippi nomen mentitus eſt. *Polycratis* Epiſcopi Epheſ. epiſtola ad Victorem Epiſc. Rom. *γνήσιος* fuit, cujus excerpta exſtant apud Euſebium III, 31. *Athenogenem* hymnum Græcorum matutinum & veſpertinum feciſſe, nec aliunde, nec ex Baſilii M. libro de Spiritu S. c. 29 probari poteſt: adde le Moyne ad Var. Sacra p. 1094 ſq. Teſtamenti 12 Patriarcharum variæ editiones referuntur & Nourry de eo cenſura ſeverior eſſe judicatur, quæ diſſ. XII c. 2 inſerta legitur. Poſtquam deinde

Marginal notes: p. 29. (beside "ſtringuntur. Inter Theophili"); 32. (beside "p. 11 recte negat"); 33. (beside "commentariis editis"); 34. (beside "nem totidem verbis"); 36. (beside "Athenagoræ Apologiam"); 37. (beside "habens, confutatur"); 39. (beside "quædam genuinorum"); 40. (beside "zelio p. 227"); 41. (beside "illius Hegeſippi"); 42. (beside "cerpta exſtant"); 44. (beside "Moyne ad Var. Sacra").

de epiſtolis Pontificum decretalibus, Actis Martyrii Jgnatii & Polycarpi, & ep. Eccleſ. Lugdun. & Viennenſis de martyrio
p. 48. Photini dixiſſet, de *Papia* exponit, cujus ſimplicitatem, ab Euſebio notatam, vel fragmenta, ex ejus ſcriptis conſervata, pro-
49. dere putat Grabe Sec. II Spicileg. p. 26. Ei proximus eſt *Quadratus*, cujus apologiæ fragmentum exſtat apud Euſeb. IV, 3, H. E. ubi quondam a Chriſto ad vitam revocatos ad ſua tempora vixiſſe ait, quod B. Hulſemannus in Breviar. Suppl. c. 16 p. 275 de mortuis, qui cum Chriſto reſurgente e ſepulchris prodierint,
51. minus recte interpretatur. *Ariſtidis* Apologiam in Calogerorum, prope Athenas Midelli habitantium, bibliotheca aſſervari recte dubitat, imo negat le Moyne not. ad Varia Sacra p. 156.
52. *Agrippæ Caſtoris*, qui Baſilidem confutavit, nihil exſtat, ſicut nec quicquam Abercii, Epiſcopi Hierapolit. legitur, cujus epiſtolam Baronius in not. ad Martyrolog. d. 22 Octobr. in Annalibus editurum ſe recepit, quam ad A. C. 163 conqueritur manibus ſuis elapſam eſſe. Poſt hæc breviter de Apollonio Montaniſtarum adverſario, Dionyſio Corinth. Rhodone, Serapione, Miltiade, Aſterio Urbano, Claud. Apollinari, Pinyto Cnoſſiorum Epiſcopo, Philippo Gortynæ Epiſcopo, Pantæno Catecheta Alexandr. Cajo Presbytero Rom. Ezechiele Tragico, Joſepho Antioch. Ariſtone Pellæo, Pothino Irenæi Succeſſore ali-
57. isque diſſeritur. Sic B. Autor defertur ad Clementem Alex. ac denique Tertullianum, de cujus ſcriptis & variis editionibus
58. ſingulari induſtria commentatur, ac ultimo loco laudat B. Zentgrafii eruditam Exercit. de lapſu Tertulliani, qua generatim de lapſu magnorum in Eccleſia Virorum lapſorumque charactere morali, & ſpeciatim de ingenio Tertulliani ejusque lapſu ac Tertullianiſtis exponit, occaſione a Fanaticis, Argentorati turbas excitantibus, ſuppeditata. His abſolvitur caput I tractationis hujus, quod, ceu ex dictis facile intelligitur, ita comparatum eſt, ut multa, ad Scriptorum Eccleſiaſticorum notitiam pertinentia, nec temere obvia, ſummatim complectatur. De reliquis Menſe proximo dicemus, vel in Supplementorum Tomo V Sectione I, quam prelo proxime committere conſtituimus.

B. DN.

Digitized by Google

B. DN. W. A. LAUTERBACHS JCTI COLLEgii Theotorico Practici a Libro trigeſimo nono Pandectarum usque ad finem, & ſic ad Digeſtum Novum Pars Tertia.

Tubingæ, ſumtibus Jo. Georgii Cottæ, 1711, 4. Alphab. 8 plag. 11.

PRimam præclari hujus operis partem A.1690 p. 366 & ſecundam A. 1707 p. 37 in his Actis recenſuimus. Hac tertia parte totum Opus abſolutum eſt, cumque de ejus ordine nihil dicendum ſit, ſed is ex ſerie Pandectarum jam intelligatur, ideo laboris indolem per nonnulla ſpecimina ſaltem declarabimus: hoc tamen generaliter antea monendum eſt, Conſultiſſimum Autorem, methodo cauſali, quam vocant, in ſingulis fere materiis tractandis peropportune uti, ac cuivis libro præmittere argumentum, in quo tam materiarum in eo contentarum, quam ejus cum libris præcedentibus connexionem tradere nititur, præterea circa ſingulos titulos loca parallela tam ex Jure Civili quam Canonico eundem indicare. In libro 39 Tit. I novi operis nunciationem exhibet, ac illius definitionem tam nominalem, quam realem, varias diviſiones, autorem, perſonas nunciantes, & quibus novum opus nunciatur, nunciationis materiam, formam, finem, effectum, contraria & affinia luculenter exponit, ac inter alia §. 7 docet, quod nunciatio realis, ex Hiſpanorum præcipue ſententia, fiat, ſi lapillus in eum locum, in quo fit novum opus, in ſolenne prohibitionis teſtimonium projiciatur; alii vero eam fieri exiſtiment, ſi lapilli præparati, ex loco, ubi quis novum opus parat, ab eo qui jus prohibendi habet vel ejus mandato, coram Notario & teſtibus diſpergantur atque projiciantur extra limites ſuæ poſſeſſionis; eumque modum veteribus ſymbolum fuiſſe prohibitionis novi operis, & vim quandam imaginariam ſeu feſtucariam ex LL. XII Tabb. introductam. Iis vero, qui nunciationem realem hodie non amplius in uſu eſſe cenſent, aliorum ac præcipue Cameralium Scriptorum contrarium aſſerentium autoritatem Noſter opponit. Porro ſanctionem *L. un. C. de nov. oper. nunc.*

nunc. juxta quam nuncians demum poſt trium Menſium lapſum ſatisdationem accipere tenetur, hodie non obſervari, ſed uſum ſatisdationis arbitrio Judicis hic relictum eſſe, plurium interpretum ſuffragio §. 35 oſtendit, In l. 42 tit. 1 de Sententiis & Re judicata prolixa occurrit commentatio, ex qua nonnulla delibabimus. In §. 6 diſtinguit Noſter ſententiam in *Actoriam*, quando Judex, cauſa nondum ſatis inſtructa, litigantibus, ut ulterius agant vel ſubmittant, injungit, & *Paritoriam*, eamque vel *ſimplicem*, qua parti ſententiæ latæ junctis executoria libus paritio ſimpliciter injungitur, vel *plenam*, qua ſimul exceptiones obmotæ tanquam irrelevantes rejiciuntur. In §. 8 non ſine indignatione notat Noſter errorem Blumii in *Proc. Camer. tit. 7 n. 47* occurrentem, ubi Aſſeſſori Cameræ Imperialis per ſententiam Cameralem d. 13 Dec. 1664 injunctum aſſerit, ut in cauſis ipſum ſuosque concernentibus aſſeſſione abſtineat. Sed hoc injurioſum & plane falſum eſſe dicit Conſultisſimus Autor, quaſi vero Judex Præſides & Aſſeſſores contra ordinationem, ſicque contra juramentum conniviſſent & demum non ſine proſtitutione Auguſtiſſimi Judicii Collegam in ſolenni audientia publice removiſſent: cum vero, cujus in dicta ſententia, in cauſa Schwindiſcher Erben contra Webern facta fuerit mentio, non Cameræ, ſed Scabinatus Reipubl. F. fuiſſe Aſſeſſorem monet, demonſtrante id Deckherro *in præfat. Sent. Cam. & in vind. ad Blum. d. n. 47.* Jure Civili, ex obſervatione Noſtri in §. 9 ipſe Judex ſententiam ferre & de ſcripto recitare tenetur, nec hoc per alium e. g. Actuarium facere poteſt, quod etiam de Jure Canonico procedit: excipiuntur tamen Præfecti Prætorio & aliæ perſonæ illuſtres, quæ etiam per alios ſententiam ferre poſſunt, & in cauſis levioribus viliumque perſonarum ſententiam non ſcriptam dicere licuit. Noſtris moribus, docente amplius Noſtro, ut plurimum ſententia non ab ipſo Judice, ſed a Secretario vel Actuario recitatur, & in Camera Imper. Judex cum Aſſeſſoribus pro tribunali ſedens ſententias per Protonotarium ex ſcripto recitari curat. Quomodo Judex ſententiam libello conformem dare teneatur, in §. 14 Noſter plenius explanat, inter alia adjicens, quod libelli menſuram

ille

ille in pronunciando excedere poſſit, ſi ex Actis plus conſtet, quam petitum in libello, vel ſi tacite fuerit petitum, vel ſi quid a litigatoribus, aut ab his, qui negotiis adſiſtunt, minus fuerit dictum, aut ſi clauſula ſalutaris libello fuerit adjecta. Hinc in ſpecie docet, quod inſtituens poſſeſſorium etiam in petitorio obtinere queat, ſcilicet ſi titulus, licet ad colorandum tantum poſſeſſorium, fuerit editus, & manifeſte de petitorio conſtet, eamque ſententiam præjudiciis Cameralibus remiſſive confirmat. Judicem in ſententia rationem decidendi exprimere non teneri, Noſter §. 21 admonet, ſed R. I. de anno 1654 §. ob er auch 55 Judicem ad decidendi rationes & quidem gratis ohne entgeld edendas obſtringi, ſi a ſententia ad Cameram Imperii appellatum, ſimul aſſerit, idque de eo caſu, quo Collegium vel Facultas Juridica, ex cujus conſilio ſententia lata, honorarium pro labore jam accepit & tamen dictas rationes non transmiſit, accipiendum eſſe cenſet. Modus exequendi in Camera Imperii uſitatus §. 32 ita deſcribitur: Sententiis condemnatoriis loco executorialium, ſtatim jungi ſolet terminus ad parendum & de facta paritione docendum, ſub comminatione pœnæ & realis executionis. Hoc termino ſine paritione elapſo, plerumque peti & pro re nata ſique declaratoria pœnæ præmiſſa, decerni ſolet mandatum de exequendo ſine clauſula ad certum Magiſtratum loci, vel Directorem Circuli, cujus jurisdictioni vel Circulo condemnatus ſubeſt, ad faciendam intra certum tempus contra eum executionem judicati & pœnæ. Sin Executor parere vel difficulter poſſit, vel tergiverſetur, vel nolit, Executio vel pluribus, & quidem ſamt und ſonders/atque ut juſtitia promoveatur, extrajudicialiter, uti plura proſtant exempla, demandari poteſt, vel Directori Circuli vicini eſt committenda. Quod ſi condemnatus nondum paruerit, vel reſtiterit, in bannum declarari debet, cujusmodi declaratio d. 7 Jul. 1698 per ſententiam facta & poſtea ſub dio ritu conſveto publicata eſt. Si Judex & Aſſeſſores ſint eccleſiaſtici, bannitum cenſura etiam eccleſiaſtica innodare indultum. In lib. 44 tit. 3 exceptionem præſcriptionis expoſiturus Noſter, primo obſervat, quod alia ſit præſcriptio rerum,

alia actionum; deinde quod exceptio præſcriptionis non ſit exceptio proprie talis ſive juris, ſed impropria & facti ſive intentionis inficiatio, poſtea naturam & varietatem temporis explanat, inter alia aſſerens, quod tempus legale ſit *ſpatium, quo juris cujuslibet initium, duratio & finis determinatur*, ſive ex doctrina Antonelli, *actuum civilium menſura*, denique quoad præſcriptionem Actionum, has inculcat regulas: (1) Actiones civiles regulariter præſcribuntur 30 annis, (2) Actiones prætoriæ pœnales regulariter anno finiuntur, ſed (3) rei perſecutoriæ omnes regulariter ſunt perpetuæ, (4) Criminales accuſationes ordinarie viginti annorum exceptione excluduntur, quas per exempla & limitationes latius declarat. Cumque in ſpecie ratione primæ regulæ dubium quoad actiones reales oriatur, dum e. gr. dominium rei mobilis triennio, immobilis inter præſentes decem, inter abſentes viginti annis præſcribitur & acquiritur, ac per conſequens rei vindicatio priori domino poſt illud tempus competere non poteſt; eodem tamen dictam regulam non deſtrui Noſter §. 7 exiſtimat, quamvis enim, inquiens, res per dictum tempus ex juſta cauſa poſſeſſa, bonæ fidei poſſeſſori acquiratur, ejusque dominium prior dominus amittat, actio tamen realis exinde directo non extinguitur, ſed tantum per conſequentiam, ſublato ſcilicet fundamento illius actionis & dominio in alium translato; nobis autem ſermo eſt de tali præſcriptione, cujus objectum eſt ipſa actio, quaque illa directo præſcribitur, quo caſu lapſus triginta annorum requiritur. De eo etiam §. 17 diſceptat doctiſſimus Autor, an bona fides ad actiones præſcribendas ſit neceſſaria? quam quæſtionem de perſonalibus actionibus accipere par eſt; de cetero Jure Civili eam negandam, ſed juxta Jus Canonicum ac communem uſuque receptam Doctorum opinionem, affirmandam eſſe cenſet, ut tamen, non deeſſe ſtatutarias præſcriptiones, in quibus Jus Civile obſervetur, ſimul fateatur. De Fiſco ejusque Juribus Excellentiſſimus Autor in Lib. 49 tit. 14 ſatagit, ac Fiſci nomine, locum, ubi publica pecunia & omnia inſtrumenta patrimonii, quod Principi Romano ad ejus dignitatem tuendam & ad uſus Imperii publicos

tributum

tributum eſt, concluduntur; deinde rem contentam ſive pecuniam ipſam publicam; denique publicarum rerum univerſitatem, quæ omnes res omniaque Reipubl. jura ad commodum pecuniarium ſpectantia complectitur,ita ut, quod in privato eſt patrimonium, illud in Republica ſit Fiſcus, qui perſonæ vice myſtice ſive civiliter fungitur,intelligi docet: præterea fiſcum dici arcam *L. 4 C. de Num. Act. & Chartular.* & ærarium ſacrum *§. fin.I. de Uſucap. j. l. 13 pr. l. 15 §. pen. ff. de Jure Fiſci*, earumq; vocum promiſcuum nunc eſſe uſum, poſtquam Princeps omnia populi jura ſibi vindicavit, oſtendit, ex uſu Germaniæ adjiciens, quod in Camera Imperiali occurrat *Fiſcus ordinarius*, in quem mulctæ libram auri puri attingentes vel excedentes, & *Burſa pauperum*, in quam pœnæ leviores infra ſummam illam ſubſiſtentes redigantur; & quod hodie in multis Provinciis bona Fiſci & Steuræ diſtingui ſoleant. His præmiſſis Fiſcum definit,quod ſit *patrimonium Reipublicæ omnes res omniaque ejus jura ad peculiare ejus commodum pertinentia comprehendens, utilitatibus & neceſſitatibus publicis inſerviens*, ac penes quem Jus Fiſci ſit, & quid in illum redigatur,amplius deducit. De Juribus vero Fiſci hæc Noſtri eſt doctrina: Regulariter Fiſcus utitur jure communi, in multis vero gaudet jure ſingulari, & hoc reſpicit vel acquiſitionem, vel conſervationem, vel diminutionem, quæ ſingula copioſius explanantur, ac tota tractatio dicto Plinii *in Panegyr. c. 36: præcipua tua gloria eſt, ſæpius vincitur Fiſcus, cujus cauſa nunquam mala eſt, niſi ſub bono Principe*, velut obſignatur. Inter munera civilia etiam occurrit Legatio, de qua in lib. 50 tit. 7 quædam Noſter tradidit. Eſt illa, ex ejus ſententia, *munus publicum, quo quis ad negotia Reipublicæ expedienda peregre mittitur*; Reipublicæ autem nomen non ſtricte & proprie, ſed late accipitur, ut etiam municipia comprehendat, hodie vero communiter ad Regalia legatio refertur, & municipiis denegatur. Exinde amplius oſtendit, quod Legatus Jure Civili ſit *mandatarius ad publica Reipublicæ negotia expedienda peregre miſſus*, ſed hodie addi debeat: *ab eo, cui competit poteſtas legatos mittendi.* Poſtea legatorum varietatem, perſonas mittendas, muneris hujus materiam, legatorum officium,

jura & privilegia adducit, quorum quædam ad jus Civile pertinent, alia vero moribus hodiernis populorum liberorum etiam conveniunt. In ſpecie §. 10 quærit: An legatus munera ab eo, ad quem miſſus eſt, accipere poſſit? Romanos id permiſiſſe, ex Mevio Noſter notat. Exinde oritur quæſtio: An legatus munera accepta retinere queat, an vero Principi, a quo miſſus eſt, reſtituere teneatur? Et licet Weſenbecius prius generaliter aſſerat, ad cujusque tamen populi ſtatuta & leges reſpiciendum eſſe conſultiſſimus Autor cenſet; hinc Venetos ea ærario inferre, in Germania vero illa legatis cedere, licet prius ad pedes illius, a quo miſſi ſunt, deponere ſoleant, obſervat. Præcipuum ſubditorum officium eſt, ea, quæ utilitas publica requirit, conferre, hinc contribuendi neceſſitas exiſtit, de qua lib. 50 tit. 15 hæc proponit Autor doctiſſimus, in imponendis tributis juſtam obſervandam eſſe proportionem, eoque fini cives eorumque bona in certum librum, qui Cenſus Cataſtri vel Æſtimi nomine venire ſolet, referri debere, qui liber qua ratione conficiendus ſit, ex Scriptoribus propriis indicat, ac quod illi non tantum ii, qui plenum & irrevocabile dominium habent, ſed & qui dominio revocabili vel utili ſaltem gaudent, aut jure uſusfructus vel hypothecæ & antichreſeos bona poſſident, inſcribantur, amplius commemorat. De cetero cum Compendium Lauterbachianum tanto applauſu in Scholis pariter ac foro fuerit exceptum, dubitandum non videtur, quin prolixior hicce Commentarius ſi non majorem, tamen eandem apud eos, qui Lauterbachiana amant, conſecuturus ſit autoritatem.

PHARMACOPOEIA AUGUSTANA RENOVATA.

Auguſtæ Vindel. literis Jo. Chriſtophori Wagneri, 1710, Fol. Alph. 4 plag. 20.

Cum exemplaria Pharmacopœiæ Auguſtanæ Renovatæ, A. 1684 & A. 1694 in lucem emiſſa, cuncta fuerint diſtracta, atque de eadem alibi recudenda conſilia agitari, rumor increbuerit, novam hanc ut adornet editionem, commotum eſt Collegium

legium Auguſtanum. Priori inſiſtens methodo Illuſtris Schröckius, cui hoc opus revidendi atque ad prelum promovendi labor impoſitus fuit, ſingulas claſſes in duas Sectiones dividit, quarum prior medicamentis, quæ in Pharmacopoliis Auguſtanis proſtare debent, poſterior reliquis deſtinatur, quæ olim Auguſtanis Medicis uſualia, jam in deſuetudinem abierunt, alibi tamen locorum adhuc forſan abhiberi ſolent, ne Pharmacopœi in plerisque Germaniæ locis norma hac, quam in parandis medicamentis hactenus ſecuti ſunt, defraudentur. Ut autem quorundam, Medici olim Auguſtani clariſſimi, Georgii Hieronymi Welſchii, ex calamo quicquid profluxit, magnifacientium, deſiderio obſecundaret, ex ejusdem opere pharmacevtico MSto quædam interſperſit, potiſſimum quæ elaborandi Compoſita modum diverſum, de quo nonnunquam judicium annectere ſuſtinuit, commendant, & Zwelfferianas Animadverſiones (idque eo magis, cum magni & ſæpe plus quam deceat, a nonnullis habeantur) novo ariete, præter eum, quo easdem A. 1674 in Pharmacopœia ſua Auguſtana Reſtituta oppugnaverat ipſe, adoriuntur. Ut unum alterumque ſpecimen exhibeamus, ex Claſſe I de Syrupo abſinthii & de berberibus quædam addere libet. In Syrupi abſinthii præparatione, p. 2. quam Zwelfferus Auguſtanæ ſubſtituerat, improbat Welſchius, quod 1 duplicem aquæ prolectionem commendet ille, quarum ſecunda cum aut nihil aut aliquid virium habeat, minus recte id fieri animadvertit; ſi enim nihil virium contineat, inutilem eam eſſe, neceſſe ſit, ſin vero aliquid, Syrupo hoc ipſum decedat, ideoque non ſatis efficax evadat: 2 expreſſum ſingulatim inſpiſſet, & non potius cum ſaccharo coquat, atque hæc duo cum ovi albumine clarificet, adeoque labores & ſumptus multiplicet: 3 ſola diſſolutione hunc Syrupum fieri velit, quod impoſſibile, clarus Syrupus ſi expetatur, cum nullum ſaccharum etiam finiſſimum ſine ſordibus aut arena reperiatur 4 unica ebullitione eundem paret, qua profecto æque ac coctione ſubtiliores partes exhalent, quas tamen tam anxie ſervare nitatur; ubi ſane notari meretur, quod Zwelfferus circ mellis anthoſati præparationem ſcripſerat, nempe virtutes po-

Digitized by Google

tiores & ſubtiliores in coctione perſiſtere non poſſe, quia mox inchoata coctura in auras avolent: 5 aquam ſecundam demum uſus tempore admiſcere jubeat, quod abſurdos errores & labores inutiles cauſare in officinis poſſe, prudentiores judicare valeant; quin & hoc non eſſet Syrupos vendere, ſed julapia & potiones. Ipſe autem Welſchius verum eundem præparandi modum & præ Zwelfferiano compendioſiorem eſſe exiſtimat, quem his verbis proponit: Recipe omnia ſecundum Auguſtanorum præſcriptionem, inciſa immitte cucurbitæ vitreæ, & affuſo vino ac ſucco cydoniorum, appoſito capitello, macera per 24 horas, poſtea deſtilla unc. XX circiter, quas ſerva ſeparatim, reſiduum ſtatim exprime adhuc calens, adde ſacchari libr. jj, clarifica cum albumine ovi, & transmitte per manicam Hippocratis, coque ad conſiſtentiam debitam, h. e. ne extractum & ſuccus inſpiſſatus adurantur, ab igne remoto ſtatim

p. 4. admiſce aquam illam deſtillatam, F. Syrupus. Syrupum de berberibus quod attinet, cum Auguſtani ſucci berberum depurati libras duas, ſacchari libram unam ſemis recipere, & ex arte Syrupum fieri jubeant, Welſchius recipit ſacchari libras duas, ſolvit cum aqua font. clarificat cum albumine ovi, trajicit per manicam Hipp. coquit ultra conſiſtentiam tabellarum, eique ab igne remoto addit ſucci berberum depurati & per chartam emporeticam transmiſſi libram unam & unc. unam cum ſemiſſe. Aſt minor ſucci berberum quantitas, & quæ ſacchari mole longe ſit inferior, cum hac ratione Syrupo accedat, illi vero, non huic virtutes adſcriptæ debeantur, minus commodum videtur Schröckio, coctionem ſucci ob minutias illas particularum nonnihil ſubtilium, neque etiam in hoc Syrupo neceſſariarum omittere.

Der dreyfach geartete Sehe-Strahl.

h. e.

RADIUS VISIVUS TRIPLEX; AUTORE JOH. MICHAELE CONRADI, Paſt. Cob. Caſtell.

Coburgi,

Digitized by Google

Coburgi, ſumtibus Autoris, 1710, 4.
Conſtat plag. 17, Tabb. æn. 24.

HÆc Optices elementa in gratiam illiteratorum conſignavit Cl. Autor atque adeo prætermiſſis demonſtrationibus Geometricis phænomenorum opticorum rationes proximas populari ratione expoſuit, & praxes opticas, præſertim anamorphoſes imaginum, ſpeculorum, teleſcopiorum & microſcopiorum conficiendorum rationem diligenter deſcripſit. *Sturmii* in Matheſi compendiaria veſtigia legit, niſi quod in Catoptricis & Dioptricis methodum naturæ rerum magis conformem ſequi maluerit. Neque tamen preſſo pede eundem ſequitur, ſed ſubinde ab eo diſſentit, paſſim vero prætermiſſa ſupplet. E. gr. minime probat, quod ampliatæ pupillæ tribuat, cur flammæ & faces noctu majores itemque rotundæ appareant e longinquo conſpectæ, cum apparentiæ non mutentur, etiamſi pupillæ charta acicula pertuſa admoveatur. Dum vero cum *Keplero* quantitatem refractionis per rationem anguli refractionis ad angulum inclinationis æſtimat; in egreſſu radii ex vitro in aerem hunc minus recte iſtius triplum facit, per obſervata enim radius ex vitro in aerem a perpendiculari dimidio angulo inclinationis (ſiquidem 30 gradibus minor extiterit) refringitur. E. gr. Si angulus inclinationis fuerit 2°, ex calculo *Zahnii* erit angulus refractionis $59' \, 53''$, h. e. fere 1°. Neque Dn. de *Tſchirnhauſen* vitris ſuis cauſticis majoribus aliud collectivum minus ideo jungit (ut Noſter arbitratur) quod radii hac ratione citius coeant, ſed quia auctius in foco minore colliguntur. Multum quoque fallitur, dum ſibi perſuadet, Mathematicos pro componendis microſcopiis accuratas definire vitrorum proportiones & diſtantias, quas non usque adeo rigide obſervandas praxis docet, quia a vitris ab artifice coemtis eas deſumunt nec variari poſſe arbitrantur: ſi enim demonſtrationes Opticorum evolvere dignatus fuerit, aliter ſe rem habere addiſcet. Enimvero notamus potius, Autorem in praxi microſcopica expertum fuiſſe, ſi lens objectiva fuerit utrinque convexa 2, media utrinque concava 12 aut 16, ocularis denique utrinque

utrinque convexa 6 digitorum, apertura grano ſinapis æqualis, egregium haberi microſcopium. Cetorum cum Opticam inter πάρεργα referat; ſuam ad hanc introductionem cenſuræ Facultatis Philoſophicæ Jenenſis ſubmiſit, antequam ederet, cujus & approbationem obtinuit.

ESSAIS DE PERSPECTIVE.

h. e.

TENTAMEN PERSPECTIVÆ, AUTORE G. J. GRAVESANDIO, J.U.D.

Hagæ-Comitum, apud viduam Abrahami Troyel, 1711, 12.
Conſtat plag. 12, Tabb. æn. 32.

PRæmiſſis definitionibus omnem theoriam paucis theorematibus comprehendit Cl. Autor, quæ per elementa Euclidis intelligi poſſunt. In praxi explicat non modo, quomodo objecta in tabula ad planum Geometricum perpendiculari; ſed & quomodo in tabula elevata, vel ad horizontem inclinata, vel eidem parallela accurate repræſententur. Tradit autem regulas generales, ſuis demonſtrationibus munitas, easque varias & ex parte novas atque vulgo uſitatis faciliores, præſertim cum inter eas reperias, quæ ſolius regulæ, circuli nullius uſum requirunt. Ubi tamen regularum generalium applicatio difficilis evadit, ſpeciales quoque ſuppeditat: ita ut regularum equidem numerum auxerit, praxin tamen in caſu quovis eadem facilitate donaverit. E. gr. ut inveniatur repræſentatio puncti in plano Geometrico dati in tabula ad id perpendiculari, ex puncto dato A in oculum O duci jubet rectam A O, factaque in linea fundamentali BE=AB & in horizontali CD=CO puncta E & D connecti recta DE: erit a punctum deſideratum. Idem ex ipſius præſcripto obtinetur, ſi ex oculo O ducatur arcus HI lineam horizontalem in V & ex puncto dato A alius LC fundamentalem in B contingens, ducanturque rectæ CH & LI arcus iſtos contingentes in H & C, itemque in I & L: erit enim a denuo punctum quæſitum. De quantitate baſeos Coni & Cylindri uno obtutu videnda & de repræſentatione ſphæræ item-

TAB. IV. Fig. 14. Fig. 15.

que

que tori in baſi columnæ peculiari opera diſſerit. De umbra methodo conſueta tractat & uſum Perſpectivæ in Gnomonica oſtenſurus edocet, quomodo horologia ſolaria ope horizontalis deſcribantur. Subjungitur denique tractatus brevis de uſu Cameræ obſcuræ in delineandis objectis quibuscunque, ipſis etiam picturis: quem ut juvaret, geminam machinam excogitavit, quales jam alibi paſſim habentur, quanquam quæ, Autor dedit, quibusdam prærogativis præ aliis inſtructæ. Monet autem, ut accurata habeatur objecti in Camera obſcura repræſentatio, lente ſimplici, ſpeculo ad ſummum gemino eoque plano, non concavo, utendum. Speculi diverſam in caſibus diverſis inclinationem Geometrice demonſtrat.

RESOLUTION DU PROBLEME PROPOSE dans le Journal de Trevoux du Mois de Mars dernier, pour la conſtruction de nouveaux Thermometres & de nouveaux Barometres par Mr. G.

h. e.

RESOLUTIO PROBLEMATIS IN DIArio Trevoltienſi Menſe Martio proxime præterito propoſiti de conſtructione novorum Thermometrorum & Barometrorum.

Pariſiis, apud Jacobum Quillau, 1710, 8.
Conſtat $1\frac{1}{2}$ plag. & Tab. æn. 1.

VIr doctus, qui ſub litera initiali G latere voluit, in Diario Trevoltienſi anno ſuperiori tale propoſuerat problema: *Conſtruere barometrum & thermometrum, quorum tubi & vaſcula ſint totaliter æqualia, eundem habeant ſitum & eadem quantitate eorundem liquorum eadem ratione diſpoſitorum repleantur; altitudo ſit 15, 30, 50 & plurium aut pauciorum digitorum, prout viſum fuerit; differentia inter maximum frigus & maximum calorem in thermometro & inter maximam atque minimam preſſionem aeris in barometro ſit non modo æqualis altitudini inſtrumentorum, ſed eandem excedat, utut ab eodem liquore in eodem tubo perpendiculari indicetur. Poſtulatur præterea,*

ut in inſtanti ex barometro fieri poſſit thermometrum & ex thermometro barometrum, nec tubis, nec vaſculis, nec liquoribus mutatis. Cum problema hoc multis paradoxum, immo prorſus impoſſibile videretur; ipſe ſine mora ſolutionem publicavit. Eſt ſcilicet altitudo vaſculorum EG, LO & PS eadem 12 circiter linearum ſeu digiti unius; vaſculi autem AD multo major, ſi thermometrum conſtruere volueris. Diametri vaſculorum poſſunt eſſe ad diametros tuborum in ratione quacunque deſiderata, e. gr. in quintuplo, ſi ſcala integra diviſionum requiratur 25 digitorum; diſtantia eorundem perpendicularis 14 digit. 3 lin. ubi altitudo totius inſtrumenti $15\frac{1}{2}$ digitos excedere non debet. Spatia ABCDEF & MNOPQ Mercurio; MLI ſpiritu vini colorato; IGF petrollo repletur, quod ſpiritu vini ſpecifice levius, nec cum eo commiſcetur, ut conſtare poſſit, quanto intervallo ſpiritus vini deſcenderit. Spatium denique QS eſt ab aere vacuum & in S vaſculum PS hermetico ſigillo munitur. Diſtantia vero BF, itidemque QM eſt 13 dig. 9 lin. Quodſi aeris variatio maxima Mercurium ex B in C deprimat, ex M quoque in N deprimetur atque ex Q in R aſcendet, adeoque ſpiritus vini ex I in L deſcendet. Patet adeo, I L eſſe ſcalam totius variationis. Oſculo A hermetice ſigillato, barometrum in thermometrum abit. Aer enim in AB calore dilatatus Mercurium in vaſculis BD & MO, ſpiritumque vini in tubo IM deprimit. Enchireſes, quibus in conſtructione opus eſt, alibi ſe expoſiturum promittit Autor. Sub fine regulas ſubjungit, per quas altitudo & diametri vaſculorum ac tuborum una cum gradu ſenſibilitatis determinantur. Sit nimirum diameter vaſculorum D, tuborum d; ſpatium a Mercurio percurrendum S, a liquore interea abſolvendum $ſ$; erit $D^2 : d^2 = S : ſ$. & $d^2 : D^2 = ſ : S$. Unde cum ſit $d^2 S = D^2 ſ$, eruitur porro $D = \surd(d^2 S : ſ)$ & $d = \surd(D^2 ſ : S)$, item $D = \surd(d^2 : \frac{ſ}{S})$ & $d = \surd(D^2 : \frac{S}{ſ})$.

TAB. IV. Fig. 16.

ECLAIRCISSEMENS SUR LES CONJECTURES Phyſiques.

h. e.

EVOLUTIO CONJECTURARUM PHYSICARUM; Autore NICOLAO HARTSOEKER.

Amſte-

Digitized by Google

**Amſtelodami, apud Petrum Humbert, 1710, 4 maj.
Alph. 1 plag. 2.**

QUi veritatis amore ducuntur, objectiones ingenioſas Virorum doctorum non metuunt, ſed vehementer amant, cum & lucis multum affundant argumentis præſertim intricatis, & ad veritates jam repertas firmandas, latentes vero adhuc detegendas plurimum conferant. Quamobrem Vir clariſſimus, *Nicolaus Hartſœkerus*, cum Conjecturas Phyſicas ederet (de quibus diximus in Actis A. 1708 p. 316 & A. 1709 p. 84) præclaros in Rep. litteraria viros ad examen earundem invitavit. Quoniam itaque non defuerunt, qui varia contra hypotheſes ejus objecerunt; ad ea nunc reſpondens conjecturas ſuas magis magisque illuſtrare ac confirmare ſtudet. Cumque interea temporis paſſim viri docti placitis ipſius diſſona publicarint, eorum quoque examen ingreditur, utut ipſi directe oppoſita non fuerint. Immo ut illuſtres adverſarios excitaret (quemadmodum in Præfatione fatetur) Viros celeberrimos & de re litteraria longe meritiſſimos nimia ſubinde licentia oppugnavit. Ita Viri ſummi, *Iſaaci Newtoni*, cujus ſingularia in Matheſin & ſcientiam naturalem merita grata olim non ſine voluptate inſigni prædicabit poſteritas, theoriam de cauſis phyſicis ſyſtematis mundani ideo tantopere celebrari aſſerit, quod Viri docti aliquot in commercium laudum reciprocarum conſentientes in ea laudanda modum excedant & magnus hominum numerus, aliorum echo, laudibus immodicis eandem attollant, non quod intelligant, ſed ut iisdem myſteriis initiati videantur. Viri ingenioſiſſimi, *Johannis Bernoulli*, qui tot inventis Orbi erudito abunde comprobavit, quam abdita rimari ingenio ejus datum ſit, inventum Phoſphori Mercurialis elevaturus, ægre fert, quod tam multa in Hiſtoria & Commentariis Academiæ Regiæ ſcientiarum Pariſinæ de eo dicta fuerint; indignatur Cl. *Fontenellio*, quod adeo honorifice de eodem locutus; negat *Bernoullium* primum obſervaſſe Mercurium, in tenebris lucere, cum jam ante ipſum *Picardus* hanc lucem conſpexerit: non perpendens, *Bernoullio* deberi, ut phoſphorus Mercurialis pro arbi-

trio parari poſſit, cum antea non niſi caſu haberetur; rationem denique, quam dedit de hoc phænomeno *Bernoullius*, intricatam & defectivam appellat. Virum generoſum *de Tſchirnhauſen, νῦν ἐν ἁγίοις*, experientiarum non ſatis fideliter proditarum inſimulat, & Chymici præſtantiſſimi *Hombergii* principia Chymica paſſim perſtringit. En tibi media, quibus utitur Autor ad illuſtres adverſarios provocandum.

Diſputatur autem in hoc opere de primo elemento *Hartſækeriano*, exiſtentia vacui, elateris natura, diviſibilitate materiæ in infinitum, cauſa gravitatis, Planetarum cum fluido ambiente æquilibrio, theoria cauſarum phyſicarum ſyſtematis mundani *Newtoniana*, pabulo ignis Solaris, influxu radiorum Solarium in motum Planetarum, diſtantia fixarum ex diminutione luminis computanda, Cometarum ex Sole ortu, extenſione atmoſphæræ noſtræ ultra Lunam, cauſa ſalſedinis marinæ, vitrificatione auri, natura luis venereæ, Phoſphoro Mercuriali, cauſa motus elliptici Planetarum, principiis philoſophicis *Carteſii*, Phyſicæ præſertim *Carteſianæ* fundamentis, principio operationum vitalium in corpore animali & vegetabili, experimento *Amontoniano* de dilatione Mercurii & vaſis vitrei a frigore maximo hiemis usque ad calorem intenſiſſimum æſtatis facta (adæquat autem juxta *Amontonium* dilatatio Mercurii $\frac{1}{115}$, vaſis autem vitrei $\frac{1}{2688}$ voluminis) prædictionibus tempeſtatum ex variationibus Mercurii in fiſtula *Torricelliana*, cauſa cur ultimus Satelles Saturni in qualibet revolutione, quæ eſt 80 dierum, longo tempore occultatur in maxima digreſſione orientali, poris auri, refractione luminis in corporibus transparentibus, elevatione aquæ ultra libellam in tubis capillaribus, tempeſtatibus campanarum ſonitu arcendis, origine fontium, metallis & magneticorum phænomenorum rationibus. En argumenta controverſiarum ab Autore pertractatarum.

Objecerat nonnemo, admiſſa circa Solem atmoſphæra, a cujus centro corpora ſubtilia recedunt, cui contra craſſiora vi gravitatis proprie talis accedunt, elementum primum *Hartſækerianum*, ex quo Sol conſtare dicitur, per illam diſſipari debere. Reſpondet Cl. Autor, elementum primum nec gravitatem habere, nec levitatem. Cum antogoniſta excipit, elementum adeo iſtud

fore

Digitized by Google

fore ſpiritum quendam aut naturam plaſticam veterum; Noſter regerit, nos adæquatam primi elementi ideam habere non poſſe, quia magnitudine ac figura determinata omnique qualitate ſenſibili carens nec ſub ſenſus, nec ſub imaginationem cadit, inſtar elementi ſecundi. Ut tamen corpora dura & immutabilia moveri poſſint, aut admittendum eſſe primum hoc elementum, aut vacuum. Vacuum vero admitti non poſſe, cum per illud elater explicari nequeat, ſine quo tamen leges motus locum non haberent. Attractiones, quibus Vir profundi ingenii *Newtonus* utitur in explicandis Planetarum motibus, minus valere ait qualitatibus occultis veterum, & ſyſtematis ingenioſi, quod commentus eſt, impoſſibilitatem ita demonſtrare nititur. In eadem a Sole A diſtantia vis centripeta eadem juxta *Newtonum*: retinetur autem in peripheria BCD per vim centrifugam ipſi æqualem. Jam ſi Planeta eam excedit ad aphelium tendens, vis centrifuga augeri nequit, quia id experientiæ repugnat, & theoriæ *Newtoni* contrarium, utpote ſtatuentis, vim centrifugam Planetæ diminui, dum a Sole recedit: ſed eadem imminui non poteſt, alias enim vis centripeta prævaleret ſicque ad Solem contra hypotheſin accederet Planeta. Gratis præterea ſupponere affirmat Cl. *Newtonum*, gravitates Planetarum eſſe in ratione duplicata reciproca diſtantiarum a Sole & vires ipſorum centrifugas diminui pro ratione elongationis a Sole. Quærit itaque, quænam ſit hujus rei cauſa? Quamnam ipſe cauſam motus elliptici Planetarum ſtatuat, in Actis A. 1707 p. 318 & 319 docuimus. Equidem Autor contra objectiones nonneminis locum æquilibrii gravitatis Planetæ cum vi radiorum Solarium centrifuga, quem aſſignaverat, tuetur; ſed meliorem utique operam collocaſſet in natura curvæ inveſtiganda, quam pro ellipſi venditat: etenim ab ellipſi *Apolloniana*, in qua Planetæ juxta *Keplerum* incedunt, longe diverſam deprehendet, immo in infinitarum ellipſium familia eam non reperiri intelliget. Quodſi vero novam in Aſtronomiam orbitam invehere decrevit, memor eorum, quæ p. 143 optime obſervat, demonſtrare tenetur curvam hanc obſervationibus Aſtronomorum ſatisfacere, antequam rationem reddat, cur Planetæ

TAB. IV. Fig. 17.

eam deſcribant. Methodum igitur computandi loca heliocentrica in orbita nova ab Autore expectamus. Refert Cl. *Fontenellius* in Hiſtoria Academiæ Scientiarum Regiæ A. 1700 p. 163 & ſqq. edit. Bat. *Tſchirnhuſium* per lentem utrinque convexam, cujus latitudo duorum pedum, diſtantia foci 32 pedum, ſine vitro oculari & tubi optici molimine, integram urbem $1\frac{1}{2}$ milliari Germanico diſtantem quam diſtinctiſſime vidiſſe, utut ſuperficies integra aperta eſſet. Id impoſſibile judicat Cl. *Hartſœkerus*, cum proprietatibus radiorum luminis repugnet ingens vitri objectivi apertura. Sed *Tſchirnhuſianam* experientiam eſſe omni exceptione majorem, per ea patet, quæ ex obſervationibus *Wolfianis* in Actis anni ſuperioris p. 466 & 467 recenſuimus. Monendus vero eſt, quicunque experimentum denuo tentare voluerit, quod in paranda lente nulla ſingulari opus ſit arte, multo minus ulla machina artificioſe conſtructa, quodque myopes jungere teneantur vitrum oculare concavum, quo ordinarie in ſpectandis objectis remotis utuntur. En quædam controverſiarum ſpecimina in opere *Hartſœkeriano* evolutarum.

SPECIMEN TRIGONOMETRIÆ ANALYticæ a FERDINANDO ERNESTO Comite ab HERBERSTEIN exhibitum.

GEometrarum Anglicorum Princeps, celeberrimus Newton, ſolutione Problematis: *datis baſi, ſumma laterum & angulo verticali, determinare latera*, in Arithmetica Univerſali pag. 121 per determinationem ſemidifferentiæ laterum expedita, ſubjungit ſequentia: *ſi anguli ad baſin quærerentur, concluſio foret concinnior*; utut autem modus id ipſum præſtandi ibidem indicatus prorſus ſit elegans; attamen operæ pretium fortaſſe fuerit, hujuſce Problematis ſolutioni methodum a præclariſſimo Analyſta admodum R. ac eximio Patre Jacobo Kreſa S. J. in Collegio Imperiali Matritenti nuper Mathematum Profeſſore mecum communicatam, qua intricatiſſimæ Propoſitiones circa Triangula tum Rectilinea tum Sphærica mira facilitate enodari poſſunt, adhibuiſſe.

Poſitis

Digitized by Google

Poſitis itaque Baſi = a. Radio = r. Sinubus anguli verticalis ſeu ſummæ angulorum ad baſin = f. complementi ejusdem ſummæ = p. alterutrius angulorum ad Baſin = x. erit, ſi ſumma horum Angulorum fuerit minor Quadrante, laterum ſumma = $arx - apx + af\sqrt{r^2 - x^2} : fr$. ſin major, $arx + apx + af\sqrt{r^2 x^2} : fr$. qua adepta, prævia facili reductione, ipſum Problema conſtruetur.

Ut vero hujus methodi utilitas magis eluceſcat, evidens eſt, ſi petatur ſub datis ſumma angulorum ad Baſin & ipſa Baſi, Triangulum omnium poſſibilium maximum, habitis lateribus, Problematis conditiones facili negotio adimpleri; obtinetur porro laudatæ methodi adminiculo latus unum = $ax : f$, alterum = $apx + af\sqrt{r^2 - x^2} : fr$. Si data ſumma angulorum fuerit major Quadrante; ſin minor = $-apx + af\sqrt{r^2 - x^2} : fr$. qualiter autem procedendum, ſi ſub data differentia Angulorum ad Baſin & ipſa Baſi, poſitoque ſinu alterutrius illorum angulorum = x, idem deſideretur, Geometrarum conſiderationi relinquo.

LUCULÆ BOREALIS D. XXVI NOVEMbris cIↄ Iↄ cc x Gieſſæ Haſſorum obſervatæ a JO. GEORGIO LIEBKNECHT, Mathematum ibidem P. Ord. Deſignatio.

Quantum ex ephemeridibus meteorologicis conſtare debet, per integrum ſuperioris anni menſem Novembrem variabiles admodum regnarunt tempeſtates: cœlum puta minus ſudum ac ſerenum apparuit, matutinis quidem horis maximam partem nebuloſum, meridianis Solis nonnunquam radiis temperatum, & veſpertinis non æque gratum. Speciatim vero die XXV hor. 1 poſt mer. ſt. nov. conſtitutionem aeris barometralem in horizonte noſtro deprehendi $3^{\circ}1\ {}'3\ {}''4$; Thermometr. $1'0$ Hyg. $1'74$ ſufflante vento NO: dein die XXVI hor. 8 matut. Baroſc. $3^{\circ}1\ {}'2\ {}''5$ thermoſc. $1'3$ & Hyg. $1'75$ vento ſeptentrionali & aere valde nebuloſo exiſtente, quem cœli ſtatum notabilis excepit varietas, donec hora 9 iterum ſereniori apparuit facie

cum

cum aliquali frigoris intenſione, dum ſc. die XXVII thermoſcopium lineam 15 monſtrabat &c. &c. Die XXVI h. VI veſpertina admonitus a nonnemine verſus plagam Septentrionalem arcum amplum & lucentem conſpexi, cujus latitudinem 2 aut trium circiter pedum ſenſus judicabat. Non tamen amplius aderat ſplendor proprie talis, qualem conſpexerat primus obſervator, ſed lucula diverſæ claritatis: nam pars convexa obſcurior erat concava, ut ſchematiſmus monſtrat. Vix 10 minuta horaria phænomenon durabat, id quod Amici plurimum honorandi literæ confirmarunt. Arcum iſtum ab initio longe fuiſſe clariorem eo facilius credidi, quod me aliisque præſentibus lucula ſenſim ſenſimque accreſcebat. In ipſo arcu lucente & alibi paſſim apparebant ſtellæ, ſed intra ambitum arcus ea erat obſcuritas, quæ omnem ſtellarum conſpectum nobis eripiebat. Quod locum phænomeni atque magnitudinem attinet, tenendum eſt, quod Cepheus meridianum vix reliquerat, cum ſtella in cauda draconis apud *Bayerum* litera α notata verticem fere arcus occuparet. Crura arcus horizonti inſiſtebant, (quantum propter adſtantia ædificia judicare poteram) comprehendebatque arcus ipſe fere urſæ majoris ſtellas ſeptem, & ex altera parte curvitatis perpemodum pedem Herculis ψ attingebat. Dico propemodum: non enim ob obſtacula & nubes totum mox cœlum obtegentes accurate de ſtellis ipſis judicare potui. Affirmat nonnemo, ſe vidiſſe ſub finem luculæ in peripheria micantem urſæ majoris ſtellam α. Doleo omnino vices, quæ nec initium mihi iſtius phænomeni intueri neque etiam inſtrumenta conquirere permittebant, ut omnia acuratius obſervare licuiſſet. Non ingrata tamen fuit obſervatio Amicis, quibuscum eam communicavi & quos inter Celeb. *Hoffmannum*, Obſervatorem Regium Berolinenſem atque Illuſtriſſ. Societatis membrum, nominaſſe ſufficiat: id quod me permovit, ut publici tandem juris eandem facerem. Eſt nonnemo, qui *Iridem lunarem* fuiſſe laborioſe admodum evincere conatur. Sed rationes ejus id mihi non perſuadent. Inveſtigationem itaque cauſæ hujus phænomeni aliorumque luminum borealium, de

de quibus in Miſcellaneis Berolinenſibus ab illuſtri *Leibnitio* aliisque varia annotata leguntur, Phyſicorum induſtriæ adhuc relictam eſſe cenſeo.

EXPLICATION D' UNE MEDAILLE ENIGmatique d' Auguſte &c:

i. e.

EXPLICATIO NUMI D. AUGUSTI ÆNIgmatici, de quo varia proſtant Antiquariorum judicia.

Berolini, typis Ulrici Liebpert, 1711, 4.
Plag. $4\frac{1}{2}$.

EST Pariſiis in celebri Muſeo Ill. Foucaultii Quæſtoris Cadomenſis numus argenteus, idemque unicus, altera facie Auguſti caput, altera cippum cum inſcriptione *CC Auguſti* exhibens, qui oculatiſſimos in re numaria Viros hactenus exercuit; ut ſunt iſta ſtudia infinitis ſuſpicionibus obnoxia, nec facile quis usque adeo ſagax, quin ſubinde, conjecturæ nimium favens, incommoda ejus non animadvertat. Vaillantius in opere de numismatibus Imperatorum præſtantioribus T. 2 p. 23, ed. Pariſ. de anno 1694, ducenta hominum millia, quibus frumentum diſtribui curaverat Auguſtus, indicari illa exiſtimat. Repugnat autem annorum ratio, quæ iſtam diſtributionem anno U. C. 748. Caninium Gallum ad annum 734 refert. Nec unquam nota hæc tantum numerum ſignificat. Aliorum explicationes affert Morellus in Specimine rei nummariæ p. 94. Illorum nonnulli ad denarium ducenteſimum, quem exegerat Auguſtus, reſpiciunt, alii legendum eſſe *Communi Conſenſu* cenſent. Sed quis credet, ob publicum onus Principem aut publico monimento gloriatum eſſe, aut populum gratias decreviſſe? Poſterior opinio nullis exemplis extra controverſiam poſitis nititur, & ad nomen Auguſti in genitivo poſitum vix quadrat. Duæ aliæ apud eundem Morellum propius rem ferire videntur, ſtatuentium exprimi hic lapidem milliarem, & inſcriptionem legendam eſſe: *Caji Cæſaris Auguſti.* Non procul ab his abeuntem TAB. IV. Fig. 19.

Digitized by Google

tem ſententiam tuetur Cl. Gallandus, laudati Muſei Præfectus, in Epiſtola Tomo IV Diarii Trevoltienſis p. 225 ſeq. inſerta, qua anonymum (Jo. Harduinum) refellit, qui in eodem Diario T. 2 p. 88, editionis Batavæ, contenderat, *Circenſes Cæſaris Auguſti* literis iſtis denotari. Aſſerit nempe, omnino veram eſſe lectionem: *Caji Cæſaris Auguſti* & adumbrari milliarium aureum, a quo omnes in Italia viæ publicæ incipiebant, in foro ab Auguſto poſitum, cum M. Apulejo, & Silio Nerva COSS. (A. U. C. 734) viarum cura illi commiſſa eſſet. Magna veri ſpecies ingenioſam explicationem pluribus perſuaderet, niſi Vir Nobiliſſimus, Johannes Carolus Schott, Potentiſſimi Pruſſiæ Regis Conſiliarius, Antiquarius & Bibliothecarius, data hac ad Ill. Leibnitium Epiſtola, aliam ſubſtituiſſet, non levibus argumentis inductus. Urget præcipue diverſam plane cippi hujus ab obeliſco figuram, qualis milliario iſti fuit, cum anguſtia numi non obſtiterit, quo minus integer repræſentaretur, perinde ut in aliis nihilo majoribus factum videmus. Quodque Auguſtus, poſtquam hoc cognomen aſſumſerat, Cajus vocari deſierit, & proinde in nullo monimento utraque appellatio conjuncta reperiatur. Ipſe interpretatur: *Ducenarii Auguſti.* Hanc enim judicum claſſem inſigni cum Reipublicæ bono eo tempore Auguſtus prioribus adjecit, nomen inde trahentium, quod ducenta minimum ſeſtertia in reditibus habere oporteret, qui ad honorem iſtum adſpirabant. Provocat ad numum æneum Caligulæ, in quo occurrentes literas RCC peritiſſimi Antiquarii expoſuerunt *Remiſſa Ducenteſima*, fruſtra obnitente Harduino, qui *Reſtitutos Circenſes* inde eruit. Clarius autem huic expoſitioni favet iſta inſcriptio:

TAB. IV Fig. 20.

JOVI. O. M.
CETERISQ. DIIS
DEABUSQ. IMMORT.
TIB. CL. DEMETRIUS
DOM. NICOMED.
V. E. PROC. AVGG. NN.
ITEM CC. EPISCEPSEOS
CHORÆ INFERIORIS.

Hanc

Hanc enim cum eodem Harduino ita legit: Jovi Optimo Maximo Ceteriſque Diis Deabuſque Immortalibus Tiberius Claudius Demetrius, Domo Nicomedienſis, Vir Egregius, Procurator Auguſtorum Noſtrorum, item DUCENARIUS Epiſcepſeos Choræ inferioris. Ad cippum quod attinet, hiſtoricum eſſe monet, qualis adhiberi ſolet, cum alia figura exprimi ſe non patitur res, cujus memoria conſervanda eſt, ut de ludis ſecularibus, & reparatione viarum adjectæ numorum umbræ probant. Reliqua omnia, quibus aut aliorum conjecturæ evertuntur, aut hæc probatur ornaturque, non repetituri, optamus ſaltem, ut ſuas in Suetonium commentationes, quarum hic Vir doctiſſimus ſpem facit, brevi, quicquid in præſtantiſſimo ſcriptore adhuc deſiderari poteſt, exhibere jubeat.

JO. CONRADI Schwartz *IN GYMNASIO Coburgenſi Poeſeos Prof. Publ. de Mohammedi furto ſententiarum Scripturæ S. Liber unus.*

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchium & Fil. 1711, 8.
Plag. 7.

CL. Autor Mohammedanam religionem funditus everſurus, duas potiſſimum res ſibi expediendas ſumſit: primo Mohammedi expilationem Scripturarum S. diligenter indicavit, deinde ea Corani loca, quæ furti inſigne gerunt, in Latinum ſermonem accurate tranſtulit. In illa indicanda ad furti literarii, de quo librum elegantem antehac edidit, naturam reſpexit. In interpretandis Corani locis, qui inſtituto ſerviebant, ante oculos habuit leges & auctoritatem rationis. Neque enim aut Marraccium, qui nondum prodierat in lucem, cum maximam hujus libelli partem jam abſolviſſet, aut Commentatores Mohammedanos ſequi licuit, quia Arabes Mohammedi fautores, inſcitia plerumque aut ſtudio partium occœcati, in tenebris verſantur. Cap. I in naturam furti Mohammedici inquirit, illudque definit per oſtentationem ſententiarum hiſtoriarumque librorum ſacrorum, quas Mohammedus

Arabice verſas, vel etiam liberius interpolatas, ſceleſtiſſimus commentis ſuis interpoſuit, ut ſapienter loqui videretur, Prophetæ auctoritatem conſequeretur, & novam quandam ſectam conderet. Productis Cap. II plagii Mohammedici teſtibus, qui Mohammedo adhuc vivo crimen furti, quod diluere non potuit, licenter objecerunt, Cap. III agit de natura, ingenio & perſona Mohammedi, quem in rebus proſperis ſuperbiſſimum, & gloriæ cupidiſſimum, rudem vero a puero & literarum expertem fuiſſe docet. Cumque impoſtor aſſeclis ſuis perſuadere laborarit, Coranum divini Numinis inſtinctu afflatuque ſcriptum eſſe, eamque ob cauſam Deum loquentem frequenter induxerit, multis rationibus evincitur, Mohammedum ex Prophetarum choro prorſus excludendum eſſe. Cap. IV furti Mohammedici notam facit verborum quorundam convenientiam cum ſtylo Scripturæ S. proprio, quam Mohammedo non ignotam fuiſſe, ex idoneis Corani locis oſtendit, demonſtratque ex illis ipſis ſententiis, ad quas impoſtor provocat, ubi contra Chriſtianos Judæosque diſputare ſolet, Mohammedo dicta quædam Scripturæ perſpecta fuiſſe. Cum igitur in Libro ejus reperiantur ſententiæ, quæ cum Scripturæ S. ſententiis apprime conveniant, eique propriæ ſint, nec non verba quædam peregrina, & formulæ Arabibus ignotæ, ſed Scripturæ S. præcipue uſitatæ, e. g. *occurſus Domini*, ex 1 Theſſ. IV, 17, *fœdus pungere*, frequens *lucis* & *tenebrarum* mentio, item *ignis Gehennæ*, *Verbi* ſeu λόγυ, *Spiritus*, *Satanæ* &c. nomina, Cl. Autor luculenta furti ſigna ſibi inveniſſe viſus eſt, cum præſertim ipſe Mohammedus fateatur, verba barbara eſſe indicium alienæ eruditionis & inſtitutionis. Cap. V & VI ſententias a Mohammedo ex Veteri & Novo Fœdere ſurreptas recenſet; & Cap. VII artes monſtrat, quibus furta ſua occultare conatus eſt, quando videlicet Scripturas S. ad Alcorani exemplum factas, easdemque a Judæis ac Chriſtianis corruptas eſſe contendit, conſiliumque cepit, de exſtirpandis omnibus, qui a ſacris Mohammedicis diſſentirent, ut vi armata ſilentium imponeretur illis, qui noverant impoſtoris furtum, illudque prodituri erant. Ultimo tandem Capite de pœna ſacrilegii Mohammedici quædam adduntur.

M. JO.

M. JO. CHRISTIANI BLUMII, S. T. B. Animadverſionum Sacrarum, ad Commata quædam Fœderis antiqui ſelecta, Pentas prima.

Lipſiæ, impenſis Heredum Lanckiſ. 1711, 8. Plag. 8.

IN præfamine, poſteaquam ſacrarum literarum Interpretes de collatis ad recte intelligendam Scripturam adjumentis præclare & ſalutariter meritos collaudaviſſet, inſtitutum ſuum Cl. Autor declarat, ſimulque tres Libros brevium Animadverſionum ad ſacras paginas una cum Obſervationum ad profanos quosdam Autores optimæ notæ & Scriptores priorum ſeculorum Eccleſiaſticos Libro ſingulari, Pentadibus ad finem perductis, in lucem emittere ſe velle pollicetur. Ea nimirum loca ex antiquo Fœdere in medium producere & ſeparatim juxta omnes circumſtantias dilucidare conabitur, quæ peculiari indagatione adhuc indigere ipſi videbuntur. Hinc *Animadv. I* ad locum *Geneſ. XIV, 11* commentaturus, vaſtationemque urbium Sodomæ & Gomorrhæ a memorabili incendio diſtinctam delineaturus, primo loco victores regios in Babylonia imperantes recenſet, ac ſigillatim de Amraphele notat, quod cum Armamitre Rege Babyloniæ unus idemque cenſeri poſſit. Oſtendit deinceps, ſitum provinciarum Ellaſar & Elam, ubi Elamitas cum Perſis eosdem facit. Adjungit poſtmodum interpretationem vocabuli גוים per Galileam gentium ſuperiorem, & infelices bonorum poſſeſſores ordine commemorat. Inprimis vero de genuino verborum רכש & אכל ſenſu ſollicitus, ad prius pecudum multitudinem pecuniarumque collectionem, ad poſterius vero res eſculentas refert, & contra Jac. Capellum diſputat. Hac occaſione de veterum divitiis in pecoribus ſitis, eorundemque uſu in commerciis, origine numiſmatum, nominibus Græcorum numis olim impoſitis, & aliis ad illuſtrandam materiam pertinentibus loquitur. Caſtigat etiam Judæos Alexandrinos, ac monſtrato prædas varias diripiendi modo, locum, ubi victores prædæ participes facti fuerunt, ultimo inveſtigat. *Animadv. II* locum *Exod. XXXIV, 18* dilucidaturus, legem de

feſto azymorum celebrando divinitus promulgatam exponit, cauſasque inveſtigat, cur feſtum illud ubivis in V.T. חג appelletur, inter ſolemniſſima numeretur, & מצות inſuper cognominetur. Suppeditat farraginem quæſtionum de panibus azymis, populumque Ebræum ſacrificia illo tempore offerre debuiſſe obſervat. Multa diſſerit de menſe Ebræorum Abib, Chaldæis Niſan dicto, quem Martio noſtro æquiparat, & dubia ibi emergentia ſolvit. Poſt hæc alluſione in vocibus אב & אביב prius notata, dies menſis, quibus ſolennitates feſti peractæ fuerunt, indagat, ac rationem, cur præciſe menſe determinato feſtum ordinatum fuerit, ex ultimis penſi verbis proponit. *Animadv. III* capitale ſupplicium, quo idololatræ olim tempore Moſis affecti fuerunt, ex *Num. XXV, 4* deſcribit, eumque in finem de triplici ſuſpendendi in altum modo agens ſuſpenſionem in crucem, ſtrangulationem ſuſpenſorum, & denique interfectionem cum ſuſpenſione in ligno conjunctam memorat. Singula momenta exemplis aliquot confirmat, contra Bernardum Lamy diſputat, binos actus ad ſupplicii executionem vel maxime pertinentes expendit, Andræam Maſium notat, nec graviſſimæ pœnæ tum promulgatorem, tum candidatos in apricum producere omittit. Cumque viginti quatuor millia candidatorum, qui corporaliter pariter atque ſpiritualiter ſcortati fuerant, præeunte Moſe recenſet, Cornelium a Lapide & Oſiandrum, qui principes tribuum numero duodecim ſuſpenſos fuiſſe putarunt, breviter confutat. Tandem quid phraſes *ſuſpendi coram Sole* ſibi velit, dilucidat, expreſſionemque Helleniſtarum *παραδειγματίσαι* uberius ex Heſychio reddit clariorem. *Animadv. IV*, occaſione loci *Judic. XIII, 25*, dona Spiritus Sancti in Simſonem collata enarrat, diſcrimen eorum in Veteri & N. T. oſtendit, roburque herois plane herculeum in nervis totius corporis fuiſſe opinatur. Votiva poſtmodum Nazaræorum obligatione expoſita, de proprio vocis פעם ſignificatu, quem paulo generaliorem adverſus Münſterum adornat, copioſe loquitur, ac motum extraordinarium Simſoni non ſemper fuiſſe docet. Locum denique in Palæſtina ſitum, ubi fortiſſimus heros per vices agitari

cœpit

cœpit, monſtrat, & paſſim Scripturæ aliquot dictis lucem affundere conatur. *Animadv. V* conſiderat querelam memorabilem *Pſalm. LXXXIIX, 6.* extantem, quam Salvatorem in cruce ſuſpenſum maxime in ultima paſſione pronunciaſſe contra Judæorum Magiſtros probat. Voces difficiliores ſollicite dilucidat, & pro ſtabilienda derelictione Chriſti vera, occaſione terminorum חפשי במתים ad peculiarem Ebræorum conſuetudinem ſervos poſt aliquot annos manumittendi reſpicit, eandemque ex inſtituto delineat. Ritum vero homines lepra infectos ab aliis extra caſtra ſeparandi, quem Tremellius urget, ad illuſtrandum comma neutiquam quadrare ait, ſed priori magis inhærens, Chriſtum in ſacris paginis ſervum vocari, ſpecimenque ſervitutis eidem tribui animadvertit. Poſt illa diſputata tum ex ſtructura orationis, tum ex comparatione Meſſiæ cum confoſſis viris derelictionem revera talem fuiſſe evincit.

EPISTOLA CURIOSA THEODORI ELEUTHERII ad F. NORBERTUM d' ELBECQUE Reſponſoria.

Bruxellis, apud Jo. de Smedt, 1710, 4.
Plag. 6.

QUi *Theodori Eleutherii* nomine obumbratus anno 1705 edidit *Hiſtoriam controverſiarum de divina gratiæ auxiliis* contra Hyacinthum Serrium, Dominicanum, ſub *Auguſtini le Blanc* nomine latitantem, recenſitam nobis Anno 1707 p. 366 ſeqq. idem hujus ſe Autorem profitetur Epiſtolæ p. 95. An is ſit Clariſſimus Vir, Conradus Janningius, ut nonnulli ex verbis noſtris, quibus p. 367 fatebamur, ab eo ad nos hiſtoriam illam miſſam eſſe, ſuſpicati ſunt, non definimus. Falli interim eos, qui Eleutherii nomen a *Jo. Baptiſta du Sollier* adſcitum eſſe crediderunt, hujus Epiſtolæ Autor diſerte ſcribit p. 90. Ceterum Norberti d' Elbecque, Dominicani & Theologiæ Profeſſoris, ad quem data præſens eſt Epiſtola, etiam tum meminimus p. 369 & 370. Hic nimirum edita anno 1709 Epiſtola oſtendere conatus erat, Eleutherium illum in citata Hiſtoria

Hiſtoria falſo ſibi quædam objeciſſe, ideoque ſe ab Janſeniſmi imputatione purgare ſtuduerat. Verum Norbertus Epiſtolam ſuam, ſi credimus Eleutherio, clam diſtribuerat amicis, nec niſi multo demum poſt tempore Eleutherius id reſcivit, ac vix tandem exemplar illius Epiſtolæ nanciſci potuit. Hic igitur p. 4 ſcribit, ſe in Hiſtoria citata ex ipſius Norberti Epiſtolis probaſſe, favere ipſum Janſenianis, ſed tamen ſuppreſſiſſe maximam eamque deteriorem ſcriptorum ejus partem. Nunc autem, cum a Norberto poſtuletur calumniæ, neceſſitatem ſibi videri impoſitam, dicta ſua defendendi. Nimirum objecerat Norberto tria Eleutherius, (1) eum e libro quodam ſuo Janſenianorum in gratiam expungi paſſum eſſe propoſitionem de morte & oratione Chriſti pro æterna ſalute reproborum: (2) de ſummi Pontificis infallibilitate timidius ſcripſiſſe, quam decuiſſet genuinum Thomiſtam: denique (3) Janſeniana placita propugnaſſe, ac vehementer pro eorum cauſa ſollicitum ſedulumque ſe præbuiſſe. Tria iſta capita ſibi objecta Norbertus totidem vocavit calumnias. Quam ob cauſam Eleutherius diſtinctis capitibus tribus iſtas accuſationes probandas ſuſcepit. Ac primum quidem demonſtrat ex Walloni ipſiusque Norberti epiſtolis, quas utraſque producit in lucem, ſimulque hujus exceptionibus & effugiis perſpicue ſatisfacit. Alterum caput cum tractat, oſtendit, Norbertum mutaſſe controverſiæ ſtatum, negantem, ſe de ſummi Pontificis in quæſtionibus fidei infallibilitate locutum fuiſſe *timidius*. Quippe Eleutherius ei objecerat negationem infallibilitatis Papalis in quæſtionibus facti, quam negari a Norberto, ipſiusmet verbis, ex ejus Epiſtola productis, p. 32 manifeſtum reddit. Tertium caput ut tractaret copioſius, fecit copia epiſtolarum Norberti, quas nactus eſt Eleutherius, qui illum ex his convinci poſſe exiſtimat, addens p. 58 & 86, earum epiſtolarum autographa ſibi in promtu eſſe. Finita p. 87 Epiſtola, Eleutherius *Poſtſcriptum*, quod vocant, ſubjungit paulo longius, in eoque ad parerga quædam epiſtolæ Norberti reſpondet. Hæc indicata a nobis eſſe ſuffecerit, cum noſtrum non ſit, hujus generis ſcripta, quippe perſonalia, pluribus perſequi.

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti, Anno M DCC XI.

Hiſtorie des Fürſtenthums Anhalt.

i. e.

HISTORIA ANHALTINA; AUTO-re JOHANNE CHRISTOPHORO BECMANNO.

Tomus I.

Serveſtæ, apud Gottfr. Zimmermann, 1710, fol.
Alphab. 6 plag. 12 fig. æn. 50.

ANhaltinæ domus Hiſtoriam, cujus per rerum geſtarum virtutumque magnitudinem cum omni jam poſteritate eſt adæquata commemoratio, ſiſtit hoc Opus, a celebri ſcriptis & eruditione *Becmanno*, Principum vero, qui hodie ſunt, Anhaltinorum auſpiciis conſignatum. Septem Partibus omnem laborem eſt partitus Autor Cl. Baconis de conſcribenda Hiſtoria conſilium ita ſequi ſe profeſſus. Nos quid Partes IV priores primo Tomo comprehenſæ contineant, ſigillatim nunc exponemus, de reliquis, quas Tomus II exhibet, alio tempore dicturi.

Prima autores Hiſtoriæ hujus alios, appellationes item & antiquos regionum iſtarum incolas percenſet. Inter illos primus commemoratur *Henricus Baſſe*, Benedictinorum Ballenſtetenſium Prior, qui *Panegyricum Genealogiarum Anhaltinarum* anno 1519 compoſuit. Eum excipiunt *Brotuffus*, *Albinus*, *Clamorinus*, *Milagius*, *Sagittarius*, & *Gudius*, quem & Autorem ferunt libellorum, quos Halæ ſub titulo, die Staaten von Europa, prodiiſſe ſcimus. Inter eos Milagius in Vindiciis P.I. C.I.

Anhaltinis A. 1648 editis magnopere commendatur. Quæ ma-
nuſcripta adhuc ſervantur Chronica, ut & autores, qui non li-
bris quidem ſed capitibus tamen peculiaribus Anhaltina tracta-
runt, tacemus, id dolentes cum Autore, quod opus Milagii,
quo Chriſtiani I Anhaltini rationes in belli Bohemici ſocietate
defenſurus adverſus Habernfeldi calumnias, univerſæ ſimul
Anhaltinæ Hiſtoriæ lucem accendere conſtituerat, imperfe-
Cap. 2. ctum ab eo relictum fuerit. In appellationum evolutione *Anhal-
ti* nomen pluribus locis commune demonſtratur eſſe, maxime-
que Dynaſtiæ cuidam in Weſtphalia convenire, quæ ad Salmen-
3. ſis Principis ditionem pertinet. Ipſa vox unde derivetur, dubi-
um eſt, creditu tamen facillimum, idem eſſe quod **an Holt/am
Holtze**. Aſcaniam ab Aſcenas dictam non dubitatur, cujus
nominis tot alia quoque per Germaniam veſtigia haud ſuſpecta
4. extant. Quibus vero fatis ad nos ex Aſia coloniæ gentis ab
Aſcenas oriundæ ſint delatæ, non definitur. Gentes, quæ ſedes
iſtas incoluerunt, primo recenſentur Cheruſci & Calucones,
poſt illos Suevi & inter eos quidem Semnones, qui Seculo VI
a Thuringis ſi non ſedibus pulſi, nomine tamen eorum fuere
cenſiti, cum ante jam mixtis cum Saxonibus domiciliis habi-
taſſent, quibus etiam poſtea, victis maxime Thuringis, cedere co-
acti fuere. Hos exceperunt Venedi, qui paulatim maximam
Germaniæ partem occupabant, quorum facta mentione, no-
minum ex lingua Veneda reliquiæ, ductu partim *Albini*, partim
Frentzelii explicantur. Fractis denique per Albertum Urſum
& Henricum Leonem Venedorum viribus, reducti has in regio-
nes ex Belgio ſunt Saxones, Francorum olim odio tam procul
a patria deducti. Qua occaſione degener Francorum a reli-
quis popularibus perfidia, & alios opprimendi cupido abunde
5. demonſtratur. Reliquiæ poſtremo, quæ a paganis remanſe-
runt, cum fuerit inſcriptionum Germana gens & Veneda mi-
nime gnara, lapidibus maximam partem, vel ad cultum quen-
dam poſitis, vel in monumentum erectis & in circulos pa-
riter ac ſtrues congeſtis, quin urnis etiam haut paucis ab-
ſolvuntur.

Parte

Parte ſecunda regionum Anhaltinarum ſingularum pro aeris terræque varietate varia & in vegetabilibus & foſſilibus opulentia tribus capitibus declaratur, & quanta metallorum e montium viſceribus eruendorum ſpes ſit, dummodo conſtanti labore fodinæ exerceantur, oſtenditur. P. II.

Pars tertia Hiſtoriam Geographicam continet, adeoque principio ſtatim regiones Anhaltinæ finibus ſuis deſcribuntur. P. III. Ἀπόσπασμα Saxoniæ negat eſſe hanc provinciam, quod neſcimus quomodo cum vaſtis Saxonum ſedibus, quas & in iſtis finibus poſuerant, conveniat, licet concedi poſſit, tanquam paragium quoddam ad Alberti Urſi poſteros perveniſſe. C. I. Pagi, quibus diviſus olim fuit iſte tractus, ex antiquis Diplomatibus curioſe ſunt conquiſiti, quæ inter Diplomata notatu dignum eſt aliquod Adolphi Imperatoris, quo Hermannum Luceburgicum pro *Divæ recordationis Romanorum Rege, prædeceſſore ſuo*, agnoſcit. Reliquæ diviſiones pro ſtemmatum Anhaltinorum numero ſubinde ſunt factæ & adhuc ſubſiſtunt; neque tamen rarior fortaſſis unquam illa, quæ anno 1603 inter quinque fratres Anhaltinos eſt facta, legitur. Tanto enim amore conjunctos videas, ut ne communi quidem hac diſcordiæ cauſa divelli potuerint. Jucunda eſt lectu pactorum Hiſtoria, per Ludovicum Principem conſignata & noſtro Operi inſerta. p. 74 ſqq. Ceterum Imperii ſemper pars fuit Anhaltinus Principatus, niſi quod quædam urbes & arces Feudum immediatum Magdeburgenſis eſſent Archi-Epiſcopi, quod in arce Mauritii Halæ conferebatur in Principes ab Archi-Epiſcopo, dextris conjunctis & oſculo dato, ut ſolitum in ejusmodi ſolennibus. 83 b. Hæc tamen illud præ aliis habebant ſingulare, quod Archi-Epiſcopus ſiniſtrum Principis pedem calcaret. Nexus hic feudalis per Fridericum Wilhelmum, glorioſæ memoriæ Brandenburgicum Electorem, ſolutus, ita tamen ut ſucceſſio in iſtam hereditatis Anhaltinæ partem, extincto Principum ſtemmate, Brandenburgicis reſervaretur. Denique Otto Aſcaniæ Comes & Princeps anno 1315 homagio & vaſallagio ſe Daniæ Regi Erico devinxiſſe legitur apud Pontanum Hiſt. Dan. L. VII, 86 a.

& propterea munitiones ſuas ipſi obtuliſſe. Videtur hic notaſſe Pontanus, ac ſi credidiſſet, ob iſtas munitiones hominem ligium Erici factum Ottonem. Sed neque fieri hoc potuit, ut recte vidit Celeb. Becmannus, nec omnino fuit Ottonis intentio, nec mens denique Pontani. Etenim in codicillis huc pertinentibus fatetur Otto, *ſe Erico, cui homagio & vaſallagio obſtrictus ſit, firmiter promiſiſſe, quod ejus ſervitiis fideliter ſit adhaeſurus, cum omnibus ſuis hominibus, vaſallis, munitionibus & clauſuris.* Hic vero loquendi modus nil aliud quam uſum ditionis iſtius in bellicis negotiis Erico conceſſum indicat, cum, ſi de feudali quodam ob has urbes nexu contracto foret ſermo, ſe illas ab Erico in feudo tenere velle, vel ſimile quid dicere debuiſſet Otto. Dein cum Ericus Ottoni 500 Marcas Selandicas & illas quidem annuas concedat, nemo rerum iſtarum peritus non videt, Feudo ſolum militari obſtrictum fuiſſe Anhaltinum, *homagium* autem non *ligium* ſed *ſervitii* & per ſtipulationem forte modo factum eſſe cenſendum.
Cap. 2. Poſt *Hydrographiam* fluvios & lacus deſcribentem, ad urbium ſingularum Hiſtoriam progreditur,
3. ubi primo ſtatim loco *Bernburgum* ex ſedibus Anhaltinorum Principum antiquiſſimis ſiſtitur, quam adeo dilexit Wolfgan-
p. 126 b. gus Princeps, ut diceret, nil magis ſe in votis habere, quam
114 a. ut Venetias ex Bernburgo ſuo poſſet facere. Urbs haec ad Salam ſita nomen a Beringeris accepiſſe creditur, neque tamen, quando ſit extructa, liquido conſtat, niſi quod anno 992 ab Ottone III Imperatore munitam finibus tuendis ex Ditmaro do-
C. 4. ceamur. Poſt *Hecklingenſis Monaſterii* memoriam renovatam, quod anno 1139 a Bernhardo Comite fundatum, poſt retectam
5. Evangelii lucem aliis uſibus fuit deſtinatum, ad *Ballenſtadium* progreditur Autor, quod in arcem Principum & ipſum oppidum dividitur. Arx illa primo propugnaculum quondam fuit, poſt
153 a. anno 940 Canonicis regularibus ab Eſicone IV Comite conceſſum, anno 1120 ab Ottone divite Benedictinis traditum & SS. Pancratio ac Abundo dicatum, per bellum denique ruſti-
156 b. corum anno 1525 devaſtatum ad Principes rediit. *Hartzigero-*
C. 6. *da*, vel ut antiquitus fuit dicta, Hatzgeroda notari praecipue meretur ob rudera arcis *Anhalti*, quae in vicinia conſpiciuntur.

Eam

Eam Eſico, cum Monachis Ballenſtadium conceſſiſſet, exſtru- p. 164 b.
xiſſe creditur, ſed a trecentis retro annis paulatim deſerta concidit, ſic ut murorum modo quædam reliquiæ nunc adhuc ſuperſint. Sequitur *Saltus Geronis* (Gernrode) quo in loco Ge- Cap. 7.
ro notiſſimus Marchio anno 960 collegium monialium virginum inſtituit, quod a Seculi XVII principio non ab Abbatiſſis 182 b.
amplius ſed ab Anhaltinis Principibus adminiſtratur. Magnus documentorum huc pertinentium numerus, tam ineditorum adhuc, quam correctius nunc ex avtographis deſcriptorum in Opere ipſo poteſt legi, quo rerum iſtarum curioſos ablegamus.
Illud modo monemus, quod, cum obſervante Cl. Becmanno, 174 a.
in Pontificum, qui poſt Eugenium III ſunt ſecuti, confirmationibus, Eugenii hujus nulla fiat mentio, documento hoc eſſe poſſit, acta ejus, qui Roma in Galliam concedere coactus fuerat,
pro invalidis apud ſucceſſores habita. *Serveſta* nomen a Sla- P. III. L. II.
vico vocabulo Czerſtwy, quod alacrem notat & vegetum, Cap. I.
domiciliumque adeo alacrium ſignificare ſtatuitur, quippe cum ſedes hæc Sorbiorum fuerit. Originis eſt incertæ, at- 193 a.
tamen ante 700 jam annos celebris, a Polonis Henrico II Germanis mperante occupata. Inſignis eſt hæc civitas ſtatua, 240 a ſqq.
quam vocant Rolandinam, quales & aliis in urbibus conſpiciuntur, Gryphiandri aliorumque laboribus paſſim illuſtratæ. Noſter non a Carolo M. quidem ſed a Saxonicis Imperatoribus erectas & publica penes eas judicia fuiſſe habita autumat. Pone Rolandinam vero ſtatuam, alia repræſentatur virginem in columna ſtantem aperto capite, paſſis capillis, dextra crumenam conſtrictam tenentem exhibens. Hanc ad libertatem a vectigalibus Serveſtanis aliquando conceſſam Becmannus refert.
Urbs hæc Sec. XI Germanis habitata, poſt a Venedis ſuperata, 262 ſqq.
Seculo vero XII ab Alberto Urſo Flamingis conceſſa videtur. Ex quo tempore ſub nobilium quorundam poteſtate fuit, qui ſe *Dominos de Zerwiſt* dixerunt, oppidumque ſubinde *Urbem ſuam* appellarunt. Eorum familia nunc adhuc inter nobiliſſimas Anhaltinarum cenſetur. Ab illis ad *Dominos de Barboy* pergit, quos a Comitibus Barbyenſibus probe diſtinguendos contra communem Genealogorum ſententiam ex titulo &

Digitized by Google

inſignibus demonſtratur. Supremum vero Dominium partim Marchionibus Brandeburgicis, nominatim Johanni & Ottoni, anno 1259 cum Anhaltinis commune, partim horum ſolum fuit. Anno 1300 utile quoque Dominium Anhaltini ſoli obtinuiſſe videntur. Poſt Sigismundi Principis mortem anno 1405 per uſurpationem primo, dein per pacta fuit introductum, ut majoribus natu ſemper Serveſta concederetur, quod mutatum tamen mox anno 1440 & 1460. Nunc inde ab anno 1603, quo Rudolpho, Joachimi Erneſti filio, fuit addicta, ab ejus poſteritate, quæ in Sereniſſimo Carolo Wilhelmo familiaque hujus nunc adhuc viret, regitur. Minora hujus portionis oppida, utpote ſunt Coswitza, Buravia, Lindavia, Roslavia, Nienburgum, Muhlinga, Dornburgum, quorum quædam a Comitibus olim recta ſunt, conſulto prætermittimus; & ad

P. III L. III. Cap. I. tertium tertiæ partis librum progredimur, qui *Deſſavienſis* familiæ ſortem exhibet. Urbs ipſa, quæ nomen Principibus dedit, jam Seculo XIII ſedes eorum fuiſſe videtur, inceta ceterum origine pariter ac nominis derivatione. Notatu digna eſt obſoleta quidem, ſed non omni tamen fide deſtituta traditio, annuli cujusdam aurei occaſione, qui pignoris publici apud

p. 352. Deſſavienſes Principes locum obtinet, narrari ſolita. Fœminæ cuidam Principi mos fuiſſe dicitur, ut poſt prandium mappam per feneſtram excuſſerit, prægrandi ſemper bufone inferius excipiente decidentes reliquias. Hæc gravida cum aliquando eſſet Princeps, noctu ancillam ardente inſtructam candela lectum ſuum videt accedere, quæ, gratiis a bufone pro pabulo toties ſuppeditato peractis, annulum iſtum tradit, monens, ut diligentius curet ſervandum, quippe qui ſalutis Anhaltinæ ſit pignus. Præterea vigiliis natalitiis ignem accurate cuſtodiri jubet, quippe a quo iſta nocte domui huic impendeat periculum. Alii deductam ab ignota quadam ancilla per vias prorſus incognitas ad parturientem fœminam dicunt Principem, a qua redhoſtimenti loco annulum cum iſtis monitis acceperit. Quicquid ſit, annulus tamen iſte non ſolum adhuc ſervatur, ſed & ea prædicto die ab ignis periculo cautela obtinet, ut per univerſam Principum domum cum crepuſculo, apud ipſos

autem

autem Principes hora octava deleatur omnis flamma, & cuſtodes usque ad tertiam noctis vigiliam circumeundo ab incendio caveant. *Cothena* urbs originem habet eo incertiorem, quo L. IV C. 1.
deprehenditur antiquior. Et regionis quidem circumjacentis in antiquo Diplomate Ottonis II Imperatoris, quod *Marcam Kotenni* Noſter nominat, occurrit mentio. Conjectura eſt, Cothenam fuiſſe, quæ Gruna ſæpius dicitur, Venedorum ſedes, ab Henrico I anno 927 expugnata. Certiora urbis hujus veſtigia in antiquis Seculi XII documentis apparent. Præter V C. 1.
hæc in Anhaltinis finibus loca, quædam alia Principes foris etiam poſſident, inter quæ primum facile locum *Scheidinga caſtrum*, (Burg-Scheidingen) Thuringorum olim regia, Herminfridi Regis ultimi deditione nobilis, quæ ad Saxones, qui eum in Francorum acciti ſocietatem debellaverant, pervenit. Ab Henrico II Imperatore Bambergenſi Epiſcopo fuit data, a quo per modum feudi Apoldæ Vice-Domini (Vitzthum) acceperunt. Hi tamen anno 1376 jura ſua Querfurti Dominis vendiderunt. Illorum ultimus Bruno XI, cum quo extinguebatur familia, caſtrum hoc Woldemaro Anhaltino quaſi legavit, quapropter nunc adhuc Principum horum in illud eſt dominium. *Jeveræ Dominatus*, ut alias Friſiæ populus, Demo- 2.
cratico ſtabat regimine, quod, ut accidere ſolet ejusmodi Rebuspublicis, cum crebris affligeretur ſeditionibus, in unicum denique Dominum, ex ipſis tamen Jeverenſibus electum, medio Seculi XIV eſt collatum. Denique, cum ad fœminas imperium devolveretur, & Orientalis Friſiæ Comites gravius illis imminerent, præſidium potentioris quærere maluerunt, adeoque anno 1532 Carolum V Imperatorem ſupremum ſibi Dominum elegerunt. Per teſtamentum dein ad Comites Oldenburgenſes poſtquam perveniſſet, ab illis hæreditario jure poſt ultimi Comitis obitum, cujus ſororem Anhaltinus Princeps habebat in matrimonio, huic familiæ fuit tranſmiſſum. *Aſcania* 3.
Comitatus cum ejusdem nominis civitate (Aſchersleben) antiquiſſima fuit Anhaltinorum poſſeſſio, quin prima potius dicenda. Sub initium autem Seculi XIV cum Bernhardo II deberet cedere, ejus frater Albertus Epiſcopus Halberſtadienſis

ſpecioſo

ſpecioſo venditionis titulo ab Eliſabetha, Ottonis Aſcanienſis vidua, ſibi factæ, Aſcaniam vindicabat. Quod quam juſtum fuerit, diſquirant alii: ſatis in poſſeſſione juris, licet violentius illud videri poſſit, ſe habere putabat Albertus. Quapropter res, armata quandoque vi tentata, litibus tamen plerumque ad Imperatores delatis, fuit geſta. Et licet tribunalium ſententiæ tantum non ſemper Anhaltinis faverent, atque illud etiam obtinerent Principes, ut nullam unquam præſcriptionem juribus ipſorum derogare poſſe, per Imperatorem ſtatueretur, nunquam tamen commoda ſe præbuit occaſio, qua recuperare amiſſum valuerint. Per pacem denique Monaſterienſem cum ad Brandenburgicum Electorem ſimul cum Halberſtadienſi Epiſcopatu Aſcania quoque devolveretur, rurſus partibus ſuis Principes cavebant. Manſit vero res litigioſa, usque dum anno 1680 totius Imperii conſilio eo deveniret, ut, alio quodam modo Anhaltinis ſatisfieri debere, cenſeretur. Ad ipſum vero modum quod attinet, ſimultanea de Aſcania inveſtitura cum 24 annorum ab Imperii oneribus immunitate Principibus concedebatur, quod adhuc obtinere, cum immunitas iſta anno demum 1703 cœperit, nulli dubitamus.

P. IV. *Pars quarta* Principum Anhaltinorum regiminis formam,
Cap. 1 p. 505. dignitates item, prærogativas, inveſtituras &c. ſiſtit. Ipſa regio cum in quatuor partes, ut modo vidimus, ſit diviſa, ſingularum partium Dominis, ut ſuo in ditione ſua jure quis-
506 a. que imperet, eſt conceſſum. Sed cum multa pacis pariter ac belli negotia toti familiæ ſint communia, unanimi omnium conſenſu adminiſtratio eorum ſeniori, quisquis ille fuerit, eſt relicta. Si qua etiam gens hujus familiæ forſan intereat, ut per lineas in vacuam portionem ſuccedatur, inter Principes
506 b ſqq. convenit. *Primogenituræ* jus a Serveſtanis, Cothenicis &
508 b. Bernburgenſibus conſtitutum obſervatur. Ceterum quando conveniunt Principes, illi, penes quos eſt imperium, reliquos quamvis ſeniores antecunt, ipſorum vero imperantium ordo pro annorum, quibus regimen tenuerunt, numero diſponi-
C. 2. 509 ſqq. tur. De *Titulis* ſi diſpiciamus, primo quidem *Comites* tantum Aſcaniæ

Digitized by Google

Aſcaniæ dictos invenimus. Bernhardus, Alberti Urſi filius, p. 509 ſqq.
antequam Saxoniæ Ducatu potiretur, *Dux* a ſcriptoribus appellatur, cujus filius Henricus *Principis Anhaltini* nomen primus ſibi vindicavit, ſubinde tamen in diplomatibus antiquis Comitis Aſcaniæ titulo ſolum inſignitus, prout erat iſta ætas de titulis non curioſe nimis ſollicita, quapropter & inverſo identidem ordine Principes Aſcaniæ, Comites autem Anhaltinos nominari obſerves. Sed &, antequam Aſcaniæ cognomen adſciſcerent, *Ballenſtadii Comites* ſunt dicti, quod prius non p. 510 b.
deſiit, quam Ballenſtadio Benedictinis conceſſo, Anhaltum Comites commigrarent. *Marchionis* appellatio per ditionem Bernburgicam, ſed non nimis conſtanter viguit, quin penitus etiam poſtmodum evanuit. *Domini Serveſtæ & Bernburgi* 513 a.
olim, ad poſſeſſionem ditionum earum indicandam, quidam ex illis vocabantur, quanquam Serveſtæ titulus non ante Seculum XVI invaluit. Hodie juris nota eſt eadem in ſingulorum titulis, ſi eos excipias, qui Bernburgum & Serveſtam reipſa poſſident. *Dignitatis ſigna* in titulis Principum ſunt, **Durchlauchtig / Hochgebohren.** Illud, ſive *Illuſtris*, nomen cum ab aliis, tum ab Imperatoribus ſæpius ipſis tributum legitur, donec poſt Caroli IV tempora tantiſper ceſſaverit. Leopoldus autem anno 1677 id Anhaltinis conceſſit, ut Senior ſemper eorum, qui regimini præſunt, ab Imperatoribus Illuſtris titulo honoraretur. *Inveſtituram*, cum iſta regio inter ſe- Cap. 3.
ptem feuda vexiliorum in Impero numeretur, conſtanter Imperatorum autoritate in eos collatam obſervatur, ſic tamen ut olim literis Imperatoriis ſummatim tantum Aſcaniæ regionumque Anhaltinarum mentio fieret, nunc per partes eundo plura ſigillatim deſignentur. Ipſa ſolennia per Seniorem familiæ legatosque ejus ut plurimum penes Imperatorem peraguntur. *Privilegia* Principum non ſunt contemnenda. Sic a Maximi- 523 a.
liano I conſtitutum eſt, ut præſcriptio nulla juribus ipſorum queat detrahere, & ut a vectigalibus prorſus ſint immunes. Prætermittimus alia, quæ penes Autorem poſſunt reperiri. 525 a.
Hoc capite propter nexus in argumentis opportunitatem tres *ſigillorum Imperatoriorum* tabulæ, ex documentis Anhaltinis

 æri

æri impreſſæ, cum obſervationibus haud contemnendis exhi-
p. 518 a. ben tur. In eorum aliquo Conradus II repræſentatur ſedens, globum, quod non eſt obvium, dextra tenens manu. Notabile magis eſt aliud ejusdem Conradi, cujus adverſa Imperatoris ipſius effigiem dimidiam, averſa filium ejus ſtantem, paludamento etiam & ſago, propemodum ultra temporum iſtorum elegantiam, inſignitum ſiſtit, cum inſcriptione: *Henri-*
519 a. *cus ſpes Imperii.* Denique Friderici quoque III ſigillum, cujus averſa habet aquilam inſcriptam his verbis:

Aquila Ezechieſis
Sponſa miſſa eſt de cœlis,
Volat ipſa ſine meta,
Quo nec vates, nec Propheta,
Evolavit altius. † a. e. i. o. u.

Sub pedibus autem Imperatoris in adverſa ſedentis, abſoluto in peripheria titulo, hæc verba leguntur: *qui natus eſt in die*
C. 4. *Matthai ſub anno 1415.* Recenſentur poſtea *tituli* quidam & *di-*
p. 527 a. *gnitates* aliquibus horum Principum *peculiares.* Sic Henricus I *tutorem Marchiæ* ſe dixit, quod tutor eſſet Johannis, poſt Ele-
529 a. ctoris, & Ottonis Pii, fratrum Brandeburgicorum. Sigfridus, Henrici hujus filius, *heredem Thuringæ* ſe appellavit, incertum qua ratione, cum Henricum alias Brabantinum cum Henrico Illuſtri de Thuringia tum contendiſſe conſtet. *Palatinatum Saxoniæ* Principes a Ludovico Bavaro, a Carolo item IV obti-
531 a. nuerunt, ad poſſeſſionem tamen nunquam pervenerunt. Anno 1401 *Burggraviatus Magdeburgenſis* Anhaltinis ex conceſſione Comitis Hardecenſis, tum Burggravii, ceſſit, eamque di-
533 b. gnitatem diu ſatis tenuerunt. Eccleſiæ quoque Magdeburgenſis olim *Dapiferi* fuerunt Anhaltini, ut Saxones pincernæ, quod munus tamen, cum Brandeburgici Magdeburgo potirentur, eſt ſublatum. Rudolpho cum poſteris a Maximiliano *Comitis Stabuli* per Imperium dignitas tributa quidem, ſed nunquam eſt uſurpata. Militaria quædam munera, quibus Anhaltinorum aliqui & olim præfuerunt & adhuc præſunt, conſulto tace-
C. 5, 6. mus. Mittimus etiam *Heraldica* Domus Anhaltinæ, item *judi-*

ciorum

Digitized by Google

ciorum formas, nec de *monetis* quicquid eſſet, quod moneremus, niſi inter numos ex auro Chymico cuſos occurreret aliquis, cujus Hiſtoriam olim Tentzelius in Colloquiis menſtruis Anni 1693 p. 1001 texuit, ſed non ſatis accurate. Dicit enim, aurum ab Antonio Gunthero Serveſtano elaboratum, in quo eſt falſus. Nam aurum Princeps iſte ab Anna Sophia Comite Solmenſi, coram qua tribunus quidam equeſtris per Chymicas operationes illud paraverat, accepit, figuras autem & inſcriptionem invenit ipſe. Ita rem Celeb. Autori Bernburgenſis Principis uxor, filia Comitis, narravit. Inde quæ leguntur ibi, *Juſſu A. S.* juſſu Annæ Sophiæ ſunt explicanda, non ut Weitzius apud Tentzelium ſtatuit, *juſſu autoris ſui*. Inter *aurea numiſmata*, Theodoſii antiquum quoddam ponitur, a ruſtico Serveſtano inventum quam opportuniſſime. Is enim cum teſtis ad Baptiſmum eſſet requiſitus, nec haberet ſumtibus ferendis pecuniam, mutuum ab omnibus ipſi negaretur, triſtis per campum apertum incedens in rivulo quodam numum iſtum reperit, cujus permutatione liberavit ſe a ſollicitudine. Reliqua etiam *jura tributorum*, *comitiorum*, *regiminis Eccleſiaſtici* &c. ſatis fuſe ab Autore ad finem usque hujus Tomi deducuntur, de quo hæc dicta ſufficiant.

p. 561 a ſq.

562 a.

TESORO DELLA LINGUA GRECA VOLGARE ed Italiana.

h. e.

THESAURUS SIVE DICTIONARIUM locupletiſſimum Linguæ Græcæ vulgaris & Italicæ, opus poſthumum P. ALEXII DE SOMAVERA, Capucini, Miſſionarii Apoſtolici & Cuſtodis omnium in Græciam Miſſionum, in lucem editum a P. THOMA PARISINO, Miſſionario Apoſtolico ejusdem Ordinis.

Pariſiis, apud Mich. Gvignard, 1709, 4 maj.
Alph. 5 plag. 6.

CUm ætas noſtra multos vidit, qui in illuſtranda hodierna Græcorum Lingua, eademque ad artis regu-

 las

las revocanda occupati fuerunt, tum non ita pridem non vulgarem acceſſionem edito locupletiſſimo illo Theſauro nacta eſt, eo majoris certe faciendo, quo diutius ejusmodi opus eruditorum votis adhuc expetitum fuit. Debetur hic Theſaurus aſſiduæ induſtriæ & curis P. Alexii de Somavera, auſpiciis autem Illuſtris Bignonii, qui ſe, ut alias, ita hic quoque literarum amplificatorem & Mæcenatem literatorum præſtitit, quod Dedicatio promeritis laudibus celebrat. Labor Autori ſuo quadraginta annis conſtitit, qui huic negotio perficiendo idoneum ſe reddidit, cum per multos annos Legatis Regis Galliæ, CPolin miſſis, a ſacris concionibus fuerit, ac deinde juvenibus linguarum notitia imbuendis operam dederit, & in variis Græciæ urbibus ac omnibus fere Archipelagi Inſulis negotia dextre obierit. Ita vero rationes ſuas Autor diligentiſſimus inſtituit, ut præter omnes Græcæ ac Italicæ Linguæ dictiones varias Græcas phraſes & loquendi formulas, omnesque voces, quæ in Inſulis variis, Chio, Candia &c. Smyrnæ item & Athenis receptæ ſunt, insereret, nec omitteret terminos technicos, qui in Grammaticorum, Philoſophorum & Theologorum ſcholis frequentantur, ac denique paſſim anſam arriperet, occaſione vocum quarundam de aliis momentis Lectorem monendi. Sic v. c. p. 3, ubi vox ἄγγελος locum invenit, ſimul exhibet κατάστιχον τῶν ἐννεὰ τάξεων τῶν Ἀγγέλων h. e. *recenſionem novem Ordinum Angelorum.* Ceterorum Lexicographorum methodum in eo quoque ſecutus eſt, quod diverſa Subſtantivorum genera additis articulis ſignificavit, ac Adjectiva, quæ vocant, convenientibus terminationibus inſtruxit. In verbis ita egit, ut formas temporum, quorum formatio difficilior videbatur, nominatim Imperfecti, Perfecti, Imperativi & Infinitivi cum Præſentis forma proxime conjungeret. Si qua etiam anomala Verba occurrant, quæ tempora nonnulla modo inſolenti & a reliquis diverſo forment, illorum quoque mentio diligentiſſime fieri ſolet. Cumque uſu veniat, ut verba quædam temporibus nonnullis prorſus careant, Autor ita rem inſtituit, ut commemoratis temporibus, in verbo ejusmodi obviis, addat verba καὶ ὄχι ἄλλο, h. e. *& præter hæc nullum aliud.*

Digitized by Google

aliud. In exponendis vocum ſignificationibus non ſolum propriorum, ſed metaphoricorum quoque ſignificatuum ratio habita eſt; cumque quædam voces in aliis urbibus & locis Græciæ vel prorſus adhiberi non ſoleant, quæ in aliis familiariſſimæ ſunt, vel alia etiam notione uſurpentur, neceſſe fuit, ut varii ſignificatus commemorarentur. Illæ quoque voces hic non omiſſæ ſunt, quæ non tam nativæ & domeſticæ ſunt, quam ex alienis linguis mutuo deſumtæ & ad Græcæ Linguæ habitum aliqua ex parte compoſitæ, v. g. ὁ Κόντες, quod ex Italico *Conte* eſt expreſſum. Termini technici v. c. τὰ καθόλυ h. e. Univerſalia vel Prædicabilia aſteriſcis a ceteris diſtinguuntur. Id quoque obſervatione dignum viſum eſt, quod voces, quibus conſuetudo duplicem pronuntiandi rationem tribuit, duplici quoque accentu, ut rei hujus indicium fieret, notatæ inveniantur, v. c. ἀφεντιά. In univerſum id animadvertimus, voces ſingulas iis in locis inveniri, quos ratione literarum ſibi poſtulabant, non autem derivata, quod alias fieri ſolet, ad primitiva ſua revocata eſſe, quod poſterius tironibus laborem inquirendi non poteſt non difficiliorem reddere. Ultimo loco neque id prætereundum eſt, quod totum Dictionarium in duas partes abeat, quarum prior exhibet voces Græcas Italicis totidem expreſſas, poſterior autem Italicas, quibus Græcæ reſpondent, ut eadem opera Græcis in Italica, Italisque in Græca lingua haurienda & interpretanda inſervire poſſit.

NOUVELLE METHODE POUR APPRENDRE les Principes de la Langue Grecque-Vulgare &c.

h. e.

NOVA METHODUS SEU RATIO DISCENdi elementa Linguæ Græcæ vulgaris, diſtributa & diviſa in XII horas. Autore P. F. THOMA PARISINO, Capucino, Miſſionario Apoſtolico.

Pariſiis, apud Mich. Guignard, 1709, 8 maj.
Alphab. 1.

Qui in proxime præcedenti libro, tanquam alieno opere, in lucem proferendo utiliſſimam operam collocavit, & ab harum rerum intelligentibus & ſtudioſis gratiam iniit, idem non minori beneficio eosdem ſibi obſtrinxiſſe cenſendus eſt, cum id propria induſtria addidit, quod ad linguam Græcorum hodiernam feliciter percipiendam deſiderari poſſe videbatur. Deerat ſcilicet Grammatica, ex qua idiomatis Græci elementa haurire tironibus liceret, quorum deſideriis ſic fieri ſatis poſſe non dubitamus, cum Cl. Autor & brevitati compendioſæ potiſſimum ſtuduerit, & præceptiones ita confirmarit, ut præceptis Græcæ linguæ antiquioris, qualia in Grammaticorum ſcholis hodie obtinent, ubi per ipſius linguæ rationes licuit, reſpondeant, quod eruditis & Græce gnaris inſtitutum hoc non parum commendabit. Præcepta ipſa, ut cum plurium utilitate conjuncta eſſent, tribus omnino linguis, Gallica, Latina & Italica proferuntur, quæ per tres columnas diſpoſitæ ſibi in eadem pagina reſpondent. Capitum diſtinctionem ſuppeditavit duodecim horarum numerus, quibus ſingulis certum quoddam penſum ita deſtinatum eſt, ut his abſolutis ipſius linguæ notitia animo impreſſa dici poſſit. Eundem morem Schickardo ſe olim in Horologio ſuo Hebraico probaſſe, nemo eſt qui ignoret. Non neceſſe eſt, ut de ipſarum Horarum diviſione, vel Elementis linguæ traditis, quicquam commoneamus, cum nihil de his, ſi breviter & ſtrictim, dicatur. In calce occurrit *Abecedarium Chriſtianorum*, quod præter Orationem Dominicam & Symbolum Apoſtolicum precationesque nonnullas, alia doctrinæ Chriſtianæ elementa Græce, Gallice, Latine & Italice complectitur.

IL NUOVO CONFEDERAMENTO DI GIESU IL Meſſia Salvator Noſtro.

h. e.

NOVUM FOEDUS JESU MESSIÆ SERvatoris noſtri, ex Græco fideliter Italice converſum a

MAT-

MATTHÆO BORLANDO DELLA LEGA D. Theologo & Profeſſore Philoſ. ac Linguarum Exotic. in Academia Equeſtri Erlangenſi, & JAC. PHIL. RAVIZZA, Doctore Theologo. Volumen I, quod Evangelia comprehendit.

Chriſtian-Erlangæ, apud Dan. Mich. Schmatz, 1711, 8. Alphab. 1 pl. 12.

NOva hæc verſio Evangeliorum, quam ceterorum librorum N. T. interpretatio proxime ſequetur, a duobus Viris eruditis, natione Italis & a Romanenſibus ad veritatem Evangelicam deductis, profecta eſt, quæ non minus fide & induſtria, quam notis contextui ſubjectis ſeſe commendatura videtur. Inſcripta ea eſt Sereniſſimæ Reginæ Britanniæ & præter Præfationem, in qua exſtantiora quædam operarum typographicarum errata emendantur, munita eſt hiſtorica quadam Eccleſiæ deſcriptione inde ab ultimis antiqui Fœderis originibus ſummatim repetita. In notis id agunt Clariſſimi Interpretes, ut nunc verſionis, ſi forte ab aliis diſcedat, rationem reddant, nunc errores quosdam prave de doctrinis ſacris ſentientium, ac nominatim Romanenſium, confutent. Sic in inſcriptione Evangelii Matthæi vox γένεσις non per *genealogiam*, quod plerumque fieri ſolet, ſed per *hiſtoriam* convertitur, cum ſcriptor divinus non ſolum natales & gentem Servatoris, ſed res ejus geſtas in univerſum exponere conſtituerit. Hæc ratio idonea, ſi quid videmus, in notis redditur, quæ præterea provocant ad hanc vocis Hebr. תּוֹלְדָה cui Græca γένεσις reſpondet, notionem, Gen. XXXVII, 2, Num. III, 1 &c. receptam. Meminimus, idem, ut ceteros taceamus, Cl. Vitringam, Rhenferdium & nuper admodum Jo. Martianæum in Tentamine verſionis Gall. N. T. monuiſſe. In cap. I v. 18 vocem δίκαιος, quæ Joſephi elogium conſtituit, non *juſti* ſed *miſericordis* notione exprimunt, quæ in Hebraico Codice alias recepta eſt & a Chryſoſtomo hic locum habere putatur. Cap. II v. 2 cum dubii hæſerent, utrum τὸ προσκυνεῖν civilem an religioſum cultum deſignet, eam inierunt interpretandi rationem, quæ utrumque innuere poſſet,

poſſet, atque adeo verterunt per *ſacramentum*, quod vulgo *homagium* dicunt, *præſtare*. Cap. III, 4 per ἀκρίδας Joannis *ſummitates foliorum* intelligunt, ac per *Carobe* interpretantur, ſecuti Nortoni Knatchbulli exemplum in Animadverſion. ad N. T. ad quas in notis provocant. Hoc enim facere ſæpiuſcule ſolent, ut eorum, quibus ſua debent, induſtriam nominatim laudent. Ad Cap. IV, 10 confutantur Pontificii, qui ex eo, quod Servator noſter non verbo προσκυνεῖν particulam excluſivam μόνῳ addiderit, quæ juncta eſt verbo λατρεύειν, efficere ſe poſſe putant, Sanctis non quidem λατρείαν, ſed tamen adorationem & cultum tribui poſſe. Ad Cap. VII, 13 confutatur Romanenſium ac nominatim Bellarmini ſententia, qui inter notas veræ Eccleſiæ ceteras copiam & amplum Civium ejus numerum commemorant. Cap. XX, 22 *bibere calicem* exprimitur per *calamitates ſuſtinere*, ac deinceps phraſis hæc ex antiquitate Judaica, ac recepta conſuetudine facinoroſis calicem propinandi in notis exponitur, ac ſpeciatim provocatur ad Tract. Avoda Sara, quem titulum operæ typographicæ in Avodach Lara perperam transfuderunt, quod alibi quoque factum eſſe obſervavimus. Sic ad v. 23 *Tremulius* & *Gatker* pro *Tremellius* & *Gataker* allegantur, quod ipſis Autoribus fraudi eſſe non debet. Interdum in notis Philologicæ quædam quæſtiones delibantur. Sic v. c. ad Lucæ XVI, 29 Moſi Pentateuchus vindicatur, laudatis, qui pro eadem ſententia propugnent, ſcriptoribus. Ex his, credimus, ſatis apparet, notas illas bonæ frugis plenas eſſe, quæ ad lucem contextui ſacro accendendam & linguarum & antiquitatum & divinioris doctrinæ præſidia adhibent. In calce addita eſt Catecheſis eo conſilio, ut illius beneficio rudiores elementa doctrinæ Chriſtianæ animo comprehendere poſſent.

BIBLIOTHECA SACRA, SIVE DIATRIBE de librorum Novi Teſtamenti Canone; Autore JO. ENS, S. Theol. D. & Eccleſiæ Beetſanæ in Hollandia Boreali Paſtore.

Amſtelo-

Digitized by Google

Amſtelodami, apud Jac. Borſtium, 1710, 8.
Alphab. 1 pl. 10.

CUm religionis chriſtianæ fundamenta ſint libri illi, quos ſacros jure meritoque appellamus, non injuria eos ſub rigidiſſimum examen vocant, qui ſeriam æternæ ſuæ ſalutis curam ſuſceperunt. Ita enim & a ſpuriis genuini diſcernuntur, abjectis fœtibus ſanctis viris falſo ſuppoſitis, & firmiter cognoſcitur, fidem ſacris libris deberi omni exceptione majorem. Poſterius qui ſibi dederunt negotium, ex iis multi id potiſſimum agunt, ut demonſtrent, a primis Chriſtianis eos, quos jam habemus libros utriusque Teſtamenti, agnitos fuiſſe & ita redactos in ordinem, ut, quicunque ibi appareant, θεόπνευστοι ſint habendi, ceteris in cenſum humanorum operum rejectis. Etſi vero ea res fidem ſolum humanam parere videatur, tamen contemnendus ejusmodi labor non eſt: ac proinde, qui etiam propiori tempore non exiguo numero in hunc canonem Scripturæ ſacræ inquiſiverunt, laudem ſui conatus meruiſſe viſi ſunt omnibus. Nec eam æquus Lector denegabit præſenti libello, cujus interiorem faciem ejus obtutui ſiſtere aggredimur. Statim vero Cap. I de neceſſitate inquiſitionis in librorum omnium Novi Teſtamenti canonem agit: in quo tamen, inſcriptionis immemor, non aliud docet, quam cuivis Chriſtiano compertum eſſe debere de divina horum librorum origine. Hæc autem explorata haberi poteſt etiam iis, qui de certo canone adhuc dubitant: & ſane explorata fuit Chriſtianis illis, qui ante canonem conſtitutum vixere. Equidem Capite XIII, quod ultimum eſt, rurſus copioſe probandam ſuſcipit neceſſarium canonis uſum ad probandam ſacræ Scripturæ autoritatem. Verum ſi curatius rem expendas, illud duntaxat probat, notitiam hiſtoricam de horum librorum apud veteres autoritate tantum habere ponderis, ut, quos illi repudiarunt, merito ſuſpectos habeas, quos contra probarunt, facilius eorum eſſe credas, a quibus ſcripti dicuntur. Ita vero autoritas veterum homini veri cupido non quidem illico perſuadebit, ut eos libros divinos eſſe credat, ſed tamen ducis inſtar erit, ad divinitatem ejus generis librorum

§. 6 ſqq. firmis cognoſcendam argumentis. Negare quidem Autor
non veretur, non aliam eſſe viam ſacrorum librorum autori-
tatem cognoſcendi præter illud a conſtituto antiquitus canone
ductum argumentum. Immo ipſum Spiritus Sancti teſtimoni-
um internum, ad quod ablegant Theologi, minus ipſi vide-
tur tollendæ dubitationi idoneum. Sed nos quidem minime
dubitamus, firmiori fundamento divinam librorum Novi Te-
ſtamenti originem niti, quam ſola hominum, magnorum
quidem illorum, ſed tamen hominum, autoritate. Nec a
§. 18. nobis diſſentit ipſe Autor, faſſus, res ipſas in ſacra Scriptura
contentas firmiſſimum præbere argumentum ejus cognoſcendi
§. 22. divinitatem. Addit quidem, inde non poſſe concludi ad ſingu-
lorum librorum originem divinam. Aſt, ſi ſolæ humanæ au-
toritatis præſidio gauderent libri ſinguli, valde verendum eſſet,
ne non ſatis demonſtrata videretur eorum θεοπνευστία. Vete-
res enim teſtimonium dare quidem poſſunt, antiquum eſſe
hunc vel illum librum, & ab hoc vel illo ſcriptum (nec plus
autor §. 28 & 29 probat) ſed ſcriptorem divino inflammatum
Spiritu ſcripſiſſe, quomodo valide teſtari poſſint, non appa-
ret. Verum omiſſa hac & Theologis relicta quæſtione, reliqua
hujusce libri Capita indicabimus. Poſtquam igitur Cap. II
argumentum totius libri breviter enarravit, Capiteque III de
notione vocis *Canon* varia egit, IV Capite perdocte diſſerit de
libris canonicis deperditis. Hic Pontificiis largitus, multos
periiſſe libros divinos, negat inde conſequi, ut Scriptura ſa-
cra habeatur imperfecta. Quinto demum Capite agit de tem-
pore conſtituti canonis, docens (1), eum eſſe conſtitutum an-
te ſeculum IV, cujus rei teſtes producit idoneos, (2) ante ſecu-
lum III, ubi autore utitur Ruffino, (3) ante annum 27 ſeculi ſe-
cundi. Cum enim Marcion hæreticus circa illum annum er-
rores ſuos diſſeminaverit, isque a Tertulliano dicatur jam ha-
buiſſe Apoſtolicum pariter ac Evangelicum canonem, rem pu-
tat eſſe manifeſtam. Hinc veroſimile facere conatur, ipſum
Joannem Apoſtolum quatuor Evangeliorum canonem conſti-
tuiſſe, ſimul refutans Dodwellum, negantem, collectionem
librorum Novi Teſtamenti factam eſſe ante ultima Trajani
tempora.

Google

tempora. Qua in re Johannis Clerici veſtigia ſecutum eum eſſe, qui primus Dodwellum confutarat in Diſſertatione de IV Evangeliis, Harmoniæ Evangelicæ ſubnexa §. 7, ex collatione manifeſtum fit. Ceterum completum canonem librorum Novi Teſtamenti demum poſt Joannis Apoſtoli mortem eſſe conſtitutum, demonſtrat argumentis pluribus. Capite VI fatetur, certum annum, quo Canon ſit conſtitutus, definiri non poſſe, licet certum videatur, id factum eſſe ante A.C. 127. Hinc ex Ruffino atque Athanaſio, qui ad majores ac Patres, quos ſequantur ipſi, provocant, probat, omnes libros, qui hodie Novum Teſtamentum conſtituunt, & ſolos illos fuiſſe in Canone. Eandem in rem affert conciliorum quarti & quinti ſeculi aliorumque Patrum conſenſum: niſi quod oſtendit, in Oriente plures de Apocalypſeos autoritate dubitaſſe. Quam dubitationem tamen ſine cauſa nonnullorum ſubiiſſe animos, Autor probat exinde, quod Juſtinus Martyr, Irenæus, Apollonius & Theophilus Antiochenus Apocalypſin pro genuino Joannis fœtu agnoverint, eorumque ætate ea de re nemo dubitarit. Tertio quidem ſeculo etiam de epiſtola ad Hebræos dubitari cœpit, ſed magis de autore ejus, quam de autoritate. Hinc poſtquam Cap. VII probaſſet, ab antiquis libros Novi Teſtamenti certo ordine fuiſſe diſpoſitos, pergit Capite IIX ordinem librorum illorum eundem fuiſſe demonſtrare, quo eos legimus hodienum, dubiisque hic obviis ſtudet ſatisfacere. Cum vero illud etiam dubitetur, utrum omnes libri Novi Teſtamenti ſimul eodem tempore ita diſpoſiti & inde Canon confectus ſit, an Canon paulatim creverit, ſubinde aliis libris adjectis, donec tandem fuerit completus: Autor Capite IX prius it ſtabilitum, idque ex diſpoſitione atque ordine librorum, qui non conveniat cum ſucceſſive facta canonis collectione. Ordinem autem in diſponendis Novi Teſtamenti libris hunc eſſe ſervatum, monſtrat, ut, quo quisque prius altero ſcripſerit Epiſtolas, eo priorem ſit ſortitus locum in Canone. Unde primo loco reperiantur Pauli, tum Jacobi, dein Petri, poſt Joannis, & poſtremo Judæ Epiſtolæ, cum Paulus omnium primus ſcripſerit Epiſtolas, & poſt aliquot a Paulo editas Jacobus, tum Petrus, hinc Joannes, ac tandem Judas:

variæ autem ejusdem autoris Epiſtolæ, una ſerie ipſius nomini ſubjectæ, non collocatæ ſint ſecundum tempus, quo ſcriptæ, ſed ſecundum dignitatem Eccleſiarum & Perſonarum, ad quas ſcriptæ ſunt: niſi quod in illis Epiſtolis diſponendis tempus ſcriptionis obſervatum ſit, quæ plures numero miſſæ ſunt ad easdem ſive perſonas, ſive Eccleſias. Cur autem Epiſtola ad Hebræos ultimo inter Paulinas loco ſit poſita, hanc reddit rationem, quod ſub Novi Teſtamenti œconomia Deus Eccleſiam ex Gentibus præferendam voluerit Eccleſiæ ex Judæis collectæ. Utrum autem Canon Novi Teſtamenti conſtitutus ſit ab uno, an a pluribus eum in finem congregatis, difficile dictu (Cap. X) videtur Autori, cum apud veteres altum de hac re ſit ſilentium. Veroſimile tamen non judicat prius ex eo, quod unus aliquis id opus non videtur aggreſſus eſſe, tanquam laborioſum, & de quo metus fuerit, ne fine ſuo excidat, hoc eſt, ne Canon ab uno conſtitutus non reciperetur ab omnibus. Poſterius vero magis putat conſentaneum, cum eo tempore Doctores ſæpius convenerint de rebus ſacris acturi, eorumque autoritas tanta fuerit, ut, ſi ab iis adornatus eſſet Canon, non mirum videri debeat, cur receptus ſit ab omnibus. Neque vero alios fuiſſe hos Doctores, arbitratur, quam de Orientis Eccleſia, hujusque conjecturæ plures affert rationes haud ſane contemnendas. Quando tandem quæritur, quinam inter Orientis Doctores fuerint collectores Canonis? rurſus Autor conjecturis indulget, easque ingenue aliorum ſubjicit judicio, ſi forte quis certius quippiam meditando extundere poſſit. Suſpicatur itaque, inter Canonis collectores fuiſſe Ignatium, Polycarpum, Quadratum, propter ſuam, qua ſua ætate valuerunt, autoritatem. Capite XI contendit variis argumentis, Canonem eſſe collectum non ſola humana autoritate, ſed etiam divina, DEUMque ſingulari modo collectoribus præſto fuiſſe, & extraordinarium Spiritus Sancti inſtinctum eo fine iis largitum eſſe. Poſtremo in Cap. XII ea proponit ac refellenda ſuſcipit, quæ ad infringendam deſignati Canonis autoritatem afferri queunt: ut ſilentium veterum, eorumque de libris nonnullis in canone comprehenſis dubitationem. Seorſim agit de Epiſtola ad Hebræos,

Digitized by Google

Hebræos, docens, jam Seculo II Irenæum eam Paulo abjudicaſſe, immo primo jam Seculo quosdam in eadem fuiſſe ſententia, tertio vero ac ſequentibus ſeculis complures. Ipſe tamen Paulo eam propterea tribuit, quod diſſentientes non ſat graves dubitandi cauſas habere videantur. Hujusque generis & illas ſtatuit eſſe dubitationes, quæ de aliis quibusdam Novi Teſtamenti ſcriptis factæ leguntur.

BIBLIOTHEQUE CRITIQUE &c.
h. e.

BIBLIOTHECA CRITICA, SEU COLLECTIO variorum Scriptorum Criticorum, publicata a Dn. DE SAINJORE, cum ejusdem Notis.

Tomus III & IV.

Amſtelodami, apud Jo. Lud. de Lorme, 1708, 1710, 12 maj. Alph. 3.

CUm anni ſuperioris menſe Junio p.279 ſqq. Bibliothecæ hujus Criticæ Tomos priores recenſuerimus, Lectoribus etiam poſteriorum Tomorum argumenta potiora nunc indicari par eſt. Editorem eſſe celebrem illum *Simonium*, & illo tempore demonſtravimus, & nunc in confeſſo eſt apud omnes, adeo ut diſſertationes omnes voluminibus illis comprehenſas ſolum Simonium habere autorem plerique exiſtiment. Sed hos ipſos Tomos paulisper perluſtremus.

Tomo III Capite 3 de libro Henochi diſſerit copioſe, eumque ſubdititium eſſe evincit. *Cap. 5* exemplis aliquot probat, Latinam verſionem Hiſtoriæ Concilii Tridentini a Card. Pallavicino Italice ſcriptæ eſſe mendoſiſſimam: idemque fert judicium de Andilii verſione Joſephi Gallica, qua in re præeuntem ei habemus Clericum T. VI *Bibl. Sel.* p. 248. p. 62.
Cap. 11 novam editionem operum Auguſtini, a Benedictinis Congregationis S. Mauri adornatam, reprehendit, judicans, eos rectius facturos fuiſſe, ſi in exiguo libro obſervationes Criticas ad hunc Patrem publicaſſent. Docet ſimul exemplis luculen-

luculentis, editores illos artis Criticæ rudes fuiſſe, ac propterea ad hoc negotium minus idoneos. *Cap. 18* refert, in Academia Salmanticenſi jurandum eſſe Doctoribus, ſe non receſſuros unquam eſſe ab Auguſtini ac Thomæ placitis. Ubi Autor eorum ſimul notat ἀκρισίαν, quibus volupe eſt jurare in verba magiſtri. *Cap. 26* recenſet pariter & commendat Martini Buceri Commentarium in Pſalmos A. 1529 Argentorati in 4. editum ſub nomine Aretii Felini. Ubi inter alia obſervatu dignum eſt, in ea Bucerum fuiſſe ſententia, Pſalmum XXII literali ſenſu de Davide ipſo, myſtico demum de Chriſto interpretandum eſſe. Pariter cenſet, Pſalmum XLV proprie de Salomonis conjugio, myſtice vero de Chriſto capiendum eſſe. Utramque ſententiam non obſcure approbat Simonius, addens tamen, Bucerum in eundem cenſum cum Grotio referendum eſſe, quod ſcilicet, judicio adverſariorum ejus, judaizet & typos ſenſusque myſticos multiplicet. *Cap. 28* Cunradi Pellicani Commentarios in Scripturam S. perluſtrat, eosque mirifice laudat & in optimorum ponit numero. Annotat quoque, eum ſtatuiſſe, vitio librariorum in V. T. multa eſſe corrupta & mendoſa, item eum rejicere puncta & accentus Hebræorum, tanquam Judæorum progeniem recentiorum. *Cap. 30* agit de Opere quinque libris conſtanti, cujus index: *Fortalitium fidei.* Tres ejus memorat editiones, Hiſpanicam A. 1487, Noribergenſem 1498, & Lugdunenſem 1525. Veroſimillimam de autore putat Bartoloccii ſententiam, qui eum fuiſſe ſcribit Alphonſum de Spina, Franciſcani ordinis Monachum. *Cap. 32* ingenue tractat de fraudibus, piis ſcilicet, Monachorum circa reliquias & miracula, oſtenditque, Clericos ac maxime Monachos plebis credulitatem in ſuum vertiſſe emolumentum: idque doli genus ſeculis XI & XII fuiſſe frequentiſſimum. Hujusmodi reliquiarum in Abbatia S. Dionyſii prope Lutetiam plena docet eſſe omnia & in aliis etiam Galliæ monaſteriis ac templis. Et quanquam Launojus, Gibertus, Thierſius, aliique, hujus generis ſive fraudes ſive errores patefecerint, nihilominus Monachos tam fructuoſa mendacia adhuc tueri commonſtrat. Progreſſus ad efficta miracula, S. Gregorii Papæ dialogos

Digitized by Google

dialogos de vita S. Benedicti fabuloſiſſimam judicat eſſe hiſtoriam. Hac occaſione vitio vertit Proteſtantibus, quod adeo in Pontificiorum fraudes pietatis ſpecie ornatas invehantur, cum nunquam defuerint cordatiores, qui hujusmodi ineptias albis, quod ajunt, dentibus exceperint. *Cap. 33* pari candore diſſerit de indulgentiis, earum & originem & abuſum exponens. *Cap. 35* & *36* continentur duæ Epiſtolæ ad *P. le Long*, Bibliothecæ Sacræ, a nobis A. 1710 p. 426 ſqq. recenſitæ, Autorem datæ, quarum priore eum docet, qua methodo liber ille ſit componendus, poſteriore errata & defectus aliquot ejus operis detegit. Utrobique perſpicue indicat, Longum ſibi haudquaquam idoneum videri ad recte perficiendum illud opus, eumque nimis acerbo judicio proſequitur. priorem Epiſtolam hiſce ad ejus nomen alludentibus concludens verbis: *Non eſt meus mos, ut in ſcribendo ſim longus: ἄνους ὁ μακρὸς, amens, qui longus.*

Tomus IV complectitur Epiſtolas criticas ad diverſos ſcriptas, adeoque ſimul continuatio eſt Epiſtolarum (*Lettres Choiſies*) quondam a Simonio editarum. *Epiſt. 9* cauſam, cur ſua Hiſtoria Critica V. T. Pariſiis ſuppreſſa fuerit, explicat. *Epiſt. 12* multos Pontificiorum Theologorum agnoſcere fatetur, ſententias philoſophicas nec probandas, nec refellendas eſſe ex verbis S. Scripturæ: quippe cum illa vulgarem ſæpius ſequatur loquendi modum, & ad vulgi captum ſeſe accommodet. Hoc fundamento nixus non audet damnare recentiorum de terræ motu ſententiam, & recordatus, Romæ decreto ſingulari damnatam fuiſſe illam opinionem, reponit, decretum a Cardinalibus eam in rem congregatis profectum non debere præferri rationi, immo ne Pontificem quidem in hujusmodi rebus eſſe infallibilem. Addit, decretum illud potiſſimum Bellarmini in gratiam confectum fuiſſe, qui ea ratione Jeſuitarum Germanicorum, Copernici ſententiam amplexorum, audaciæ obicem ponendum exiſtimarit. Obſervat inſuper, Didacum Stunicam, Theologum Hiſpanum, in ſuo ad Jobum Commentario Copernicanam ſententiam comprobatum iviſſe ex illis Jobi verbis cap. IX: *Qui commovet terram de loco ſuo. Nullus*, inquit Stunica, *dabitur Scripturæ ſacroſanctæ locus*,

qui

qui tam aperte dicat, terram non moveri, quam hic moveri dicit. Inter hæc referens, multos eſſe in Gallia Carteſianæ Philoſophiæ amatores, hanc affert cauſam, cur Ariſtotelica non poſſit a Pontificiis repudiari Philoſophia, quod nimirum ea abdicata nullus ſit futurus locus ſcriptis S. Thomæ. *Epiſt. 20* probat perdocte, Joannem Trithemium, Abbatem Sponheimenſem, primis litterarum in Germania inſtauratoribus omnino annumerandum eſſe. *Epiſt. 26* ex ipſius Arnaldi literis manifeſtum facit, eum in animum induxiſſe Bibliothecam edere Janſeniſticam, aliquot voluminibus in folio complexuram potiſſima Janſenianorum ſcripta de gratia & de doctrina morali: quem in modum edita eſt Bibliotheca Fratrum Polonorum. *Epiſt. 29* oſtendit, Nicolaum de Lyra, clarum illum Scripturæ S. interpretem, gente Normannum fuiſſe, recitans ejus Epitaphium, quod adhuc Lutetiæ legitur, & a Swertio etiam relatum eſt. *Epiſt. 35* usque ad *52*, quæ ultima eſt, Gallicam ſuam verſionem N. T. Trevoltii publicatam, & in his Actis A. 1704 p. 79 relatam, magno apparatu propugnat adverſus Epiſcopi Meldenſis cenſuram, qui verſionem illam Socinianis favere contenderat. Multa hic habentur, difficiliora Scripturæ S. loca illuſtrantia, & qui a partium ſtudio alienum gerunt animum, pleraſque interpretationes videntur approbaturi.

JOHANNIS FRANCISCI BUDDEI Theol. D. & P. P. Inſtitutiones Theologiæ Moralis, variis obſervationibus illuſtratæ.

Lipſiæ, apud Thomam Fritſch, 1711, 4.
Alph. 5 plag. 11.

SUmma Theologiæ Moralis eſt neceſſitas, arctiſſimaque cum reliquis Theologiæ partibus conjunctio, adeo ut nullus Theologiæ, vel dogmaticæ, vel polemicæ, in vita & praxi appareat uſus, niſi ad morum inſimul doctrinam reſpiciatur. Grates igitur ſummæ Celeberrimo Buddeo debentur, Viro de Eccleſia & Rep. Literaria optime merenti, quod promiſſi memor,

Digitized by Google

memor, opus hoc Theologicum, elegantiſſimo doctrinæ apparatu refertum, cum erudito Orbe communicare non dubitaverit, ſpemque de ſe conceptam non tam impleverit, quam ſuperaverit. Tres Theologiæ moralis conſtituit Partes, quibus totum ejus ambitum complectitur. In prima parte de iis, quæ ad vitæ ſpiritualis incrementum pertinent, agit, in ſecunda actiones regenitorum ad legem divinam, & in tertia easdem ad prudentiam Chriſtianam conſideratas examinat. Singulis partibus præmiſit Prolegomena, in quibus de natura, atque indole Theologiæ Moralis, tum & de mediis, quibus illa juvatur, erudite disquirit. Ipſa etiam experientia edoctus Vir doctiſſimus, quantopere methodi concinnitate ſe commendaverit Philoſophia ſua practica, Halæ typis evulgata, quantoque eadem omnium cum applauſu ſit excepta, eandem in his quoque Theologiæ practicæ inſtitutionibus, a Medicis deſumtam ſequitur methodum. Eoque Parte I Capite 1 quandam velut Phyſiologiam exhibet, ubi de diſcrimine naturæ & gratiæ, partim generatim, partim ſpeciatim, quoad intellectum, & habitus intellectuales, quoad conſcientiam, quoad voluntatem, virtutesque morales, quoad facultatem imaginativam, quoad appetitum ſenſitivum, & affectus, quoad mores, ex corporis conſtitutione rebusque externis fluentes, fuſe diverſis in ſectionibus agitur. In Capite 2, Noſologiam complexo, imperfectiones regenitorum, ex naturæ reluctantia oriundæ, perpenduntur. Caput 3 Hygienen ſiſtit, vitæ nempe ſanctitatem, ad quam quotidianis incrementis contendere debemus. Caput 4 Semioticam repræſentat; ſigna exhibens, quibus naturæ gratiæque opera commode dignoſci poſſunt. Caput 5 ad Therapeuticam referri poſſet, ubi media quibus gratiæ vires augentur, vitæque ſpiritualis incrementum promovetur, accuratius conſiderat. In Parte ſecunda eadem utitur methodo, paucis ſaltem mutatis, quam olim in tradenda Jurisprudentia naturali adhibuerat. Primo itaque actiones hominum, ſpeciatim regenitorum, conſiderat, prout directionis per legem capaces ſunt, eademque indigent, tum de legibus divinis generatim, porro de iisdem ſpeciatim agit, & quidem ſeparatim de cultu

Dei interno, de cultu Dei externo, qua leges, tum abſolutas tum hypotheticas, de officiis hominum erga ſe ipſos, de officiis hominum erga alios, tum abſolutis tum hypotheticis, de officiis conjugum, parentum & liberorum, ſervorum & dominorum, de officiis ſummorum Imperantium & civium, denique de officiis Miniſtrorum verbi divini & Auditorum. Tandem etiam de mediis, quibus ad legum divinarum obſervantiam homines adduci poſſunt, aliquid ſubnectit, & ſummam addit Juris divini, ſecundum ordinem decalogi diſpoſitam. In Parte tertia primum de prudentia Chriſtiana, poſt & de Eccleſiaſtica & paſtorali tum in genere tum in ſpecie dicit. Ita pulcherrimo ordine diſpoſitum opus ſelecta paſſim continet argumenta, quorum nonnulla ſpeciminis loco proferemus. Sic p. 40, 44 Celeb. Autor locum Eph. II, 3 contra Grotium & Clericum eleganter defendit. Pag. 60, 61 graviſſimum illorum refellit errorem, qui hominem ex tribus partibus eſſentialibus conſtare autumant. Pag. 73, 74 nullam inter rationem & fidem pugnam eſſe demonſtrat. Non enim ratio, ſed quod in ratione corruptum, falſum, erroneum eſt, veritati Divinæ repugnat. Juſtis tamen rationem circumſcribendam dicit limitibus. Pag. 76 ſeqq. Scepticiſmum, Indifferentiſmum, & Naturaliſmum rejicit. Pag. 89 lumen immediatum, idque a ratione diſtinctum, omnibusque hominibus conceſſum, vel innatum, refellit. Pag. 91, 92 in vexatam illam inquirit quæſtionem: an & quo ſenſu homo impius & irregenitus illuminatus dici queat? in generaliori ſignificatione illuminationem dici poſſe concedens, ſed non ſecundum Scripturæ S. ſtylum & loquendi rationem. Pag. 109, 110, conſcientiam erroneam recte nomine *conſcientiæ* appellari, quandoquidem generatim omne hominis judicium de ſuis actionibus, ad legem relatis, conſcientia vocari ſolet, exemplo Pauli 1 Cor. IIX, 7 probat. Idem p. 111 de conſcientia dubia obſervat, dum *conſcientiæ* vocem in latiore ſignificatione accipit, ut omne hominis judicium, ſive certum ſive incertum, ſive verum ſive falſum, hoc nomine veniat. Interim eandem rectiſſime inter humanæ imbecilitatis documenta referri obſervat.

Digitized by Google

ſervat. Pag. 125, 126 emendationem hominis ab intellectu non voluntate incipere, validis argumentis probat. Pag. 145 ſqq. controverſiam de amore puro & impuro erudite pertractat. Pag. 149 ſqq. per ἐπιθυμίαν in ſenſu pravo intelligit φιλαυτίαν, quæ in decalogo condemnatur. Ibidem avaritiam, ambitionem & voluptatis cupiditatem reliquorum vitiorum matres eſſe probat. Pag. 201 ſeqq. de amore concupiſcentiæ & complacentiæ prolixe diſputat. Pag. 209, 210 illorum repudiat ſententiam, qui virtutem pro medio perveniendi ad ſummum bonum & pro parte ſummi boni habent. Virtutem vero eodem loco definit per *conſtans & ſerium ſtudium, ſe in omnibus ad voluntatem Numinis componendi*; & receptam illam definitionem, quod virtus ſit *habitus electivus, conſiſtens in mediocritate, frequenti bonarum actionum exercitio comparatus*, tanquam multorum errorum genitricem rejicit. Pag. 215 unicam revera tantum virtutem eſſe, perhibet, cum unicum tantum ſit ſtudium ſe componendi ad voluntatem Numinis: virtutes autem, quæ vulgo conſtituuntur ſpeciales, diverſas ſaltem ſtatuit eſſe virtutis denominationes. Hinc undenarium virtutum Ariſtotelicarum numerum jam pridem a cordatioribus exploſum eſſe, & Ariſtotelem civiles tantum deſcripſiſſe virtutes ſtatuit. Pag. 269 illorum in ſe ſuſcipit refutationem, qui ſedem affectuum non voluntatem, ſed appetitum ſenſitivum, vel intellectum eſſe exiſtimant. Pag. 341 phraſin Johanneam, ἁμαρτίαν ὀ ποιεῖν, dextre explicat. Pag. 342 Apoſtolum Paulum Rom. VII de ſe tanquam homine regenito loqui, invictis argumentis confirmat. P. 398 de quindecim Pſalmis graduum contra Cardinalem Bonam diſputat, atque oſtendit, eos ita appellatos, quod a Muſicis Davidis ſolenniter decantarentur, ad gradus arcis Regiæ. Pag. 417 eleganter diſquirit, num bona opera ſint media, an fructus ſanctitatis. Pag. 424 ſeqq de legitima verbi divini tractatione, calendariis Biblicis, &c. fuſam inſtituit tractationem. Pag. 498 ſeqq. eos refutat, qui leges divinas a conſiliis non differre perhibent. Pag. 505 ab illorum recedit ſententia, qui leges poſitivas univerſales admittunt, & diſtinguendum potius

 putat

Digitized by Google

putat inter leges abſolutas & hypotheticas. Pag. 529 ſeqq. ſecundum *ſpecialem* obligationem actiones quasdam indifferentes eſſe poſſe concedit; ſed ſecundum obligationem *generalem* nullam actionem indifferenten eſſe exiſtimat. Pag. 543 ſeqq. probat, dari notitiam inſitam principiorum practicorum, & ad Lockii argumenta erudite reſpondet. Pag. 651 legem de Sabbatho ad leges naturales, quas ratio capit, referri non poſſe putat: neque tamen negat, pag. 652, quod ratio dictitet, certum tempus cultui Divino deſtinandum eſſe. Pag. 737 ludos, qui ſorte nituntur, illicitos pronuntiat. Pag. 765 ſeqq. ad Levit. XIIX & XX, non modo perſonas ibi expreſſas, ſed & gradus prohiberi, perſpicue declarat. Pag. 912 de Clericorum veſtitu pulcre diſſerit. Pag. 940. 941 eam perpendit quæſtionem: an & quousque erga Magiſtratum ſupremum epanorthoſi locus concedendus ſit? Pag. 953 de excommunicatione, eaque tum majore tum minore, agit. Elegantes inſuper quorundam Scripturæ ſacræ dictorum ἐξηγήσεις immiſcet, quas ex ipſo libro diſcere Lectorem malumus, ne prolixiores eſſe videamur in recenſendo opere, quod omnium apud nos manibus teritur.

Lichts der Weißheit anderer Theil ꝛc.

i. e.

LUMINIS SAPIENTIÆ TOMUS SECUNdus, in quo morum doctrina, jurisprudentia naturalis & gentium, ut & prudentia ſtatus ad ductum Elementorum Philoſophicorum JO. FRANCISCI BUDDEI, Theologi & Profeſſoris apud Jenenſes celeberrimi, pertractantur; Autore M. MARTINO MUSIG.

Francofurti & Lipſiæ, 1711, 8.

Alph. 2 pl. 8.

ANnus eſt, & quod excurrit, ex quo Cl. Autor cum Orbe erudito communicavit Tomum Luminis ſapientiæ primum; pergit nunc & ex promiſſo nobis ſiſtit alterum. In illo, quæ intellectum perficere & variarum rerum notitia eundem

Digitized by Google

dem imbuere poterant, edocuerat; in hoc, quemadmodum voluntas emendari, recte dirigi prudenterque flecti invita debeat, præcipit. Per utrumque omnia ea, quæ in Elementis Philoſophicis Buddeanis, qua inſtrumentalia, qua theoretica, qua practica, pertractata fuerunt, iſto modo abſolvit. Accipe itaque, Lector benevole, paucis, quæ libellus ipſe in ſe contineat, quoque pertractatus ſit modo. In fronte Tomi hujus ſecundi conſpicies Præfationem novam, a Celeb. Buddeo præmiſſam, in qua literatorum exemplis evincit, quod Philoſophia practica etiam his valde ſit neceſſaria atque utilis, & quod voluntatis emendatio, quam Philoſophia practica ſibi vindicat, ab intellectus informatione, qua eruditi ab aliis inprimis ſe diſtinguunt, ſejungi debeat nunquam. Id enim ſi fiat, illico infelicitatis patere cauſam atque originem. Nam cum docti æque ac reliqui mortales omnes innumeris, qua mentem, qua corpus, imbecillitatibus laborent, fas eſſe, ut quilibet horum, non tantum intellectum ab inſcitia ſua, quantum fieri poteſt, vindicet, ſed inprimis etiam voluntatis correctionem, qua ad felicitatem panditur via, habeat ſibi commendatiſſimam. At enim vero fieri plerumque apud doctos, ut in ſola eruditione (quæ Autori ſolummodo intellectus denotat perfectionem) ſubſiſtant, nec multum de virtute, quæ in voluntatis correctione & emendatione eſt collocanda, ſint ſolliciti. Negligi autem hac ratione caput rei & unicum ferme veræ felicitatis fundamentum. Etenim ſi fiat, ut vitiis infecta maneat voluntas, & homo cupiditatum æſtu abripiatur indeſinenter, ſpes ne leviſſima quidem reliqua eſt ad aliquam perveniendi felicitatem. Illiusmodi homines, licet ipſum ſummum eruditionis teneant culmen, nihilominus tamen manere miſeros atque infelices, cum eruditione, vacui ab omni mentis tranquillitate, & ad ambitionem & voluptatem & avaritiam perpetuo fere abutantur. Inde oriri rixas, contentiones, animumque prodi imperioſum & mille alias calamitates naſci; atque hinc uſu venire non raro, ut ii, qui eruditiſſimi audiunt, neque Deum rite colant, neque aliis, quod ſuum eſt, tribuant, neque temperantiæ, quemadmodum ipſos decebat, ſtudeant; accedere etiam ſæpiſſime

 & cu-

& cumulum quaſi miſeriæ addere paupertatem, contemtum, morbos & id genus alia mala, quorum origo a perverſa maximam partem repetenda ſit voluntate. Inde Celeb. Autor non ſine ratione concludit, etiam eruditos omnium optime evitare poſſe miſerias, & felicitatis reddi participes, ſi Philoſophiam practicam, quæ voluntatis urget correctionem, ſibi reddat prorſus familiarem. Quid inde utilitatis in eos redundare poſſit, paucis oſtendit; in reliquis Lectori operis hujus ſuadet lectionem. Iſtud vero in tres diviſum eſt Partes. Prima morum doctrinam, quam Ethicam appellant, exponit, altera Jus naturæ & gentium enucleat, tertia Prudentiam ſtatus edocet. *Ethica* ſex abſolvitur capitibus. Cap. I agit de Philoſophia practica in univerſum. Cap. II de natura & facultatibus hominis, tum mentis, inprimis voluntatis, tum corporis, ut & de rebus extra nos poſitis, quæ ad mores aliquid conferunt. Cap. III de imperfectionibus atque vitiis hominis. Cap. IV de ſumma hominis felicitate. Cap. V de arte noſcendi hominum mores. Cap. VI de remediis ad ſummam perveniendi felicitatem. Tria vero potiſſimum in hac Ethica commentatione ſunt, quæ Autor inprimis urgere videtur. Primum viribus naturæ ubique ſuos definiat limites, & quid inſuper ab Ethico chriſtiano requiri & poſſit & debeat, paſſim inculcat: deinde virtutes a ſe invicem rite diſcriminat, & quid virtus apparens ſit, quid gentilis, quid chriſtiana, & quodnam unicuique ſtatuendum ſit pretium, pluribus indicat: denique uſum doctrinarum ethicarum, quod multi facere negligunt, ad vitam eas applicando, oſtendere non omittit, id quod inter reliqua ex doctrina temperamentorum & arte aliorum noſcendi animos luculenter cognoſcitur. *Jurisprudentia naturalis & gentium* ſequenti pertractatur ordine. Cap. I agit de jure naturæ & gentium. Cap. II de actionibus, quæ ad legem componi poſſunt, ſeu quæ directionis cuiusdam ſunt capaces. Cap. III de imperfectionibus hominum, quibus a lege aberrant. Cap. IV de convenientia actionum cum legibus naturalibus. Cum vero caput hoc aliquanto eſſet prolixius, in novem alias diſtinctum reperitur ſectiones. Sect. I tractat de

de lege naturali generatim, ut & de primo juris naturalis principio. Sect. II de officiis erga Deum. Sect. III de officiis erga ſe ipſum. Sect. IV de officiis erga alios, ad quæ abſolute obligamur. Sect. V de officiis gentis erga gentem, ad quæ itidem abſolute obligamur. Sect. VI de officiis, quæ ex certis hominum inſtitutis fluunt. Sect. VII de officiis humanitatis, tum ſingulorum, tum gentis erga gentem. Sect. IIX de officiis conjugum, parentum & liberorum, dominorum & ſervorum. Sect. IX de officiis ſummorum imperantium & civium. Cap. V denique agit de pœnis, bello item & pace. *Prudentia ſtatus* hæcce habet. Cap. I exponit prudentiam ſtatus in univerſum. Cap. II naturam & conditionem ſtatuum. Cap. III imperfectiones in ſtatibus conſpicuas. Cap. IV felicitatem in ſtatibus. Cap. V remedia, quibus felicitas in ſtatibus obtinetur. Hoc Caput cum itidem eſſet prolixius, in plures alias diviſum eſt Sectiones. Sect. I commendat prudentiam converſandi cum aliis. Sect. II prudentiam œconomicam. Sect. III prudentiam Rempublicam adminiſtrandi & conſervandi in genere. Sect. IV prudentiam circa leges & judicia, ut & circa pœnas & præmia. Sect. V prudentiam circa magiſtratus inferiores, ærarium, tributa, vectigalia & rem monetariam. Sect. VI prudentiam circa religionem. Sect. VII prudentiam circa fœdera & legatos, item circa bellum & pacem. Sect. IIX prudentiam, qua civitatis Monarchicæ, Ariſtocraticæ & Democraticæ conſervari poteſt ſtatus. Sect. IX prudentiam aulicam. Ceterum retinet tum in jurisprudentia naturali & gentium, tum prudentia ſtatus ſuum morem Cl. Autor, corrigendo leviter rationis imbecillitatem, & oſtendendo quaſi digito, qua ratione ex diſciplina ſanctiori Chriſtianorum mores ac vita aliam indolem ſeu aliam, uti in ſcholis loquuntur, formam nanciſci debeant. Et cum orationis facilitas inter legendum quemlibet facile detinere queat, neminem fortaſſis talia legiſſe pœnitebit.

PHILARGYRII CANTABRIGIENSIS Emendationes in Menandri & Philemonis Reliquias.

Dicere

DIcere de his Emendationibus cœpimus Menſe ſuperiori p. 295: nunc ex iisdem reliqua percurremus, primum ea quæ ad certas claſſes referri poſſunt.

In dimetiendis verſibus Synizeſin, qua duæ ſyllabæ pro una ſumuntur, adhibet ſemel iterumque. P. 68 lin. 6 cum Senarium ita inchoaſſet: Θεῦ ὁ τρόπε- dixiſſetque, ultimam prioris vocis corripi poſſe propter ſequens ὁ, nempe ut fiat anapæſtus; quaſi diffidens huic, aliam etiam facit medicinam ægrotanti metro, tres ſyllabas in ſpondeum cogendo: Θεῦ γ' ὁ· *Nam* Θεῦ, inquit, *in ſcanſione fit monoſyllabon*, *συνιζήσεως interventu*. Sic p. 72 *μέλει in ſcanſione per Synizeſin in duas ſyllabas contrahi* dicit; cum tamen, ne id fiat, toties μέλε ſcriptum inveniatur apud Autores: Phileleutherus p. 59 aliquot exempla affert, & plura cuivis ſe offerent. P. 91 neceſſario ſibi videtur Synizeſin ſtatuere in hujus verſus pede penultimo:

Ὦ παῖ σιώπα πολλ' ἔχει σιωπὴ καλά

adeoque ad hunc quaſi provocat, ſi alio loco præter rem videatur adhibuiſſe Synizeſin, dum notari eum jubet: & ſane nemo aliter hunc verſum metiri poterit, niſi de emendatione cogitet; ſciendum autem extare eum apud Plutarchum etiam, atque ibi recte legi

Ὦ παῖ σιώπα, πολλ' ἔχει σιγὴ καλά.

Extat περὶ ἀδολεσχίας p. 333 T. II Opp. Ed. Baſ. Ellipſin hanc μὰ τὴν inculcat duobus in locis alieniſſimis, p. 65.

Οἷον τὸ γενέσθαι πατέρα παίδων; μὰ τὴν
Λύπη, φόβος, φροντὶς, πέρας ἐστὶν οὐδέν

hic præterea nimis audacter ex ἦν fecit μὰ τήν. P. 117 cum in his

- - - ἔχεις
Πῶς ἡ θύρ' ἐς ἀεὶ 'νεωγμένη -

deeſſet ei unus pes; *ſi* μὰ τὴν, inquit, *addideris vel* τάχα *ſenarius eſt integer*. Quid hic quæſo μὰ τὴν faceret negativum? Nimirum ſperavit, ſibi rem hic pariter ſucceſſuram ac ſucceſſit Phileleuthero, qui alio quodam in loco p. 49 ſuarum Emend. pro ὦ μάτην docte repoſuit ὦ μὰ τὴν & exemplum ſimile adduxit ex Ariſtophanis Ranis verſu 1421, ubi μὰ τὸν occurrit,

occurrit, & ſubauditur Dei alicujus nomen, per quod juratur, ut illic Deæ. Aliam etiam Ellipſin habet p. 62:

--- Ἐπ' ἀμφότερα νῦν ἐπίκληρ@ ἢ
Μέλλει καθευδήσειν --

ubi ſubintelligit ὦτα· Sed hoc forte utcunque quis admittat; nemo certe particulam ἤ & quidem in medio ſententiæ: uti nec in iſtis p. 68 -- ζῆν ἐ βέλεται· Ἦ τοι δ' ἀτυχεῖν· ubi ἤ τοι δὲ *ſed profecto* interpretatur, oportune; nam nemo utique id ſuſpicaretur. Aliis etiam Particulis (ad illas enim hac occaſione tranſibimus,) utitur perperam. P. 33 circa finem ἐγ' ἐν μὲν ἤδη pro ἐγὼ μὲν ἐν ἤδη. P. 49

Τὰ τῆς θεᾶ γὰρ πάντα γ' ὡς ἔχειν καλῶς.

In hoc verſu, quem interpretatur: *Sic enim res Deæ optime ſe habebunt*, particulam ὡς male pro ἔτως uſurpavit, quæ etiam quoties pro hac ponitur, cum accentu ſcribi ſolet, ut in ἐδ' ὥς & ἀλλὰ καὶ ὥς· in iſtis enim quandoque ita occurit; in illo autem loco nec ſic ulla ratione poni poteſt. In eadem particula errorem inexcuſabilem erravit p. 55 lin. 34, ubi ſcribit: ὡς, *ut vel pueri ſciunt, ſæpe idem quod* πῶς. Variarum quidem particularum obtinet locum; ſed pro πῶς interrogativo, ut ipſe in illo loco poſuit, occurrit nunquam. E contrario non recte dubitat de ὡς ἐστι p. 83 in med. ſed in eo ſequitur Phileleutherum, qui p. 73 ſcribit: *deinde ne Græcum quidem eſt,* ἀδύνατον, ὡς ἐστι· nec cogitavit, ὡς ibi eſſe pro ὅτι, & ita ſæpiſſime occurrere: & fallitur iterum Philargyrius, dum mutata ſententia ὡς ibi *locum* τῦ ἵνα *obtinere* dicit p. 84 lin. 3. Particulam δὲ poſuit otioſe p. 118 in iſtis, verſu poſteriore -- πάντα δ' ἂν σκοπῇς ὅλως

Ἑτέρων πέφυκεν, ἥττονα τῶν δὲ μειζόνων.

Particulam τοιγάρ, quæ ſignificat *igitur* & in principio poni ſolet, prætereaque a Novæ Comœdiæ ſtylo eſt alienior, ipſe & adhibet, & in medio ponit, & male interpretatur p. 123

Οὔτ' ἀνδριὰς τοιγὰρ καλῶς πεπλασμέν@
Nec ſtatua profecto pulchre ficta.

Particulam αὖ aliquoties ponit, ubi eam, ſat ſcio, non omnes tolerabunt: p. 1 Αἰ πολλὰ τηρεῖν πολλὰ δεῖ δεδοικότα, & p. 63 lin. 2 Τί τῦτο σιωπᾶν βέλομ'· αὖ τὴν νύκτα, & præcipue p. 31

ubi, cum ἂν poſuiſſet, quaſi nec ſibi ipſi ſatisfaciens, loco ejus αἲ elegantius fore dicit, ut ita legatur locus:

- - - - ὑ

Σοβήσετ' ἔξω φησὶ τὰς ὄρνιθας αἲ

'Υμῶν ἄπο - -

Particulam vero ἂν non ubique alias, ut hic, dubitat inferciſre, quæ magnum ei uſum ſæpe præbuit ad implenda τὰ κεχηνότα τοῦ μέτρου, quandoque etiam cum deformatione orationis. Afferemus omnia, niſi quædam nos fugerunt. P. 30 in fine: οὐ σοβήσετε ἄν; P. 33 ἕκαστος ἂν κύψας ἔφλα. P. 37 in fine: ὀκνηρὸς ἂν ἅπαντα μέλλων παραλείψεται. P. 59 οὐ φέρει οὐδὲν οὐδὲν ἄν. P. 73 εἰ δέ τις παρέρχεται Ἀρκαδικὸς ἄν, ἁλίσκεται. P. 114 lin. 4 ὁρᾷς ἄν. P. 146 lin. 9 ἔχει γε πλοῦτον χειραγωγὸν ἄν. Etiam p. 22 lin 13 Ὡς οὐκ ἂν ἐκδοίην θυγατέρ' ἂν ἀσμένως. Sed ibi poſterius ἂν caſu, ut videtur, omiſſum eſt, quod ipſe, nec male ibi quidem, inſertum voluit, ut patet ex iis, quæ ibi ſtatim dicit. Et quoniam ἂν ei ubicunque poni poſſe videtur, ut apparet ex quibusdam locis inter ea, quæ adduximus; tolerat γνώσεις ἂν αὐτοὺς p. 132 lin. penult. non item Phileleutherus, qui p 122 lin. penult. γνῶσῃ σεαυτὸν revocat ex Stobæo: rectiſſime; non tantum propter ἄν, ſed præcipue quia γνώσομαι uſitatum, non γνώσω. Minus recte Phileleutherus p. 95 lin. 5 ἂν nullum locum habere dixit in hac oratione: καὶ συναγανακτοῦντά ποτ' ἂν οἰκείως ὁρᾶν. nam jungitur ἂν Participiis etiam, nec non Infinitivis; itaque Philargyrium aliter ſentientem de eodem loco p. 103 lin. 5 aliquid ferire mirum non eſt; de loco ipſo integro non loquor. Hæc de Particulis. De *verbis* etiam quibusdam aliquid monendum. Ditat Græciam verbo εὐτελεῖν, quod vere eſt εὐτελὲς, & ei *vileſcere* ſignificat, p. 30. & alio mirabiliore quodam: καχρήσασθαι p. 74 quod primo a κάχρυς, quod eſt *hordeum toſtum*, detorquet, deinde *ſibilum edere* cogit ſignificare, & alio: περιμελεῖν p. 52, ubi cum expreſſe ſcripſiſſet περιμελέω, format in imperativo non περιμελείτωσαν, ſed invitis Grammaticorum filiis, quaſi a περιμέλω, περιμελέτωσαν, & vertit *Inprimis curent, id imprimis dent operam, ut* &c. id quod Græci dicerent: πάνυ μελέτω αὐτοῖς. Præterquam autem, quod analogiæ

prorſus

prorſus repugnat περιμελέτωσαν, etiam nimium recedit a περιθέτωσαν, loco cujus nobis obtruditur; propius accedit, & ingenioſum eſt Phileleutheri περί σε θειούτωσαν. Ego, ut hoc addam, locum illum recte a Cl. Clerico editum judico,

Καὶ περιθέτωσαν ἀπὸ τριῶν κρηνῶν ὕδωρ

Et ponant circa te in vaſculis *a tribus fontibus aquam.*

Verbum περιπατεῖν p. 132 alia etiam ſignificatione, præter notiſſimam illam onerat, & per *conculcare* atque *proterere* reddi poſſe dicit in iſto: Τὸ δ᾽ ὅλον περιπατήσεις; quod cum recte vertat Phileleutherus: *Tune omnino ambulas?* ipſe, *neſcio*, inquit, *quid ſibi velit*. At alii ſcient, hoc recte ibi in eum dici, qui indignus eſt, ut inter homines verſetur, & ambulet in terris, inutile pondus. *Nomen* etiam quoddam novum dedit p. 77 circa finem, κλέπτος, atque in loco iſto Ὄχλος, ἀγορά, κλέπται, κύβειαι, διατριβαί *lubens* in plurali *ſcripſerit* κλέπτη pro κλέπται· præter neceſſitatem, ſi vel bona ſit vox κλέπτος. Crediderim tamen κλέπος & κλέπη eum ſcribere voluiſſe; ſed & hoc a ſermone populari, qualis eſt Comœdiarum iſtarum, alienum, & rariſſime occurrit; qualia utique vitanda erant. Tale eſt & ἀλιώτερος, nempe alienius a Comœdia, quod p. 31 reponit pro ἀθλιώτερος, quod tamen recte habet, ut eſt editum a Cl. Clerico; licet id nec Phileleuthero videatur, qui p. 28 ἀχρειότερος ſcribit, melius interim quam Philargyrius. Omnino, inquam, in iſtis caute agendum, ne Menandro aut Philemoni affingamus orationem, quali uſus fuit coquus ille Stratonis Comici apud Athenæum p. 382, qui eum, a quo conductus fuerat, hominem vulgari linguæ adſvetum, obtuderat ὁμηρικῶς loquendo, nec intellectus fuerat, niſi conſulto ad ſingula Philetæ Gloſſario: aut quali utitur Lexiphanes Luciani, quem homo feſtiviſſimus Medico commendat, ut deinceps ſanam fundat orationem.

Hæc de iſtis. Reſtant alia quædam pauca. P. 13 lin. 20 placet Philargyrio σποδιεῖν in iſtis οὐ σείειν ἀλλὰ σποδιεῖν, licet prius verbum ſit præſentis temporis, poſterius futuri; nobis minime, uti & Phileleuthero. Non recte in iſtis p. 16 -- πάντ᾽ ἐστὶ τῷ καλῷ λόγῳ ἱερὸν -- putat, πάντ᾽ eſſe pro παντί·

 nec

nec recte, ſi pro πάντα ſit, hoc exponit per κατὰ πάντα· minus etiam recte Phileleutherus p. 13 ſolœciſmum eſſe dicit in πάντα ἐςὶν ἱερόν. Oratio eſt planiſſima, & nihil vel ſubaudiendum vel mutandum, ſi hæc Ariſtophanis eſt plana: ἅπανθ' ὑμῖν τυραννίς ἐςι, in Veſpis verſu 486. Pro iſtis

Οὕτως ἀσυλλόγιςον ἡ τύχη ποιεῖ
Τὸ συμφέρον τί ποτ' ἐςὶν ἀνθρώπȣ βίῳ.

quæ Philargyrius p. 56 non ſatis *nitida & emaculata* putat, Phileleutherumque *hic ſilentem* vellicat, ipſe hæc affert:

Πάντ' ὡς ἀσυλλόγιςον ἡ τύχη ποιεῖ!
Τὸ συμφέρον τί ποτ' ἐςὶν ἀνθρώπȣ βίῳ;

quæ utique, ſi Clericus ita edidiſſet aut alius ante Clericum, merito intelligentioribus non ſatis viderentur nitida & emaculata: adeoque emendare conarentur; rectiſſime autem emendarent, qui ea ita exhiberent, ut Clericus exhibuit. Adjungam hic alium etiam locum ex p. 146, quem itidem rectiſſime a Clerico editum & intellectum, ipſe corrigendo corrupit, quia non intellexit. Clericus ita p. 370:

Εἴποι τις ἡμῶν εἰς τὸν ἀγρὸν ἐξιὼν
Μνήματα παρελθὼν καὶ τάφȣς ἀνθρωπίνȣς·
Τȣ́των ἕκαςος ἔλεγεν, εἰς ὥρας ἐγὼ
Πλεύσω, φυτεύσω, τεῖχον ἄρας κτήσομαι.

Philargyrius autem:

Εἴ ποί τις ἡμῶν εἰς τὸν ἀγρὸν ἐξιὼν
Μνήματα παρελθὼν καὶ τάφȣς ἀνθρωπίνȣς,
Τȣ́των ἕκαςος ἔπεσεν, εἰς ὥρας ἐγὼ
Πλεύσω &c.

quæ utinam interpretatus fuiſſet, ut ſciremus, num εἴποι τις i. e. *Dicat quis*, ſcribi voluerit, ut Clericus: an vero data opera εἴ ποί τις i. e. *Sicubi quis* ſcripſerit? Quod ſi ita ſcripſit; in iſtis nihil omnino ineſt ſani: ſed ſi vel εἴποι τις voluit ſcribi, nec ita intellexit; cur enim mutavit ἔλεγεν in ἔπεσεν; Nam illa utique clara ſunt: *Inter monumenta hominum ſepultorum ambulans, dicat quis: Horum quiſque*, qui hic conditi ſunt, *dixit* aliquando: *Ego in ſequentem annum navigabo, plantabo* &c.

Digitized by Google

bo &c. Sed mors prævenit; ita nunc nos: ſed quis ſcit &c. P. 87 ad iſta:

Μὴ πάντοθεν κέρδαινε αἰσχύνε δέ μοι
Τὸ μὴ δικαίως εὐτυχεῖν -

annotat: *Elegantius Autor Anonymus* (ita Phileleutherum vocat) *κέρδαιν' ἐπαισχύνε· pro μοὶ, malim σοὶ quod ipſa ſententia, mi fallor, efflagitat.* Imo vero ſententia & oratio, ſi ſana eſſe debet, illud σοὶ reſpuit potius; μοὶ autem recte ibi ponitur. P. 91 Num. 88 & poſtea Num. 111 γενομένες & γενόμενες defendit contra Phileleutherum, qui πενομένες & πενόμενος ſcribebat; ego Phileleutherum ibi audio, & credo alii. P. 127 lin. 23 Solœciſmum committit: ἔτι με ταῦτα προσετίθην ἀκηκοώς· hæc oratio ſana eſſe non poteſt, niſi vel manente με, ſcribatur ἀκηκοέναι aut ἀκηκοότα· vel manente ἀκηκοὼς omittatur με, aut in ejus locum ſubſtituatur ἐγώ. P. 128 in hoc loco:

Ὡς ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κ' οὐρανῷ
Λέξαι μολόντι τὸν ὄψον ὡς ἐσκεύασα

legi jubet μολόντα pro μολόντι. Id certe nunquam feciſſet, ſi ſciviſſet, unde mutuatus hæc ſit Philemon: apud Euripidem in Medea verſu 57 verba ſunt Nutricis:

Ὥσθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κ' οὐρανῷ
Λέξαι μολούσῃ δεῦρο Μηδείας τύχας.

Ut hic eſt Dativus, ita & apud Philemonem maneat Dativus μολόντι.

His itaque paucis oſtendere voluimus, quid nobis de Philargyrii Emendationibus videatur. Quod ſi liberius id factum putabit, quod vix ſperamus; quæſo ne iniquiore id animo ferat, quam judicium Cl. Clerici de iisdem, quem ipſe ſtrenue defendit, & *cui plus eſſe judicii quam vel decem Phileleutheris a Lipſia* dicit p. 93. Clericus in Præfatione p. 5 poſtquam *gratias egiſſet Eruditiſſimo Philargyrio* pro navata opera, hæc ſubjungit: *Sed quemadmodum Philargyrio licuit, licetque per me, quod ſentiret, dicere: mihi quoque diſſentiendi jus incolume eſſe volo. Interdum mihi videtur plus æquo Phileleuthero concedere, interdum conjecturis aliquanto plus tribuere, quam neceſſe erat, in laceris fragmentis; quæ multo ſatius eſt talia re-*

linquere, qualia ſunt in Grammaticis aliisque, quam refingere incertis hariolationibus velle. Unum adhuc addam, quod ad hiſtoriam Comicam pertinet, p. 108 de loco quodam Menandri agens: *Sine dubio*, inquit, *ſunt verba Chori.* Sciant autem, qui neſciunt, nullum fuiſſe Chorum in Nova Comœdia.

De Clariſs. Salvinii Adnotatis, quæ, ut ipſius verbis utamur ex p. 172, *ruri, legens pulcherrimam Menandri & Philemonis Fragmentorum Editionem a doctiſſimo Viro & bono literarum nato, Joanne Clerico adornatam, tribus circiter diebus adnotavit menſe Octobri anno* 1710, pauciora dicemus; nam omnia non vacabat excutere. Rectiſſime p. 155 in fine, cum Grotius arridere ſibi dixiſſet ἀεὶ τȣτον διατέλει τιμᾶν, & ſimul modeſte eum reprehendit, ubi *pace* inquit *Grotii, Viri magni, hoc Græcum non eſt. Græcum eſſet* διατέλει τιμῶν. Idem Grotius horum verſuum

Ὁ δεύτερ@ πλȣ̃ς ἐςι δήπȣ λεγόμεν@
Ἂν ἀποτύχῃ τις πρῶτον ἐν τοῖς κώπαισι πλεῖν

poſteriorem infelici omnino ſucceſſu ſic refinxerat:

Ἂν νηὸς ἀποτύχῃ τις ἐν κώπαισι πλεῖν

quo nomine etiam merito a doctiſſimo Philargyrio reprehenditur; qui felicius quidem, ſed nondum omnino bene ita legit:

Ἂν ἀποτύχῃ τις πρώτȣ, ἐν κώπαισι πλεῖν

& Scaligerum ſequi recuſat, qui acutius quidem quam Grotius, ſed etiam fruſtra conjecerat:

Ἂν ἀποτύχῃ τις πνεύματος κώπαισι πλεῖν.

Poſt tantorum Virorum irritos conatus, ſolus Salvinius optime vidit nihil mutandum eſſe p. 158, ut ſit:

Ἂν ἀποτύχῃ τις πρῶτον, ἐν κώπαισι πλεῖν.

Scilicet πρῶτον ſumitur adverbialiter; quod ſi animadvertiſſet Philargyrius, non ſcripſiſſet πρώτȣ ἐν cum hiatu adeo deformi. Nos etſi Salvinii lectionem probemus, libentius tamen ſcriberemus: Ἂν ἀποτύχῃς τὸ πρῶτον -- P. 160 pro μάτην, quod Heſychius exponit ἀληθῶς, conjicit acute plane ut Phileleutherus, apud illum ſcribendum eſſe μὰ τὴν id eſt Δήμητρα, ut ipſe ait. Adducit quidem ibi oportune Cl. Clericus, qui ſubinde quædam haut contemnenda monet ad Salvinii Annotata,

Annotata, Scholiaſten Sophoclis ad Ajacem verſu 641 (vel 645) μάτην interpretantem etiam ἀψευδῶς non minus ac ματαίως. Sed bonus ille Scholiaſtes videtur confundere μὰ τὴν & μάτην. Alia non pauca inveniet eruditus Lector in his Annotatis, quæ ei facile probabuntur. Nunc quædam afferemus, in quibus aliquid deſideramus; ne minus videamur revereri Philargyrium, ſi non eadem libertate hic etiam utamur. P. 152 μεταστρεφὶς ſcribitur & ἀναστρεφεὶς pro μεταστραφεὶς & ἀναστραφεὶς. Sed hoc incertum an errore Salvinii. Certius eſt, cum p. 153 ſcribit pro -- τῆδ' ἔκτεινε *ut verſus conſtet* -- τῆδ' ἔκτεινον, atqui ab ἐκτείνω futurum quidem eſt ἐκτενῶ, ſed Aor. I rurſus ἐξέτεινα, & in Imperativo ἔκτεινον. P. 155 ad iſtud Menandri: βουβὼν ἐπήρθη τῷ γέροντι annotat ex Ovidio: *Et tumidum cornu durius inguen erat.* Nihil tale erat cogitandum; ita ibi accipitur βουβὼν ut apud Ælianum Epiſtola 2, qui Menandrum imitatur: ἐπέκοψε τὸ σκέλος πάνυ χρηστῶς· καὶ θέρμη ἐπέλαβεν αὐτοῦ, καὶ βουβὼν ἐπήρθη. P. 160 Ἥκει λιπὼν Αἰγαῖον ἁλμυρὸν βάθος, putat parodiam eſſe ab Hecubæ Euripidis Prologo, cum ſit ipſiſſimus primus verſus in Troadibus Euripidis. Hæc ſat erit de iſtis dixiſſe.

Præfatio Cl. Clerici ſatis eſt longa, & per tres omnino plagulas diffunditur, in qua copioſe ad quædam reſpondet Phileleuthero; cujus verum nomen adhuc reticet, quamvis compertum habeat, quis ſit. Ad Præfationem Cl. Burmanni, quem Gitonem vocat, ex vi vocum, & ad Petronium alludens, ex profeſſo non reſpondet; tantum data occaſione quandoque aliqua attingit.

EPICTETI MANUALE ET SENTENTIÆ. Quibus accedunt Tabula Cebetis, & alia affinis argumenti, in linguam Latinam converſa a MARCO MEIBOMIO. Subjiciuntur ejusdem Notæ, Emendationes CLAUDII SALMASII in Epictetum, Notæ illorum & alius viri docti in Diſſertationes EPICTETI ab ARRIANO digeſtas, & varians Scriptura Codicum manu exaratorum, cura HADRIANI RELANDI.

Traject.

Trajecti Batavorum, ex Officina Guilielmi Brœdelet, 1711, 4. Alph. 2 pl. 18.

SAepe quidem Epictetus & Cebes ſunt editi, & conjunctim & ſeorſim; ſed hæc Editio eſt accurata, & a mendis typographicis pura, literis elegantibus & majoribus impreſſa. Quæ autem hic acceſſere, ſunt Prodici Hercules ex Xenophonte, ſat noti argumenti: & Epiſtola una ex iis, quæ ſub Hippocratis nomine feruntur, in qua refert, ut ab Abderitanis publice accerſitus ad Democritum venerit, ab inſania eum curaturus, qua cives, ipſi male ſani, laborare illum putabant: offenderitque eum non pro inſano Philoſophiæ operam dantem; ſed qui etiam de immodico illo riſu rogatus, cauſam non vanam, vanitatem hominum & actionum hnmanarum graviter ediſſerere valuerit. Hæc pari cura & elegantia ſunt impreſſa; niſi quod in Epiſtola ſub initium vitioſe, incertum vitione typothetæ an exemplaris quo utebatur, hæc habentur: *νῆα ἢν πρόσθεν μεῖα τῦ ἀλίυ ἐπίσημον καὶ ὑγιῆ·* quæ recte ſic leguntur: *νῆα ἢ πρόσθες μετὰ τῦ ἀλίυ ἐπίσημον καὶ ὑγιείην* in Editione Aldina Epiſtolarum Græcanicarum, in aliis etiam ſæpe hic diſcrepante.

Præfationem his omnibus præmiſit Cl. Relandus, in qua Editionis hujus rationem exponit: illam nempe a Clariſs. Meibomio affectam & tantum non ad finem perductam fuiſſe, ſic ut oppido pauca in ipſo contextu exaranda typis ſupereſſent; ſe igitur licet in aliis tunc occuparetur, præſtantia & utilitate operis adductum fuiſſe, ut reliqua pertexeret. Notas Meibomii diffuſas diſſipataſque, ut ait, per varios librorum margines & ſchediaſmata, in certum ordinem redegit. Hoc omnino obſervandum eſt illis, qui calumniandi & aliqua in iſtis reprehendendi occaſiones ſibi dari putabunt, ſi qua non ſatis cohærere videantur, ſi loca parum ad rem quandoque facientia citentur, ſi emendationes non neceſſariæ occurrant, ſi in contextu quædam aliter legantur ac in aliis Editionibus, nec de ea re quicquam moneatur; nam multa in his, ſi ultimam Meibomii manum experta fuiſſent, ſine dubio mutata, addita, detracta forent.

Digitized by

forent. Ipſe Cl. Relandus in Præfatione ad Notas hæc ſcribit: *Inter hæc inveniri forſitan nonnulla, quæ Cl. Meibomius prælo & luci publicæ ipſe haud quaquam deſtinavit, non nego*, &c. idem de quibusdam etiam Salmaſianis ſentit, ut ex Præfatione tertia, quæ illis præmiſſa eſt, apparet. Quamobrem neceſſarium duxit Vir Clariſs. ut ſe ipſum etiam contra calumniatores muniret, iisque obviam iret, ſi ex ipſius ſilentio aſſenſum ad omnia colligerent, adeoque ἀναίσθητον ipſum judicarent: quod modeſte omnino, ut decet ſtudia humanitatis tractantem, ſimulque docte facit in prima illa Præfatione. *Neſcio equidem*, inquit, *an in errorum numerum referre omnia illa audeam, in quibus ego cum his viris diſſentio, quum forſitan ipſe errem; nec tamen aſſenſum meum impetrant, niſi rationes, quibus in contraria impellor, pondere deſtitui intelligam. Speciminis loco illud ſit, quod in Notis ad Arrianum* Lib II c. 8 *legitur, ſemper ſcribendum* χρηστικὴ φαντασίαις *pro* χρηστικὴ φαντασιῶν. Deinde licet prius non damnet, poſterius tamen confirmat adductis locis ex Arriano & Ariſtotele non paucis. Mox: *Ejuscemodi quoque*, inquit, *illud eſt, quod* εὖ πράττειν *in notiſſimo Antiſthenis dicto* βασιλικὸν πράττειν μὲν εὖ, κακῶς δ' ἀκούειν *videam Latine reddi: Regium eſt bene valere, male autem erudire: & notari* πράσσειν κακῶς *aliud eſſe quam* ποιεῖν κακῶς· deinde egregie oſtendit Platonem quidem & Ariſtotelem alicubi diſtinguere inter ποιεῖν & πράσσειν. Sed apud eundem Platonem alibi εὖ πράττειν eſſe *bene agere* ſive recte facere, ut in illo Antiſthenis dicto: quam in rem etiam Xenophontis locum citat, ubi itidem ſic uſurpatur; etſi ſæpe alias, ut in fronte literarum, εὐτυχεῖν notet. Sed iſta quidem incertum an retractaturus Meibomius fuiſſet, cum ſerio id egiſſe ibi videatur. Uti & illud, cum in Obſervationibus ad Epictetum p. 10 lin. 8 pro μέμνησο ἐπιλέγειν· ὅτι χύτραν στέργεις ſcribit μέμνησο ἐπιλέγειν· ὅτι χύτραν στέργω, idque magno conatu adſtruit; cum tamen utrumque recte dicatur, non minus ac Latine recte dicimus: *putato vel dicito te amare: & putato vel dicito: Ego amo.* Alia præterimus; ne, quam virtutem in Cl. Relando laudamus, illius rationem parum habuiſſe videamur. Afferemus autem unum alterumve exemplum,

unde clare patebit, omiſſurum illum quædam fuiſſe, ſi ipſi licuiſſet hæc elaborare. P. 22 lin. 16 hæc leguntur: *non puto occurrere facile χαιρήσεις· Saltem ſcribendum eſſet χαρήσῃ· Arrianus 146, 29, συγχαρήσεταί σοι ὅτι ἐσώθης·* deinde ſtatim ſubjicitur exemplum aliud non a χαρήσομαι ſed a χαιρήσω, de quo tamen dubitabat, ex Theognide, nec præterea quicquam monetur. Nempe hæc diverſis temporibus annotaverat, primo de χαιρήσειν dubitans, deinde oblato Theognidis loco ſtatim vidit vanam fuiſſe illam dubitationem, & annotationem non neceſſariam: occurrit autem ſæpiſſime non minus χαιρήσω ac χαρήσομαι· en exemplum ejusdem modi & perſonæ ex Pluto Ariſtophanis verſ. 64 Οὔτοι μὰ τὴν Δήμητρα χαιρήσεις ἔτι. Sic p. 19 lin. 25 παραχωρεῖν ἁπάντων, *neſcio*, inquit, *an probe*. Hoc ſine ulteriori examine vix publicaſſet ipſe, cum facillimum ei eſſet vel Lexica conſulere, quibus inſpectis non amplius dubitaſſet de conſtructione verbi παραχωρεῖν cum genitivo. Uti & de οὔπω, quod p. 9 lin. 28 exponit per *unquam*, cum ſemper *nondum* ſignificet, uti & οὐδέπω, cui tamen illud præfert. Hæc pro Meibomio dicta ſunto, ne quis temere manes ejus turbet.

Ceterum in prima hac Præfatione nec non in aliis duabus ſuo loco inſertis plenius docet Cl. Relandus de iis, quæ titulus libri pollicetur. Addita autem eſt, cujus nulla in titulo mentio fit, aut vix inde colligi poteſt, Acceſſio ad Emendationes Meibomianas, in diſſertationes Epicteteas Arriani, cum Præfatione itidem Cl. Relandi. Nos de iis, quæ in Arriani Diſſertationes annotantur, nihil hic dicemus, quia non erat ad manus Editio, cujus paginæ ibi notantur; de Salmaſii autem Emendationibus in Epictetum pauca quædam ſpeciminis loco afferemus: ſimulque annotabimus ex quibusdam Editionibus, quas inſpiciendi copia erat, ubi illæ conveniant, vel non: partim cum exemplari quo uſus eſt Salmaſius, partim cum ejus Emendationibus; quas plerumque Meibomium ſecutum eſſe in conſtituendo contextu apparet. P. 4 verſ. 7 τηλικούτων hic editum, ut Salmaſius emendabat, pro τηλικούτου, quod exemplar, in quo annotabat, habuiſſe videtur, & habet Editio Trincavelli Veneta anni 1535. Τηλικούτων autem eſt in Editione Mer. Caſauboni, & in

in Paraphraſi ab eodem primum edita, nec non in Editione Blancardi. Ibidem ἐ δεῖ ἐδὲ μετρίως Emendatio eſt Salmaſii, cum qua convenit Ed. Trincavelli, pro ἐ δεῖ μετρίως quod eſt in Edd. Caſaub. Blanc. nec non in Paraphraſi. Omnino autem recte totus locus conſtitutus ſic videtur: τηλικέτων ἐν ἐφιέμενος, μέμνησο ὅτι ἐ δεῖ ἐδὲ μετρίως κεκινημένον ἅπτεσθαι αὐτῶν· ἀλλὰ τὰ μὲν ἀφιέναι παντελῶς· τὰ δὲ ὑπερτίθεσθαι id eſt, ſi repetenda ex antecedentibus repetas: *Tanta igitur expetens* bona, ut nempe in eo ſis ſtatu, in quo nemo te quidquam cogat, nemo impediat, neminem incuſes &c. *memento, non oportere nec mediocriter incitatum attingere ea*, quæ non ſunt noſtri arbitrii; *ſed ea partim omittere, partim differre.* hic emergit ſenſus ex Salmaſii Emendatione, quam Meibomius in contextum quidem recepit, in verſione autem non ſequitur. Proxime ibi ſequentia: καὶ προηγεμένως σεαυτῷ ἐπιμελεῖσθαι ſunt a Salmaſio, & habentur in Paraphraſi; in nulla autem Editione, quas contulimus. P. 6 verſ. 6 ἐμπεσεῖν etiam eſt Salmaſii Emendatio, & exſtat in Paraphr. pro περιπεσεῖν, quod in aliis eſt Edd. P. 4 verſ. 13 ὑπόμνησεν, ubi Salmaſius ὑπόμνησο, quem merito ibi non eſt ſecutus Meibomius. Eſt autem ὑπόμνησον in Ed. Trincavelli; in aliis autem & in Paraphr. ὑπομνήσκε. Ibid. verſ. 17. ἐνσειομένες a Salmaſio, pro quo Trincav. ἐγκρεομενὲς, Caſaub. autem & Blanc. ἐκκρεομενὲς. P. 8 in fine: ἐὰν ἐπιλέγῃς εὐθὺς, ὅτι cum Salmaſio & Paraphr. pro ἐὰν ἐπιλέγῃς ὅτι εὐθύς, quod in aliis eſt Edd. P. 10 verſ. 1 κατὰ φύσιν ἐχεσαν τηρῆσαι cum Salmaſio, Caſaub. Blanc. & Paraphraſi; in Ed. autem Trincav. deeſt τηρῆσαι. Ibidem: ἐ διαμαρτήσεις, a Salmaſio, Edd. id non habent. Ibid. verſ. 13 ἐκεῖνο τὸ δεινόν ἐστιν ex Salm. quod tamen habet Editio etiam Caſauboni. Sed hæc ſufficiant de iſtis.

Variantes lectiones, quas Titulus præ ſe fert, duæ ſunt Collationes Enchiridii cum MSS. In quarum priore recte diſtinguitur locus, qui laborabat a diſtinctione mala, etiam in hac ipſa Meibomii Editione p. 38 verſ. 17 αἰσχύνη; τέτε ἕνεκα, ἑκάςε &c. ſic autem diſtinguitur in Collatione: αἰσχύνη τέτε ἕνεκα; ἑκάςε &c. ubi recte Viro docto, *hæc videtur eſſe*, ut ait, *optima lectio.*

Primus hoc vidit Mericus Caſaubonus. Eſt & Collatio Tabulæ Cebetis, in qua ſub initium ſtatim recte ποτ' habetur pro πόθεν· ut locus ille ita legatur: ὃς οὐκ ἠδυνάμεθα συμβαλεῖν τίνες καὶ ποτ' ἦσαν i. e. *quos non poteramus conjicere, quinam tandem etiam eſſent*. reddidimus ad verbum, licet illud *etiam* & *tandem* nonnihil oneret ſententiam. Apud Græcos autem καὶ non raro ſic per pleonaſmum ponitur; Syneſius Epiſtola VI χρὴ δὲ ἥκειν αὐτὸν, ἵνα εἰδῶμεν ὅ, τι καὶ λέγει. Demoſthenes Exordiorum XXXIIX πρῶτον μὲν ἔλεσθε ὅ, τι καὶ ποιήσετε. Etiam ποτὲ & quidem ſæpiſſime ſic abundat; ſtatim apud Cebetem p. 4 verſ. 3 τί ποτε αὕτη ἡ μυθολογία δύναιτο & ibid. verſ. 17 τί ποτέ ἐστιν ὁ μῦθος. Simul in eadem oratione ποτὲ & καὶ ita occurrere, exemplo ſit locus ille Cebetis recuperata priſtina integritate: & iſte Demoſthenis contra Timocratem, qui adhuc gaudet ſua integritate: θαυμάζω δὲ αὐτοῦ τί ποτε καὶ τολμήσει λέγειν.

Præter iſta in hac Editione ad calcem libri acceſſit *Index omnium vocum, quæ leguntur in Manuali & Sententiis Epicteti*: & in capite libri *Index Editionum Manualis Epicteti, cui inſertæ Editiones Commentarii Simplicii in Epictetum, diſſertationum Epictetearum Arriani, & tabulæ Cebetis*. Non comparet autem ibi Editio Epicteti & Cebetis, quam vidiſſe meminimus Coronæ in Tranſylvania impreſſam in octuplici forma, curante Joanne Hontero Coronenſi, Viro doctiſſimo, tempore Reformationis Lutheranæ.

APPARATUS FUNEBRIS, QUEM JOSEPHI I, glorioſiſſ. memoriæ Romanorum Imperatoris, ſolennibus exequiis & ſupremi diei celebritati in Sacra Auguſtinianorum Baſilica aulica menſe Junio Anni MDCCXI rite peragendis fieri juſſit Auguſtiſſima Imperatrix Vidua Regens.

Viennæ, typis Johannis van Ghelen, 1711, f.
Plag. 13 & tab. æn. 1.

Cum

Digitized by Google

CUm urgentibus nuper fatis ceſſiſſet Invictiſſimus Imperator JOSEPHUS, in medio victoriarum curſu rebus mortalibus ereptus, ingens trepidatio Imperium, & quotquot communi cauſæ favent, occupabat. Acerbior in publico luctu privatus regnorum populorumque Auſtriacorum erat dolor, lugentium Principem, qui liberata Italia, aſſerta Hiſpania, reſtitutoque Belgio foris clarus, partam tot triumphis gloriam domi auxerat clementia. Et quis exprimeret Vindebonæ, quis Aulæ lamentiones? Sed tanto major animi in ſereniſſima MAGDALENA THERESIA ELEONORA magnitudo eluxit. Quamvis enim præter lugendi cauſas, quas cum aliis habet communes, Matrem inſuper ſe ſentiret, ſubjicere tamen humeros curarum publicarum moli ſexu major ſuo ſuſtinuit, ut immenſam Patriæ jacturam quodammodo ſolaretur. Nec immemor cultus Sacris Manibus debiti, funus iis magnificentia tanto Principe digna inſtruxit. Monimenti funebris pompam, cujus hic elegantem exhibemus deſcriptionem, Latino pariter & Germanico idiomate exaratam, in paginam hanc contrahere vetat ejus amplitudo, & iſtarum rerum indoles, quæ oculis jucundius quam lectione hauriuntur. Quicquid enim ars docuit Ill. Dominum Joh. Bernardum Fiſchers ab Erlach, S. C. M. primum ædificiorum Inſpectorem, id in unum hoc opus congeſſit. Cujus ingenio quantum tribuendum ſit, cum munus, quod in tanta aula gerit, declarat, tum confirmabit grande opus, quo exhibebit varios Architecturæ modos, Syris, Perſis, Græcis, Romanis, &c. uſitatos, prouti aut veſtigia illorum in ruderibus, aut delineationes in numis & apud hiſtoricos itinerumque ſcriptores ſuperſunt. Addet etiam Architecturæ Gothicæ, Mauricæ, ac ſi quæ aliis a nobis remotiſſimis Gentibus in uſu eſt, ſpecimina, una cum delineationibus ædificiorum, quæ propriis ejus auſpiciis condita ſunt. Deſcriptionem Gallico & Germanico idiomate concinnabit Vir Cl. Carolus Guſtavus Hereus S. C. M. Antiquarius, cui & Apparatus hujus funebris explicatio, & inſcriptionum emblematumque inventarum laus debetur. Ille ut hoc labore optime de Architectis merebitur, ita literatos ſibi admodum devin-

 ciet,

Digitized by Google

ciet, ſi, quemadmodum promiſit dudum, & ſupellectilem antiquariam, qua aula Vindebonenſis pollet, & inſignem numorum rariorum apparatum, recentiorem hiſtoriam præclare adjuvantem, cui conquirendo ultra XVI annos, ſuſceptis etiam per florentiſſima Europæ Regna itineribus, ſtuduit, in lucem edat.

METODO BREVISSIMO ET ASSOLUTO PER ſcrivere occulto in tutte le lingue &c.

h. e.

METHODUS BREVISSIMA ET ABSOLUtiſſima in omni lingua occulte ſcribendi; Autore JOANNE SESTRI.

Romæ, apud Bernabo, 1711, 4.

Conſtat plag. $2\frac{1}{2}$.

CRyptographia cum in negotiis civilibus ac militaribus maxime arduis aliisque innumeris caſibus utilitatem maximam habeat; in ea excolenda a multo tempore non infimam operam collocarunt complures, ac inter eos Viri ingenio ac prudentia præſtantes. Quamobrem mirum non eſt, quod tantus proſtet paſſim apud Autores artificiorum cryptographicorum numerus. Noſter certe affirmat, ſibi ultra tredecim mille modos occulte ſcribendi innotuiſſe. In tanto tamen inventorum numero poſteritati adhuc aliquid relictum eſſe, vel ea, quam Autor publico impertitur, methodus loquitur. Duo Vir ingenioſus ad artem ſteganographicam requirit, nempe 1 ut methodus ſit univerſalis, nequaquam linguæ tantum unius legibus adſtricta, 2 ut ſecretum calamo commiſſum expiſcari nequeat, niſi is cui ſcribitur. Neque inficiabimur, quod methodus ab ipſo propoſita his duobus requiſitis ſatisfaciat; noſtro tamen judicio cryptographia plura requirit, antequam perfecta dici poſſit. Ut alia taceamus, quæ minoris momenti videri poterant, quam maxime neceſſarium judicamus, ne ulla ſecreti latentis ſuſpicio ſubſit, ſi literæ a nobis exaratæ in alienas manus caſu incidant. Ad hunc ſcopum tendunt atramenta ſympathetica & eundem magna ex parte conſecuti ſunt *Kircherus* in cryptographia Grammato-Arithmetica & Illuſtriſſimus Comes a *Gronsfeld* in ſua praxi criptographica apud *Schot-*

Schottum part. 4 Mag. Univerſ. Nat. & Artis p. 40 & 69, quorum methodi inter præſtantiores merito referuntur: ſed tale quid non obtinetur per methodum *Seſtrianam*. Tota hæc redit ad literarum metatheſin, qua in eodem negotio jam olim uſus eſt *Trithemius*, Abbas primum *Sponheimenſis*, poſtea *Herbipolenſis*, primus qui de ſteganographia data opera ſcripſit.

Quamobrem hujus exemplo tabulam conſtruit Autor, per quam alphabetum vario ordine diſponitur.

A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	A
b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b
c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c
d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d
e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e
f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f
g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g
h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h
i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i
k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k
l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l
m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m
n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n
o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o
p	q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p
q	r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q
r	s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r
s	t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s
t	u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t
u	x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u
x	y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x
y	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y
z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z
A	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u	x	y	z	A

Uſus

Uſus tabulæ talis eſt, ſi occulte ſcribere volueris hæc verba, *in carcerem conjicieris*, aut aliam quamcunque ſententiam, vel integram epiſtolam; neceſſe eſt, ut cum altero, cui ſecretum manifeſtare volueris, in vocem aliquam ſive articulatam, ſive minus articulatam conſentias, qua clavis inſtar uterque utatur, alter quidem ad ſcribendum, alter vero ad legendum. Sit talis vox *bariba* aut quæcunque alia. Subſcribatur ea ſub formula occulte ſcribenda toties quoties fieri poteſt, & ea lege, qua hic a latere factum vides.

i n c a r c e r e m c o n j i c i e r i s
b a r i b a b a r i b a b a r i b a b a r

Quo facto, quære in ſuprema ſerie horizontali literam *i* & infrà eam in ſerie verticali deſcende, donec occurrat prima litera clavis *b*, eidem utrinque in ejusdem ſeriei horizontalis extremis reſpondet prima litera cryptographica *r*. Quodſi eadem ratione literas cryptographicas reliquas quæſiveris, prodibit tandem ſcriptura occulta *rmpiiyxb nxzlnqigruiqz*. Hanc ſi interpretari volueris, ſubſcribe, ut ante, clavem toties quoties fieri poteſt, & aſſumta prima litera cryptographica *r* in ſerie dextima vel ſiniſtima (quod perinde eſt) verticali quære in ſerie horizontali ipſi reſpondente primam clavis literam *b*: huic in imo ejusdem ſeriei verticalis reſpondebit prima ſententiæ occulte ſcriptæ litera *i*. Et ita porro. Hæc methodus id ſingulare habet, quod in eadem ſcriptione una eademque litera ſteganographica diverſas alias repræſentet.

Neu und alte Geographie von gantz Teutſchland.

i. e.

GEOGRAPHIA ANTIQUA ET NOVA TOTIUS GERMANIÆ in X Circulos diviſæ, cura & opera M. JOHANNIS SAMUELIS Trommsdorff / *Min. Eccleſ. ad D. Adreæ Erfurti.*

Francof. & Lipſ, apud Hier. Phil. Ritſchel, 1711, 8.

Alph. 2 pl. 18.

ETſi Germaniæ Geographiam plures illuſtraverint, quos inter Martinus Zeilerus immortale nomen meruit, optime tamen de illa meruit Cl. Trommsdorffius, qui Geographiam hanc Latino idiomate conſcriptam, quam manu exaratam in Bibliotheca Soceri ſui M. Jo. VVilhelmi Andreæ invenit, Germanice tranſtulit & rerum nuper geſtarum commemoratione paſſim auxit. Plurimos hic memoratos videas vicos atque pagos, qui in tabulis Geographicis, iis etiam, quas ſpecialiſſimas vocant, fruſtra quæſiveris. Præterea appoſita ſunt ubique Latina nomina e probatiſſimis Autoribus depromta, & ſub finem cujusque capitis familiarum nobilium, quæ in quavis regione eminent, ſubnectitur catalogus, cunctaque obſervatis curioſis ex antiquitate aut hiſtoria naturali illuſtrantur.

* * *

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Septembris, Anno M DCC XI.

OBSERVATIONES MATHEMATICÆ ET Phyſicæ in India & China factæ a Patre FRANCISCO NOEL, Societatis Jeſu, ab anno 1684 usque ad annum 1708.

Pragæ, apud Joachimum Joan. Kamenicky, 1710, 4.
Plag. 14, Tab. æn. 1.

Cum in ſcientia naturali aliisque diſciplinis Phyſico-Mathematicis certitudo cognitionis ab obſervationibus ac experimentis pendeat, nec quicquam valeant ſpeculationes in muſæo peractæ, niſi ex iſtis originem trahant; magni ſemper fecerunt docti & intelligentes exiſtimatores illorum labores, qui in obſervationibus ac experimentis induſtriam exercuerunt. Quamobrem nulli dubitamus, quin Obſervationes Mathematicæ ac Phyſicæ admodum Rev. P. *Franciſci Noel* gratiſſimæ ſint futuræ rerum mathematicarum ac naturalium curioſis, cum jure de iis dixeris: eſſe libellum mole parvum, ſed utilitate revera magnum. Tendit nimirum ad perfectionem Geographiæ, Aſtronomiæ, Chronologiæ, Politicæ & Phyſicæ.

Mappæ ac libri Geographorum non modo in longitudinibus locorum Chinæ & Indiæ mirum quantum inter ſe diſcrepant, ſed etiam ita a vero aberrant, ut, dum navigantes ſe longiſſimo adhuc intervallo ab aliquo terræ tractu removeri arbitrantur, jam prope illum tangant: immo non ita pridem celebris quidam Geographus totam Indiam ultra trecentas leucas plus, quam revera eſt, ab Europa removit. Latitudines eorundem locorum dimidium & amplius gradum erroris ſubinde

tem rectas inventurus ope trianguli filaris ſuper linea meridiana extenſi ſtellarum per Meridianum tranſitum & horologio, de quo itidem ſupra, differentiam temporis menſus eſt, quod inter tranſitum Sirii & Antares, ſtellarum notæ aſcenſionis rectæ, & inter tranſitum ſtellarum reliquarum per meridianum interceſſit. Hinc enatus eſt catalogus, in quo 352 ſtellarum auſtralium aſcenſio recta, declinatio & magnitudo ad annum Chriſti completum 1687 annotatur, & ex catalogo conſtructa mappa, quam ex ipſarum ſtellarum aſpectu cœlo ſatis conformem expertus eſt Autor, ideo a nobis hic repræſentatam.

TAB. V. Hæc quidem materiam capiti quarto præbent: in quinto varia ad Aſtronomiam Sinicam ſpectantia explicat, cyclos puta, annos, menſes, dies, horas, conſtellationes, ſigna *cœleſtia* & omnium ſtellarum nomina Sinica, una cum menſuris & ponderibus Sinicis. Major cyclus ſeu periodus eſt *ye, yuen*, id eſt, revolutio una ad primum principium, annorum 129600, duodecim conjunctiones unius ſigni cœleſtis cum altero (quarum quælibet annorum 10800) continens. Alia periodus eſt 60 annorum, quam Imperator *Hoam Ti* ordinavit ex combinatione geminæ ſeriei literarum, nempe unius ſeriei, quæ duodecim habet literas, & alterius, quæ decem, ita ut poſt 60 annos combinatio ad easdem literas redeat. Prima ſeries *Kan*, quaſi truncus dicta ſequentes complectitur literas, *Kia, ye, pim, tim, vu, ki, kem ſin, gin, quey:* alterius vero, quæ *Chi* quaſi rami dicitur, hæ ſunt: *tſu, cheu, yn, mao, xin, ſu, ou, vi, xin, yeu, ſio, hay.* Primus ergo annus cycli vocatur *kia tſu*, ſecundus *ye cheu*, tertius *pim yn* &c. Juxta hunc cyclum annos ſuos numerant Sinenſes. Sunt autem anni Sinici lunares nunc 12 nunc 13 menſibus conſtantes. Ex his duo primi ſunt communes, tertius emboliſmicus, quartus communis, quintus emboliſmicus &c. ita ut intra 19 annos ſeptem ſint emboliſmici. Anni initium nunc ducitur a primo die lunationis, quæ incidit poſt primum gradum aquarii motu lunæ vero, quamvis pro diverſis ritibus ac ſolemnibus ceremoniis retineatur etiam initium anni a ſolſtitio hyberno. Menſes ſunt lunares, & primo excepto, qui *chim yue*, id eſt, menſis ſancitus vocatur, proprio nomine

Digitized by Google

Digitized by Google

nomine deſtituuntur. Dies numerantur, ut menſes, & a media nocte, uti apud nos, incipiunt. Unus dies nonniſi duodecim habet horas, quæ literis cycli ſexagenarii duodecim ſuperius recenſitis veluti nominibus propriis inſigniuntur. e. gr. prima dicitur *tſu*, ſecunda *cheu* &c. Quælibet hora in initium, medium & finem diſtinguitur & harum partium unaquæque in quatuor quadrantes ſubdividitur. Zodiacum longe majoris latitudinis, quam Europæi, faciunt & in 28 conſtellationes magnitudine ac numero ſtellarum inæquales dividunt. Signa cœleſtia duodecim numerant & nominibus *tſu*, *cheu*, *yn* &c. ſuperius in medium allatis efferunt, addita tamen voce *kum*. Ita primum noſtro Aquario reſpondens vocatur *tſu kum*, alterum *cheu kum*, tertium *yn kum* &c. In catalogo fixarum Sinenſi ſtellæ multæ comparent, quæ nunc non amplius conſpicuæ ſunt: eſt enim antiquiſſima ipſorum Aſtronomia, a quatuor millenariis exculta. Unde colligitur, illas ſtellas e numero temporariarum eſſe. Impoſuerunt autem conſtellationibus ſuis varia fictitia virginis, bovis, lupi, ſalicis, putei, domus, cordis, labii, caudæ &c. nomina & præcipue totam ſuam Chinam cœlo invexerunt. Circa polum arcticum effingunt curiam Sinicam cum ſuis principibus, miniſtris atque tribunalibus, in reliquo cœlo omnes Sinenſis regni provincias cum ſuis limitibus, fluviis, montibus, atque ita aliquæ ſtellæ appellantur Imperator, filius Imperatoris, gratioſus miniſter, Imperatoris aula, aulæ præfectus &c.

De menſuris & ponderibus Sinicis capite 7 agit. Cubito utuntur Sinenſes duplici. Alius eſt *ſartorum*, alius *fabrorum*. Cubitum ſartorum in urbe *Nankinenſi* reperit continere pedem regium *Pariſinum* cum uno ejus digito & una uncia ſeu $\frac{1}{12}$ ejusdem digiti; in urbe *Hoayngan* eundem pedem cum uno digito; in aliis paulo aliter. Exiguam ſcilicet differentiam opificum manus induxiſſe videtur. Cubitus fabrorum brevior eſt quam cubitus ſartorum 7 unciis *Pariſinis*. Cubitus antiquus moderno brevior quarta ſui parte. Nimirum modernus 12 digitos continet; antiquus ſub imperiali familia *Cheu* nonniſi octo. Cubiti ſex conficiunt *paſſum Geometricum* & 225 paſſus

unum *ſtadium modernum*; ſtadia 12 adæquant 3000 circiter paſſus *Romanos* ſeu leucam horariam. Ordinaria libra Sinica *Kin* dicta continet 16 *Leam* ſeu uncias, una *Leam* decem *Cien* ſeu Julios *Romanos*, 1 *Cien* = 10 *Fuen* ſeu aſſibus, 1 *Fuen* = 10 *Li* ſeu quadrantibus, 1 *Li* = 10 *Hao* ſeu denariis, 1 *Hao* = 10 *Su*, 1 *Su* = 10 *Ho*, 1 *Ho* = 10 *Uy*, 1 *Uy* = 10 *Sien* ſeu filis. Una uncia *Romana* ſeu $\frac{1}{12}$ unius libræ *Romanæ* continet 7 *Cien* & 6 *Fuen*. Nummus Romanus *Piaſtra* appendit 8 *Cien*, 5 *Fuen*, 2 *Li*. Utuntur *Sinæ* argento fuſo loco monetæ, quod pro quotidiano uſu in fruſtula ſecant. Tributum regium ſoluturi argentum dant purum; reliquo aliquid cupri admiſcent, e. gr. 100 partibus argenti 4 aut 5 partes cupri, immo pro quotidiano uſu cum 100 partibus argenti 10 vel 15 partes cupri admiſcent. Auri nullus uſus in commerciis, ſed ipſum merx eſt. Maxima menſura aridorum dicitur *xe* & quoad pondus 120 libras continet. Diviſiones quod attinet, notat Autor eſſe 1 *Xe* = 10 *Teu*, 1 *Teu* = 10 *Xim*, 1 *Xim* = 10 *Ho*, 1 *Ho* = 10 *Cho*, 1 *Cho* = 10 *chao*, 1 *chao* 10 *chua*, 1 *chua* = 10 *Quey*, 1 *Quey* = 10 *So*. En ſpecimen prudentiæ *Sinarum* pondera & menſuras in ratione decupla ſubdividentium: quo ipſo computus ab omnibus reductionum difficultatibus liberatur.

Ex plurimis de acus magneticæ declinatione ac inclinatione obſervationibus cap. 8 varia utilia elicit. Differentiam annuam declinationis $9' 30''$ ſeu $10'$ circiter colligit. E. gr. ſi hoc anno acus declinet in ortum $1° 0' 0''$, ſequenti declinabit $1° 9' 30''$, ſuppoſito quod declinatio creſcat. Notat tamen, acum aliquando, vel diuturnitate temporis vel aeris intemperie attritam, hanc legem non amplius ſervare, oſtendit quoque, tam declinationi, quam inclinationi competere curſum regularem, eumque pro anno 1706 deſcribit a portu *Ulyſſiponenſi* usque ad *Indias*. Scilicet a portu *Ulyſſiponenſi* usque ad meridianum inſulæ *Palmæ* vel *Ferri* paulo occidentalioris in latitudine boreali grad. 14 noroeſtatio (ſeu declinatio in occidentem) acus ſemper it paulatim decreſcendo, donec circa hujus inſulæ meridianum & prædictam latitudinem fixa ſit & recta ad ſeptentrionem ſe vertat. Ab hoc loco euado verſus occidentem ſive

Bra-

Digitized by Google

Braſiliam incipit ſenſim creſcere nordeſtatio ſeu declinatio ad orientem. A *Braſiliæ* autem littore eundo verſus promontorium *bonæ ſpei* nordeſtatio primum decreſcit, ita ut in diſtantia 360 circiter leucarum a *Capite bonæ ſpei* denuo fixa ſit acus. Poſtea iter continuando verſus prædictum promontorium noroeſtatio usque ad meridianum capitis auſtralioris inſulæ *Madagaſcar* creſcit, in quo noroeſtatio nunc reperitur grad. 26. Ab hujus inſulæ meridiano navigando verſus ortum incipit paulatim decreſcere noroeſtatio, donec circa fretum *de la Sonde* & littus auſtralius *Javæ* & inſulam *Timor* rurſum ſit fixa acus & hinc eundo ulterius inter ortum & boream incipit nordeſtatio. A freto autem *de la Sonde* navigando verſus inſulam *Ceilam* & urbem *Goa* rurſus incipit paulatim ſemper creſcere noroeſtatio. Hinc manifeſtum, primum declinationis magneticæ meridianum ſive lineam illam, ſub qua fixa eſt acus, non eſſe alicui meridiano mundi parallelam, adeoque polum magnetis non eſſe eundem cum polo mundi; nec primum meridianum eſſe fixum, ſed mobilem modo ab ortu in occaſum, modo ab occaſu in ortum procedere, quaſi per modum librationis lunæ. Curſum inclinationis prolixitatem evitaturi huc non tranſcribimus. Notamus tamen, quod, dum cuſpis borea ab horizonte recedit & ad horizontem accedit, celeriori & majori differentia iſtum receſſum & acceſſum mutet, quam dum ad Zenith prope accedit & ab eo recedit, quod acus circa gradum 6 latitudinis auſtralis & circa meridianum 356 vel 357 (primo ſc. per inſulam *Palma* ducto) acus fuerit horizontalis, idem circa gradum 12 latitudinis borealis & meridianum 95, nec non circa gradum 14 latitudinis borealis & meridianum 129 vel 130.

Caput denique nonum miſcellaneas obſervationes exhibet de Cometis, de ſecundo Solis crepuſculo, de iride verticali & de apparentiis quibusdam Planetarum. Scilicet A. 1695 menſe Novembri *Macai* Cometam ſine capite obſervavit Autor, cujus color ſubalbidus inſtar fumi illuminati erat. Sub initium apparitionis motus hujus caudæ cometicæ fuit velocior; poſtea tardior. Occupavit autem cauda 40 gradus cœli. Similem obſervavit in inſula *Java* A. 1702 circa 24 Februarii.

Secun-

Secundum crepuſculum, quod appellat, antiquo prius aſſurgens per modum grandis caudæ cometæ circa horizontem latioris, ſed verſus Zenith ſenſim ſenſimque ut lumine, ita latitudine decreſcentis & quaſi in cuſpidem grandiuſculam deſinentis. Per viam eclipticæ ſemper ſe diffundit & ideo juxta varium ſphæræ mundanæ ſitum modo ad 40, modo ad 60, modo ad 70 &c. gradus ultra horizontem aſſurgit. Mane & veſpere per totum annum ſemper conſpicitur, modo cœlum ſerenum & illune. Irides verticales, quas vidit Autor ſunt eædem cum coronis ſolaribus, quarum theoriam optime tradit *Hugenius* in poſthumis. A. 1694 d. 20. Jan. in urbe *Nan Chan* teleſcopio $13\frac{1}{2}$ pedum Jovem ovalem cum 2 ſuis faſciis & 1697 circa initium Januarii teleſcopio 40 pedum in venere gibboſa lineam obſervavit transverſam inſtar fiſſuræ lucidiſſimæ radios utrinque evibrantis. A. 1690 vero d. 10 Nov. P. de Fontenay *Cantone* Mercurium in Sole obſervavit. Tempus ingreſſus non annotavit Obſervator. Egreſſus autem Mercurii ex diſco Solis contigit H. 3. 17′ 58″.

ELEMENTA PHYSICES METHODO MAthematica demonſtrata, quibus accedunt Diſſertationes duæ: prior de cauſa ſoliditatis corporum; poſterior de cauſa reſiſtentiæ fluidorum. Autore WYERO GULIELMO MUYS, Med. D. in illuſtri Friſiorum Academia Matheſ. Prof. Ord. & Reg. Scient. Societ. quæ Berolini eſt, Membro.

Amſtelodami, apud Janſſonio-Wæsbergios, 1711, 4.
Alph. 5 plag. 13.

Poſtquam Virorum perſpicaciſſimorum ſtudio atque induſtria monſtra ſcholaſtica ex Phyſica profligata, vera philoſophandi methodus in eam introducta, experimentis & obſervationibus opera non proletaria impenſa, Matheſis denique ad ſolutionem quæſtionum naturalium in ſubſidium vocata; ea quoque ſcientiæ naturalis incrementa fuerunt, quæ anteceſſorum molimina longo poſt ſe tramite relinquunt. Principia vero

vero ac primas notiones rerum naturalium hactenus non ſatis evolverunt Philoſophi. Quamvis enim paſſim in Eruditorum Diariis fertilia admodum ſemina ſparſerit ſagaciſſimus *Leibnitius*, læta tamen, in quam excreſcere valent, ſeges nondum effloreſcit, cultura conveniente hactenus negata. Monuit quoque idem *Leibnitius* in Actis A. 1694 p. 110, utile fore ad philoſophandum, ut philoſophia prima emendetur, & notiones terminorum mente abſtractorum, quibus carere non poſſumus, ſufficienter explicentur, & axiomata univerſalia, hoc eſt, æternæ illæ veritates, quas cum *Valeriano Magno* non incongrue *Lucem mentium* dixeris, in apricum producantur. Nullum igitur eſt dubium, quin in primas notiones ac principia rerum naturalium explicanda admodum utiliter opera conferatur. Laudandus adeo eſt conatus Cl. *Muyſii*, qui ad hoc argumentum enodandum animum appulit, & ea fini Elementa Phyſices orbi erudito impertivit. Monendus autem eſt Lector, quod Autor doctiſſimus meditationes ſuas promiſcue omnes nequaquam demonſtrationes venditet, utut titulus operis tale quid inſinuare videatur. Cum enim hic imprimeretur, animus ipſi erat (quod in Præfatione fatetur) ſcientiam motus methodo Mathematica in opere ſuo tradere & diſcurſus quosdam præliminares introductionis loco præmittere, qui cum in tantum excreverint, conſilium mutare coactus, leges motus alteri Elementorum ſuorum Parti reſervavit. Sed agedum videamus, quomodo Cl. Autor inſtitutum ſuum exequatur.

Præmiſſa definitione Phyſices, quod ſit ſcientia corporum hujus univerſi, explicans illorum naturam, differentias & effectus, terminos varios ontologicos explicat, quorum in Phyſica eſt uſus. Definit nempe *attributum* per id, quod rei alicui tribui poteſt. Hoc tam lato ſenſu alii *prædicatum* appellare malunt, ita ut *attributum* ſit prædicatum quoddam primarium. *Proprietas* ipſi eſt, quicquid rei proprium. *Eſſentia* ſeu *natura* rei eſt id, quo poſito res ponitur & quo ſublato tollitur. *Attributum eſſentiale* eſt, quo res carere nequit: *accidentale*, ſine quo eſſe poteſt: *Subſtantia* eſt illa proprietas, qua res independenter ab alia re creata ſubſiſtit. Aliis ipſæ res ſubſtantiæ

 dicun-

dicuntur, & ſecundum hanc definitionem ſolæ *Monades*, quales ab Illuſtri *Leibnitio* explicantur, ſunt ſubſtantiæ: corpora enim a vicinorum actione reſiſtentiaque pendent. *Modus* ſeu *Accidens* eſt proprietas, qua res aliqua ratione ſuæ ſubſiſtentiæ ab alia re creata pendet. *Relatio* eſt proprietas, quam res in reſpectu ad aliam, non in ſe ſpectata habet. *Poſitiva* contra *proprietas* eſt, quæ rei in ſe ſpectatæ ineſt. *Facultas*, *poteſtas*, *vis*, *virtus* eſt potentia effectum aliquem edendi. Alii tamen facultatem a vi diſtingvunt, quod illam ſola ſequitur actionis poſſibilitas proxima; hanc vero, ſi nihil impediat, ipſa actio. *Qualitas* eſt proprietas, a qua ita res determinatur, ut effectum aliquem producere valeat. *Cauſa* eſt id, quo fit, ut aliquid ſit; *effectus* vero, cujus exiſtentia a re aliqua facta eſt: *multitudo finita* eſt, quæ a nobis determinabilis; *infinita*, quæ quovis numero quantumlibet multiplicato major: *magnitudo finita* eſt, quæ a nobis determinabilis; *infinita*, quæ quavis determinabili major; *infinite parva*, quæ quavis determinabili minor. Sed an revera dentur magnitudines infinitæ & numeri infiniti, dubitatur; idemque eſt de infinite parvis: etſi ſemper majores & minores dentur. Ex his notionibus quædam axiomata & poſtulata Geometrarum more elicit. Hæc argumentum diſcurſus præliminaris conſtituunt: opus ipſum de generali corporis natura ejusque attributis tractat, figura ſcilicet, magnitudine, numero, contiguitate & diſtantia, ſitu, loco, exiſtentia, duratione, quandoquitate, motu & quiete, extenſionis & memoratorum attributorum accidentalium a cauſis ſuis dependentia eorundemque differentiis. Ita autem in his verſatur, ut ſingulorum notiones evolvat, ab objectionibus vindicet, variaque de iis ediſſerat, inprimis eorum cum extenſione nexum oſtendat. Naturam enim generalem corporum in ſola extenſione conſiſtere, cum *Carteſio* & ejus ſequacibus operoſe adſtruit, hoc potiſſimum argumento uſus, quod rejectis omnibus attributis, quæ corporibus omnibus communia non ſunt, ſola extenſio relinquatur. Non tamen deſunt, qui reſiſtentiam non minus, quam extenſionem corporibus omnibus eſſe communem volunt. Hic vero Autor contra Anglos nonnullos probare conatur, gravi-

gravitatem non eſſe primitivam qualitatem, quia corpus grave, filo diſſecto, quo ſuſpenditur, deſcendit, cum tamen vi axiomatis, quod omne corpus in eodem ſtatu permaneat, niſi a cauſis externis mutetur, in quiete permanere debeat. Per idem axioma obſtare arbitratur, quod corpus grave oblique projectum non juxta eandem directionem & eadem celeritate pergat. Quamvis vero & impenetrabilitati atque quantitati inter attributa eſſentialia locum concedat; ad eſſentiam tamen corporum ea non pertinere concludit, quia nonniſi in re extenſa concipiuntur, adeoque hujus attributa exiſtunt. Sed reſpondebunt alii, extenſionem concipi etiam in ipſo loco immobili: præterea non tam reſiſtentiam ſeu antitypiam in extenſione, quam extenſionem in reſiſtentia concipi, quia extenſio nihil aliud eſt, quam ipſa continuatio alicujus rei ſimultanea, ſeu diffuſio per locum, id autem, cujus fit continuatio ſeu diffuſio, eſt reſiſtentia. Itaque extenſio eſt notio quodammodo relativa, aliam præſupponens, ejus ſcilicet, quod extenditur. Extenſionem ſubſtantiam eſſe probare tentat, quia a nulla alia re creata ratione ſuæ ſubſiſtentiæ dependet, hoc eſt, quoniam ipſi convenit definitio ſubſtantiæ ſuperius tradita. Sed de eo quidam dubitant, quia id, cujus eſt extenſio, nempe reſiſtens ſeu corpus, ab aliis pendet. Plures tribus dimenſiones corporis eſſe non poſſe demonſtrat, quod ex Geometria conſtat, nonniſi tres lineas ad ſe invicem perpendiculares eſſe poſſe *Longitudinem* definit per diſtantiam inter duo extrema corporis puncta, recta illis interjecta determinandam. Sed alii diſtantiam dicunt eſſe minimam viam ſeu longitudinem inter duo, & ſecundum eos diſtantia potius longitudinem præſupponit. *Latitudo* ipſi eſt diſtantia inter duas oppoſitas corporis lineas per rectas iis interjectas, ad illam pro longitudinis determinatione aſſumptam perpendiculares & ad ſe mutuo parallelas determinanda. *Altitudo* denique ſeu *profunditas* eſt diſtantia inter duas oppoſitas corporis ſuperficies per rectas illis interjectas ad illas pro longitudinis & latitudinis determinatione aſſumptas perpendiculares earumque parallelas determinanda. Enimvero cum viri docti bene multi non

Digitized by Google

pauca contra hypotheſin *Carteſianam*, quam defendit Autor, objecerint; ad ea quoque prolixe reſpondet, objectionibus ex *Gaſſendi*, *Mori*, *Bernierii*, *Cordemoji*, *Newtoni*, *Lockii*, *Clerici*, *Rhapſonii* & *Keilii* ſcriptis magno numero congeſtis. In his continentur præter alia disquiſitiones de vacuo, quod Angli quidam demonſtraſſe ſibi videntur. Contra prætenſam *Keilii* demonſtrationem (de qua alibi dictum eſt in his Actis) urget, quod gratis aſſumat, fluidum æthereum in poris corporum contentum una cum illis moveri. Ad argumentum, quod exemplo *Lucretii* a differentia gravitatis ſpecificæ corporum terreſtrium deſumitur, notat, fallere id, dum ex quibusdam experimentis infertur, gravitatem non pendere a differentia formarum. Utut enim non pendeat a differentia talium corporum, qualia aſſumuntur in experimentis; pendere tamen ait a differentiis aliarum formarum, qualis e. gr. inter ætherem & corpora gravia intercedit. Præterea gratis aſſumi nec probari, quod omnis materia ſit gravis. Extenſum magnitudinis finitæ non modo ſecundum unamquamque dimenſionem in infinitum, ſed in infinities infinitum, immo in infinities infinities infinitum, & ſic porro ſine fine diviſibile eſſe, oſtendit argumentis ex Geometria præſertim recentiore petitis. Videtur enim quantitates infinite parvas, ſeu infiniteſimas pro veris entibus habere: quod tamen *Leibnitius* & *Newtonus* admittere non videntur. Eadem ratione augmentabilitatem extenſi non modo in infinitum, ſed in infinities infinitum ſine fine admittit. Prius hoc modo probat: Ex elementis conſtat, eſſe $\frac{F}{\infty}: F = F : \infty F$. Quare cum prior relatio ſit poſſibilis, nec poſterior contradictionem implicat. Sed alii nec prioris relationis poſſibilitatem admittent, niſi in imaginariis. Argumentatur item hunc in modum: Extenſum quodvis finitum continet partes numero infinitas. (Sed alii non admittunt id continere partes numero infinitas inter ſe æquales, adeoque non admittunt partes infinite parvas:) Ponatur quælibet earum ita adaugeri, donec finita evadat. Aggregatum partium ſic adauctarum erit infinitum. Poſterius conſtare credit, ſi infiniteſimam ſecundi, tertii aut cujusque ſuperioris gradus eo usque ad-

Digitized by Google

adaugeri concipiamus, donec finita evadat. In his aſſumitur, quod alii negant, dari aliquod infinite parvum: licet enim materia actu diviſa ponatur ſine fine, nunquam tamen ideo ad partes infinite parvas aut etiam ad ultimas perveniri dicent, uti in Arithmetica fractiones ſemper poſſunt minui, etſi ſemper maneant finitæ. Itaque eodem modo negabuntur infinite magna, quæ totum aliquod conſtituant. Ex diviſibilitate & augmentabilitate materiæ in infinitum varia corollaria infert, veluti: ſingula extenſa infinite magna & infinite parva, quamvis illorum magnitudo a nobis menſurari nequeat, re ipſa tamen magnitudinem habere poſſe determinatam: inter aſſumta duo extenſa, quorum alterum eſt magnitudinis finitæ, alterum infinitæ, ſive infinite magnæ, ſive infinite parvæ, revera dari poſſe rationem determinatam, licet a nobis determinari nequeat, quoniam ſcilicet ambo ſint quantitates homogeneæ, adeoque per definitionem *Euclideam* rationis capaces: neque extenſum infinite parvum, neque infinite magnum terminis carere. Hæc ex diviſione corporis in infinitum conſequi alii negabunt. Reſpondet quoque ad argumenta, quæ *Bernierius*, *Clericus*, *Cordemojus* aliique contra diviſibilitatem materiæ in infinitum protulerunt, & quæ contra augmentabilitatem ejusdem proferri poſſunt: ubi ſimul contra *VVallisium* diſputat, quod infiniteſimam non quantum dixerit, in eo ſcilicet magnitudinis genere, cujus intuitu infinite parva exiſtit, propterea quod quantitate non deſtituitur, utpote in infinities infinitum adhuc diviſibilis. Sed *VVallisius* etiam infinite parva aut infinite magna haud admittere videtur in quantitatibus & numeris. Modus corporum ſeu attributa accidentalia in tria genera diſtinguit. Alia enim pluribus uno ſenſibus, alia nonniſi uno ſenſu, alia nullo ſenſu immediate percipi ait, ſed ex mutationibus ſenſibilibus cognoſci. Ad primam claſſem ea refert, quæ ſuperius recenſuimus, & de iis potiſſimum agit. *Figura* ipſi eſt determinatio linearum ſuperficiem & ſuperficierum corpus ipſum terminantium, exprimens 1 datam ſingularum in ſe ſpectatarum poſituram, 2 datum illarum numerum, 3 datam illarum ad ſe invicem magnitudinis rationem, 4 datam

 illarum

Digitized by Google

illarum ad ſe invicem poſitionem ſeu datos,quos continent, angulos, 5 datum, quo lineæ datæ inter ſe junguntur, ordinem. Hinc carpit definitionem *Euclidis*, quod figura ſit, quæ ſub aliquo vel aliquibus terminis continetur, cum ipſius judicio etiam lineæ competat. Et licet *Clavius* jam reſponderit ad hanc objectionem, quod ſcilicet puncta lineam non ambiant ac proinde non comprehendant; hanc tamen interpretationem non approbat. Addit eandem definitionem convenire ſpatio terminis comprehenſo, quod tamen a figura ut ſubſtantia a modo diſtinctum ſit. Immo reprehendit, quod non naturam figuræ, ſed terminorum proprietatem exprimat. Hinc factum ait, quod *Euclides* figuras ſimiles non recte definiverit; quoniam ſcilicet non monuit, angulos & lineas in utraque figura eodem ordine poni debere. Similiter *Robaltii*, *Lockii* & *Parentii* definitiones impugnat & *Bernierium* refutat, quod notionem figuræ in numerum irreſolubilium retulerit, quales ipſius judicio extenſionis, cogitationis, ſaporis, coloris, ſoni &c. exiſtunt. *Magnitudo* corporis definitur, quod ſit determinata quantitatis illius ratio ad quantitatem alterius. Sed ita quantitas ſeu magnitudo corporis jam ſupponi quibusdam videbitur. *Numerus* vero eſt iteratio entis cujuslibet, quod nempe iteratum a priore proribusve diſtinctum exiſtit: *Unitas* negatam iterationem in ente, cui tribuitur, exprimit. Unitatem adeo in abſtracto ſpectatam pro aliquo medio inter ens quantum & abſolute nihilum habet, quia in eo cum nihilo convenit, quod non ſit decrementi capax; aſt cum ente quanto in eo, quod ſit augmenti capax. Ex eodem capite numeros fractos pro veris numeris haberi poſſe negat, cum tamen ſint ad integros ut recta ad rectam. Quantitatis diviſionem in continuam & diſcretam vitioſam vocat & generandæ confuſioni aptam, cum definitio quantitatis diſcretæ non ſolum numero, ſed aliis etiam rebus conveniat, e. gr. acervo frumenti (ſcilicet cujus eſt iſta diſcreta quantitas.) *Walliſii* denique argumenta impugnat, quibus unitatem non eſſe numerum probare contendit. *Contiguitas* ex mente Autoris eſt immediatus aliquorum utriusque corporis terminorum contactus; *Diſtantia* vero negatus terminorum utriusque conta-

contactus. *Situs* eſt diſtantiarum inter ſingula terminorum corporis A & ſingula terminorum corporis B data aut certa quadam ratione aſſumta puncta determinata aliqua ad ſe invicem ratio. Conſiderat autem in ſpecie tum ſitum linearum rectarum inter ſe, tum ſitum inter lineam rectam & ſuperficiem planam, tum denique ſitum inter ſuperficies planas. *Locus* corporis eſt determinatio contiguitatis vel diſtantiæ terminorum corporis a punctis in extenſione corporum hujus univerſi datis, illud undique ſecundum ſingul[illegible] ſui dimenſiones ambientibus & in eadem mutua diſta[illegible] manentibus: ubi ex principiis Geometricis docet, quomodo locus determinetur. Monet, vulgo confundi locum cum locato, ubi ſcilicet figuram & magnitudinem locati perperam loco tribuunt & contra ea diſputat, quæ in Principiis Philoſophiæ Naturalis Mathematicis de loco docuit celeberrimus *Newtonus*. Exiſtentiæ continuationem *Durationem* vocat; ipſam vero *Exiſtentiam* notionibus irreſolubilibus annumerat. Agit hic de menſura temporis & ubi de pendulo ſermo eſt, monet, probatione admodum indigere, quod gravitas ejusdem corporis in eodem loco ſemper ſit conſtans: hactenus autem demonſtrationem nullam prolatam eſſe ait. Quæ ipſe de oſcillationibus penduli cum motu Æquatoris collatis affert, ea rem omnino conficiunt & a *Ricciolo*, quamvis alio fine, jam explorata ſunt. A duratione identitatem & diverſitatem corporum petit; modorum autem diverſitatem & identitatem a ſimilitudine. *Quandoquitas* eſt determinatio datæ entis alicujus exiſtentiæ relative ad aliam datam entis exiſtentiam, qua cum illam comparatam volumus ratione ſucceſſionis vel præcedentiæ per durationem interjectam menſurandæ vel coexiſtentiæ. Monet autem Cl. Autor, quandoquitatem, ſi unica & determinata ſit, nonniſi exiſtentiæ inſtantaneæ tribui poſſe; ſi vero durationi tribuatur, ex illis quandoquitatibus eam componi, quæ durationis terminis competunt: & huc epochas refert. *Motus* ſive loci mutatio, ſive ſucceſſiva in aliis continuo locis exiſtentia, ſive alia æquipollente ratione definiatur, unum idemque eſſe cenſet. Hinc & perinde ipſi videtur, ſive quies ejusdem loci conſervatio, ſive

ve ſucceſſiva in eodem loco exiſtentia dicatur. Motus adeo & quietis notiones diſtinctas eſſe credit, ubi loci notio diſtincte cognita, quam involvit: Unde a loci differentia motus diviſiones petit paſſim jam traditas. *Velocitas* denique eſt ipſi determinatio longitudinis lineæ, quam corpus dato tempore percurrit, ſeu magnitudo ſpatii a mobili dato tempore confecti, & ab hac alias motus diviſiones deſumit.

Vidimus hactenus, quasnam Cl. Autor notiones attributorum corporis accidentalium (quæ vocat) exhibeat & quibusnam ad eas illuſtrandas utatur. Qua ratione eorundem nexum cum extenſione corporis ſecundum trinam dimenſionem monſtret, haud difficulter aſſequi datur. Extenſum neceſſario eſſe figuratum evincit, quia extremitatibus præditum per tres rectas illis interjectas ad ſe invicem perpendiculares earumque parallelas determinate diſtantibus. Ratio pro fundamento habet vel actualem vel additione aut diminutione poſſibilem æqualitatem. Extenſa igitur dimenſionum numero inter ſe convenientia rationis capacia ſunt, adeoque magnitudine determinata gaudent. Extenſis competit unitas, competit numerus, quia tam ipſa, quam illorum partes a ſe mutuo independentes ſubſiſtunt & diviſibilia atque augmentabilia ſunt. Competit porro diſtantia & contiguitas: cum enim extenſa terminata a ſe mutuo independenter ſubſiſtant; illibata ſubſiſtent, quocunque demum intervallo eorum termini a ſe invicem removeantur. Similiter patet, extenſa terminata quolibet inſtanti determinatum aliquem locum relativum tam ad corpora particularia alia, quam ad totum ſyſtema univerſi occupare. Et quia quodlibet extenſum independenter ab alio quovis corpore ſubſiſtit; quælibet corpora cujuslibet loci capacia eſſe colligit. Quandoquitas entibus extenſis aſſeritur, quatenus ſpectantur ut conſervationis & mutationis modorum ſuorum & quidem durationibus magnitudine quantumlibet differentibus capacia: quo etiam fundamento nititur, Autoris judicio, quod durationis capacia ſint. Motum denique & quietem extenſis convenire ſtatuit, quia quolibet inſtanti determinatum aliquem locum occupant, ad omnem tamen occupandum

dum

Digitized by Google

dum indifferentia ſunt. Enimvero videamus nunc porro, quænam de illorum attributorum dependentia a cauſis ſuis & generalibus differentiis exponantur. Primo omnium loco probare nititur, extenſionem univerſi non a ſe exiſtere. Aut enim, ait, tota a ſe exiſtit, aut ſingulæ ejus partes a ſe exiſtunt. Poſterius ipſi abſurdum videtur, quia notio entis a ſe involvit neceſſitatem exiſtendi, etiamſi nullum aliud ens exiſtat, & hinc unicum exiſtere poſſibile eſt; ſi vero plura ſunt entia a ſe, unicum exiſtere impoſſibile. Prius æque abſurdum reputat: ſi enim ponatur extenſio univerſi congeries partium A & B, A exiſtet partim ab A, partim a B & contra: quod vero impoſſibile cenſet, quia exiſtentia inſtantanea eſt ſimplex & indiviſibilis effectus. Item abſurdum arbitratur, quod A & B diverſæ extenſi partes differre nequeant, cum unam eandemque exiſtentiam communem habeant. Mundum igitur ab alia cauſa dependere, quæ ſit ens unicum, autor & conſervator extenſionis, fine carens atque principio idemque omnipotens. Quodſi jam ponamus extenſionis univerſi inſtantaneam exiſtentiam, in maſſa adhuc ſimilari partium ſuperficies tanquam terminos intelligibiles aſſignari & in eadem magnitudinem, unitatem, numerum, figuram, contiguitatem & diſtantiam, ſitum denique ac locum intelligi poſſe, cum hæc attributa a terminis pendeant. (Sed ſic termini partium in pleno ubique ſimilari fictione arbitraria conſtabunt, niſi actuale diſcernens accedat, quod in momentaneo ſtatu eſt ſola *vis motrix.*) Cum autem mens hæc attributa pro lubitu concipiat, nullam veram in partibus univerſi differentiam ab iis expectandam, loco excepto, qui unicus partium in inſtantanea illius exiſtentia differentiam conſtituat, non tamen ex earum natura (limitabit aliquis hoc: niſi natura earum vim motricem a Deo inditam & determinatum ejus exercitium jam involvere ponatur) ſed ab autore univerſi unice pendeat. Hinc non repugnare naturæ partium, ut ſucceſſive alia aliaque loca occupent: quod denuo ab autore univerſi pendeat: ut adeo clarum arbitretur, motum & quietem a ſolo Deo tanquam cauſa efficiente proficiſci. (Sed dicunt aliqui, eodem modo hæc a Deo proficiſci,

Digitized by Google

ſci, ut figuras, magnitudines & alia.) Docet præterea corpus in ſe non habere cauſam motum vel quietem continuandi, quia non alia continuationis, quam ipſius motus vel quietis cauſa eſſe poteſt; concipit enim motum & quietem tanquam ens, quod in ſingulis momentis denuo reproducitur: quod admittent alii, ſi modi inter entia recenſeantur. Ex chao informi prodire mundum, motu producto, quo vel quædam univerſi partes, vel omnes loca ſua ad totum univerſi ſyſtema relativa mutent. Ita enim terminos non amplius a noſtro lubitu pendere & reliqua quoque attributa accidentalia determinari. Agnoſcit itaque cum illuſtri *Leibnitio*, diſcrimen inter partes materiæ in ſtatu inſtantaneo a vi motrice localitati ſuperaddita derivandum: ut adeo mirum ſit, quod eandem oppugnare aggreſſus ſit. Sed cum defenſio illarum virium contra Autoris objectiones epiſtolæ ad Amicum inſerta ad nos nuperrime pervenerit; excerpta inde hic ſubjicere e re viſum eſt. Diſſertationes duæ, quæ operi inſeruntur & tertiam fere ejus partem complent, merentur, ut de iis ſigillatim proxime dicamus.

DEFENSIO VIRIUM IN CORPORIbus exiſtentium contra nuperas objectiones.

DN. Muyſius in ſuis Phyſicæ Elementis negans dari vim motricem creatam, contra ea, quæ in his Actis Septemb. 1698 & Majo 1699 dicta ſunt, ita argumentatur p. 924 ſeqq.

Prima ratio (diſſentiendi) *hac eſt: Talis, qualis ſupponitur creatæ vis motricis prima exiſtentia, ab autore univerſi producta eſt. Igitur & ejusdem exiſtentiæ continuatio ſeu hujuſce vis conſervatio ab eodem unice pendet producitur que. Ergo & omnis agendi efficacia in hac vi ab autore univerſi unice pendet, & nulla proin erit in hac vi agendi efficacia* (vis & agendi efficacia ſunt unum idemque) *niſi quam autor univerſi in illa conſervat, hoc eſt* (iſtud hoc eſt non omnes admittunt, ſed hanc controverſiam hoc loco ingredi neceſſe non eſt) *continue producit.* Hactenus dicta admiſſurus videtur Vir Illuſtris, quem Dn. Autor refutat. Sed fortaſſe non æque admittet, quod ſequitur: *Et*

per

per conſequens omnis agendi efficacia ſeu omnis potentia hujus vis proprie loquendo nil eſt niſi ipſa potentia autoris univerſi, ac proin effectus hujus vis erunt effectus autoris univerſi. (1) Iſtud & *per conſequens* nullam conſequentiæ ſpeciem habet. Quali enim argumento hoc inferetur? Deus vim creaturæ conſervat, imo (ſi lubet) etiamnum producit. Ergo hæc vis, potentia, vel efficacia, eſt vis ipſius Dei. (2) Quin potius eo ipſo quia eam vim creat ſeu producit Deus, eſt vis creaturæ, non Dei; cum vis vel potentia Dei, produci nullo modo poſſit ſed ſit æterna. Ergo (3) Dn. Objector probare potius debet, nullam vim creatam a Deo produci poſſe.

Pergit: *Autor univerſi, effectus, puta motus corporum, quæ huic vi aſcribuntur, pari facilitate & majori compendio immediate producere poteſt, quam interventu talis vis a virtute divina diſtinctæ, attamen per illam ſolam operantis.* Sed reſpondetur, (4) vim creatam non operari per vim divinam, quin potius vim divinam quodammodo operari mediate ſeu per vim creatam. Reſpondetur etiam, (5) non ſequitur, quia Deus majore compendio aliquid immediate producere poſſet, ipſum etiam id immediate producturum. Pari enim argumento ſequeretur, Deum omnia immediate agere, nec naturis creaturarum uti. (6) Deus non tantum compendioſe, ſed etiam magnifice operatur, nec vult omnia ſolus agere, ſed creaturis aliquid communicare de perfectionibus ſuis, quæ potiſſimum in vi agendi conſiſtunt.

Pergitur in objiciendo: *Ergo ex ſolis effectibus ſeu motibus corporum exiſtentia talis vis nullo modo colligi poteſt, cum hæc ad hos producendos haud neceſſaria, imo ſuperflua ſit.* Reſpondetur, (7) ſi liceret omnia rejicere, ſine quibus Deus *immediate* phænomena efficere poſſet, liceret innumera rejicere, quæ tamen merito admittuntur. Exempli gratia non opus eſſet vel vorticibus, vel gravitate, vel aliis cauſis phyſicis ad explicandos motus aſtrorum. Sufficeret, Deum eos velle, & immediate producere, imo totus mundus ſpectabilis eſſet inutilis: quidni enim Deus in mentibus ſpectatorum ea phænomena immediate efficere poſſet, quæ illi mundo reſpondent, etſi ipſe non extaret? Reſpondetur etiam, (8) ſi admittatur motus

Digitized by Google

tanquam actio corporis paſſioque, neceſſario etiam admitti vim agendi & patiendi, neque enim concipi poſſe actionem niſi ut potentiæ exercitium. Itaque (9) qui neget vim agendi, negare debere actionem ipſam in corporibus, imo pari jure etiam in mentibus, & ſtatuere actionem ſolius Dei. (10) Sed verendum eſt, ne qui ſic docet incidat in doctrinam improbatam, quæ ſolum Deum habet pro ſubſtantia, creaturas autem pro modis ſeu affectionibus Dei.

Pergitur: *Aliunde autem quam ex motibus corporum exiſtentia talis vis pariter colligi non poteſt; atque adeo cum ex his colligi nequeat, ne entia ſine neceſſitate multiplicemus, exiſtentia talis vis ſupponenda non eſt.* Reſpondetur, (11) *Entia* omnino a Deo *multiplicata* ſunt *ſine neceſſitate*, neque enim neceſſarium erat, ut ullam creaturam produceret; ſed non ſunt multiplicata ſine ſumma ratione. (12) Ex motibus, ſi pro veris actionibus paſſionibusque habeantur, omnino colligitur vis, ut jam monitum eſt num. 8. Quin etiam (13) alia peculiaris ratio pro exiſtentia vis agendi allata eſt dicto loco Actorum Septemb. 1698, de qua mox n. 17.

Proceditur deinde ad *ſecundam diſſentiendi Rationem*, quæ talis affertur: *Haud majore vi aut actione voluntatis divinæ opus eſt ad corporis exiſtentiam ſucceſſive in diverſis continue locis, quam in eodem ſucceſſive loco producendam, hoc eſt, ad corpus movendum, quam ad illud in quiete conſervandum, ut ex jam oſtenſis liquet.* Hæc aſſertio non admittitur, (14) plus enim cognitionis, voluntatis & actionis requiritur ad A & B ſimul quam ad A tantum, id eſt, ubi plus eſt varietatis. Major autem eſt varietas in mutatione quam in conſervatione loci. Pergitur: *Nulla ergo videtur ratio, cur Deus motum non vero quietem interventu vis alicujus creatæ produceret.* Reſpondetur: (15) Deus revera etiam quietem in his quæ moventur, non minus quam motum in his quæ quieſcunt, ope vis creatæ producit. Et (16) quod attinet perſeverationem corporis in ſtatu, dicendum eſt corpus per *inertiam naturalem* etiam ad quietem conſervandam tendere, nec ubi ſemel quieſcit, ad motum & quietem plane indiffe-

differens eſſe: quin potius tanto magis repugnare motui novo quanto is eſt major.

Supereſt ut videamus, quomodo Cl. Autor Elementorum phyſicorum reſpondeat argumento, cujus hic meminimus num. 13. Huic ergo ſatisfacere conatur hoc modo pag. 938 ſeqq. *Notandum* (inquit) *hic eſſe cenſui argumentum, quod illuſtris Leibnitius in Actis Erud. Lipſiæ anno 1698 Menſe Septembri urget, niſi in corporibus motis vis motrix adſit, nullam inter corpora in inſtanti diſtinctionem & per conſequens nullos veros terminos, nullam veram figuram adeſſe poſſe, nobis nullatenus obſtare.* (17) Niſi, *inquit Vir Celeberrimus*, corpus quod præſente ſui motus momento ineſt in loco ſibi commenſurato præterea conatum habeat, ſeu niſum mutandi locum; ita ut ſtatus ſequens ex præſenti per ſe naturæ vi conſequatur: neceſſario corpus A, quod movetur, a corpore B (ſimili & æquali) quieſcente præſente momento nihil differet. Et conſequens erit, nullum plane diſcrimen in corporibus fore, quandoquidem in pleno uniformis per ſe maſſæ diſcrimen, niſi ab eo quod motum reſpicit, ſumi non poteſt &c. *Et porro latius oſtendit* ſucceſſivam tantum rei motæ in diverſis locis exiſtentiam *nullam corporis moti ab aliis diſtinctionem in inſtanti, niſi vis motrix adſit, producere poſſe.* (18) Extrinſeca enim, *ait*, tantum foret denominatio, qua diſtingueretur una pars materiæ ab alia, nempe a futura, quod ſcilicet inpoſterum ſit futura alio vel alio loco; inpræſentiarum vero diſcrimen eſſet nullum. Imo ne a futuro quidem cum fundamento ſumeretur, quia nunquam etiam inpoſterum, ad verum aliquod præſens diſcrimen deveniretur; cum nec locus a loco, nec materia ab alia materia (ex hypotheſi perfectæ illius uniformitatis in materia) diſtingui ulla nota queat. (19) Fruſtra etiam, *pergit*, ad figuram præter motum recurreretur. Nam in maſſa perfecte ſimilari, & indiſcriminata & plena, nulla oritur figura ſeu terminatio partium diverſarum, niſi ab ipſo motu. Quodſi ergo motus nullam diſtinguendi notam continet, nullam etiam figuræ largietur. *Etenim ingenioſiſſimo Leibnitio lubenter aſſentior (quod etiam in propoſitione præcedente oſtendi) corpora in inſtanti haud aliunde quam a vi motrice ita differre poſſe, ut inde*

inde veri termini, vera figura &c. illorum ſingulis aſſignari queant. Verum id ſolum animadverti cupio, ſive hac vis motrix ſit efficacia Entis creati ab ipſa materia ſive extenſione diſtincti, ut Vir Clariſſimus ſtatuit, ſive entis a ſe exiſtentis & ab ipſa extenſione diſtincti, qua extenſioni quolibet motus ſui inſtanti præſens eſt, & ſucceſſive in illa motum operatur; in uno caſu haud majorem fore diſtinctionem extenſionis ſeu materiæ in inſtanti ab alia per hancce vim motricem, quam in altero. Unde etiam perſpicuum eſt, vis motricis creata exiſtentiam ex hocce argumento ſtabiliri non poſſe.

Hactenus verba Elementorum, quorum laudandus eſt Autor doctiſſimus, dum agnoſcit aliquid ad diſtinctionem ſtatus momentanei præſentis & ſequentis, tollendamque perpetuam uniformitatem locorum & temporum eſſe neceſſarium præter materiam, neque diſcrimen inter materiæ partes aut corporum difformitatem in dato momento admittendam, alibi rectius quæri quam in vi motrice extenſioni ſeu localitati ſuperaddita, quod plerique recentiorum hactenus non agnovere. Sed (20) mirum eſt, quod illas vires, in quibus partium materiæ diſcrimen conſiſtit, non in corpore tanquam in ſubjecto, ſed extra illud in Deo quærit. Cum tamen (21) formale diſcrimen rerum non in extrinſeco ſed in ipſis conſiſtere debeat, itaque (22) hæc vis per loca diſperſa non eſt in ipſo Deo tanquam in ſubjecto, niſi quis Deum vertat in naturam naturatam & particulas ejus per materiam diſſeminatas fingat, quod Clariſſimo Autori tribuere iniquum fuerit. Et revera (23) qui hoc doceret, in noſtram quidem doctrinam quoad vires in corporibus exiſtentes recideret, ſed in eo peccaret, quod iis contentus non aſſurgeret ad Deum autorem & rebus ſuperiorem, ſeu naturam naturantem, ſed pro ea fictitium Deum corporibus immerſum introduceret, qui nihil aliud foret quam virium particularium aggregatum. (24) Aliud etiam argumentum pro virium in corporibus exiſtentia in ſupra citatis locis Actorum productum eſt, dum ſcilicet oſtenſum eſt omnia accidentalia ſeu tranſitoria eſſe modificationes ſubſtantialium ſeu perſiſtentium atque ita ut figuræ ſunt modificationes extenſionis, ita impetus eſſe modificationes vis cujusdam primitivæ corpori inexiſtentis.

D. SA-

D. SALOMONIS DEYLINGII OBSERVAtionum Sacrarum Pars ſecunda, cum figuris æneis & Indicibus neceſſariis.

Lipſiæ, ſumptibus heredum Frid. Lanckiſchii, 1711, 4. Alph. 2 plag. 18.

POſtquam intellexit ſumme Rev. Autor, Collega noſter honoratiſſimus, primum harum *obſervationum* Faſciculum a nobis A. 1709 Menſe Febr. recenſitum, non diſplicuiſſe eruditis, alterum earum Tomum eo lubentius adornavit, quo magis fidem de inſtituto hoc continuando publice datam ſibi liberandam eſſe cenſuit. Siſtit igitur iterum *obſervationes quinquaginta* in totidem Veteris ac Novi Inſtrumenti loca, gravis plerasque & perjucundi argumenti, in quibus conficiendis perſpicue oſtendit, quantum utilitatis ac ornamenti ab elegantiorum literarum apparatu, a veteri item Hebræorum & ſacrorum rituum hiſtoria, ad Scripturam S. recte intelligendam exſpectari queat.

Obſ. I Pantheiſmi veſtigia commemorat, quæ apud veteres & recentiores exſtant, Moſemque Pentateuchi auctorem ab eo crimine purgat. *II.* Inveſtigat originem vocis אלוהים ad Genes. I, 1, declaratque, unde factum ſit, ut ea vox plurali numero tam frequenter adhibeatur, cum non deſit ſingulare אֱלוֹהַּ? Jo. Clericum, qui frequentiorem pluralis numeri uſum a profana Cananæorum conſuetudine derivavit, refellit, evincitque contra eundem, & P. D. Huetium, linguam Hebræam non Cananæam, ſed primævam & in familia Heberi conſervatam fuiſſe. *III.* Enarrata opinionum diverſitate de animæ rationalis natura, contra Hobbeſianos ac Spinoſiſtas, imprimis autem contra Cowardum, aliosque, oſtendit, eam non eſſe *motum localem* partium humani corporis organicarum, nec meram *potentiam* ex organorum corporeorum combinatione ortam, ſed eſſe ſubſtantiam cogitantem, omnis materiæ expertem, monſtratque, opinione de mente humanis corporea univerſam religionem funditus everti, quia materia, ſub quacunque figura conſideretur, religionis, ſigillatim fidei,

fidei, ſpei, ſanctimoniæ, aliorumque actuum religioſorum nulla ratione capax eſt. Verba נשמת חיים Geneſ. II, 7 de incorporea mentis humanæ natura explicat, protritisque diſſentientium rationibus, locum *Coheleth III*, 18, ad quem Cowardus provocavit, vindicat. *IV.* De autore ſacrificiorum ad Geneſ. IV, 3 diſputat, evincitque, originem eorum humanæ inventioni atque arbitrio tribui non poſſe. *V.* Varias interpretum opiniones de perſona Melchiſedeci ad Geneſ. XIV examinat, profligatisque noviſſimis H. Hulſii & P. Juriæi conjecturis, ex Hebr. VII declarat, Melchiſedecum ἀλληγορουμένως Chriſtum ſignificaſſe. *VI.* De origine circumciſionis Judaicæ diſputans ad Geneſ. XVII, contra Marshamum negat, eam ab Ægyptiis inventam, & ab his ad Iſraelitas translatam eſſe. Ex *Jerem. IX*, 24 probat, antiquiores Ægyptios ne circumciſos quidem fuiſſe. Oſtenſa Herodoti ignorantia circa veras Judæorum origines, in cauſam inquirit, cur Græcorum plerique crediderint, primos omnium fuiſſe Ægyptios, qui circumcidendi ritum obſervarint, aliisque gentibus tradiderint? Quam a vetuſta gentium traditione, Judæos videlicet ex Ægypto egreſſos ἀπογόνους fuiſſe Ægyptiorum, ita derivat, ut commentum iſtud, a Jo. Tolando nuper ex Strabone revocatum & expolitum, ſimul refellat. *VII.* Confeſſionem Jacobi de *Angelo Redemptore* Geneſ. XLVIII, 15 Filio Dei aſſerit, & a Jo. Clerici explicatione vindicat. *VIII.* Vaticinium de ſceptro a Juda non receſſuro Geneſ. XLIX, 10 examinat, excuſſisque ſingulis vocibus ſuam proponit ſententiam atque confirmat, ac novas Jo. Clerici, Jo. Harduini, aliorumque interpretationes enervat. *IX.* Deſcripta terræ Cananææ fertilitate verba Exod. III, 8, aliaque loca, quæ de præſtantia ejus agunt, a criminationibus Jo. Tolandi defendit, & rationes ſubſecutæ infœcunditatis ex *Malach. IV, v. ult.* aliisque fontibus eruit. *X.* Hiſtoriam Exod. IV, de Moſe, ob neglectam filii circumciſionem ad necem quæſito, illuſtrat, & quo ſenſu Zippora dixerit *ſponſus ſanguinum es mihi, v. 26*, inveſtigat. *XI.* Quo ordine & ſitu *panes facierum* Exod. XXV & Levit. XXIV coram Jehova collocati fuerint, ex Hebræorum monimentis deſcribit, notatisque

tisque H. Witſii, P. Juriæi, Leydekkeri, aliorumque erroribus, in delineanda panum iſtorum effigie admiſſis, docet, panes iſtos Chriſtum ſignificaſſe, verum *panem vitæ Joh. VI, 35.* *XII.* Adſtructa ἐμπυρισμῶ antiquitate, de igne ſacro & perpetuo apud Hebræos ad illuſtranda loca Levit. VI, 13 & IX, 24 agit, variaque Judæorum commenta refellit. *XIII.* Enarrat S. Pontificis ingreſſum in Sanctum Sanctorum ad Levit. XVI, in Expiationis feſto, quem *quaternarium* fuiſſe idoneis argumentis probat. Verba vero Apoſtoli Hebr. IX, 7, ubi ἅπαξ τῶ ἐνιαυτῶ *ſemel* duntaxat *in anno* adytum ingreſſus dicitur Pontifex, de uno anni die, & de uno eodemque miniſterio expiationis, *quatuor* ingreſſibus peragendo, interpretatur. *XIV.* Locum Levit. XIX, 27, de orbiculari capitis tonſione, Arabibus aliisque gentibus uſitata, illuſtrat, notatoque Jo. Spencero angulos crinium & barbæ ex monimentis Hebræorum deſcribit atque delineat, & autores, qui illos minus intellexerunt, emendat. *XV.* Enarrata ſerpentis ænei hiſtoria ex Num. XXI, contra Marshamum probat, ſerpentem æneum a Moſe non fuiſſe erectum ad exemplum præſtigiarum Ægyptiacarum. Rationem *typi* ex Jo. III, 14 declarat, negatque contra Fr. Burmannum & C. Vitringam, ſerpentem æneum diaboli ſymbolum ac emblema fuiſſe. *XVI.* Moſis vaticinium de magno Propheta ex Iſraelitis aliquando excitando Devt. XIIX, 15 illuſtrat, & vindicat. *XVII.* De veſtimentis Iſraelitarum in deſerto non conſumtis agit ad Devt. XXIX, 5, aſſertaque miraculi magnitudine ac veritate, autores, qui prodigii fidem in dubium vocarunt, refellit. *XIIX.* Perſonati Samuelis hiſtoriam, 1 Sam. XXIIX, 7, illuſtrat, Ant. van Dalen, qui negato Cacodæmonis interventu, univerſum apparitionis negotium mulieris Endoreæ fraudibus adſcripſit, refellit, demonſtratque, præſtigias diabolicas interveniſſe. Negat Autor, vocem אוב de *ſpiritu malo* exponi poſſe, contenditque בעלת אוב *dominam* OB nihil habuiſſe commune cum τοῖς πνεῦμα Πύθωνος ἔχεσι Act. XVI, 16, niſi hoc unicum forte, quod utrique arte diabolica & mali ſpiritus afflatu tacti, vaticinati ſint. Nec credit, ancillam iſtam πνεῦμα Πύθωνος ἔχεσαν Act. XVI, 16 ἐγγαστρίμυθον, *ventrilo-*

triloquam fuiſſe, quia Græcis *ἐγγαστρίμυθοι* erant *οἱ κεκλεισμένου τοῦ στόματος φθεγγόμενοι διὰ τὸ δοκεῖν ἐκ τῆς γαστρὸς φθέγγεσθαι*, Galeno autore. At vero ancilla iſta *ſpiritum Pythonis* habens alta voce clamabat v. 17. Ex Autoris noſtri ſententia *πνεῦμα Πύθωνος ſpiritum divinatorium* notat, quia Heſychio Πύθων eſt *δαιμόνιον μαντικόν*. Exinde colligit, *ἐγγαστριμύθους* habuiſſe equidem *πνεῦμα Πύθωνος*, ſive *δαιμόνιον μαντικὸν*, contra vero non omnes *ſpiritum Pythonis* habentes fuiſſe etiam *ἐγγαστριμύθους*. Ab his multum differre ait בעלי אוב, quippe qui proprie *Necromantes* fuerint, affirmantes, ſe artem callere evocandi mortuorum manes, quos quis vellet, & poſſe ſe illos ſub viſibili forma ad colloquium ciere ac ſiſtere, mediante אוב *vaſe* quodam aqua pleno, in quo defunctorum imagines cernebantur, audita ſimul ſubobſcura evocatorum manium voce, velut e terræ cavernis prodeunte. Nam ut magi per *κατοπτρομαντείαν in ſpeculis*, & per *λεκανομαντείαν in pelvi:* ita per *γαστρομαντείαν in vaſe*, quod *γάστρη* Græcis dicitur, defunctorum imagines exhibuiſſe & divinaſſe leguntur. Cum vero *Gaſtro* reſpondeat Hebræorum Syrorumque אוב, unde Latinorum *Obba*, genus poculi, in quo *Obo*, *νεκρομαντείας* inſtrumento ſive *vaſe*, aqua limpida impleto, defunctorum imagines arte diabolica apparebant, exiſtimat, phraſi קסם באוב *vaticinari per* OB certam *νεκρομαντείας* ſpeciem indicari, & mulierem Endoream בעלת אוב appellari ab inſtrumento אוב ſive *vaſe*, quo in divinatione ex mortuis capienda ſolebat uti. *Obſ. XIX* & *XX* loca Pſ. LI, 9, Pſ LXXX, 3, ex hiſtoria Hebræa illuſtrantur. *XXI.* Diſſeritur de Chriſto a ligno regnante, occaſione Pſ. XCVI, 10, diſquiriturque, unde & qua occaſione additamentum illud *a ligno* in nonnullos veteris Eccleſiæ codices irrepſerit? quo item loco numeroque debeat cenſeri? *XXII.* Frequens Scripturæ formula *ambulare in luce*, ut Eſ. II, 5, ex vetuſto Judæorum ritu feriandi ſolemnia feſti Tabernaculorum, & lucernis Hebræorum Sabbathicis illuſtratur. *XXIII.* Ex militari veterum Hebræorum conſuetudine explicatur locus Eſ. XI, 10. *XXIV.* Locus vexatus *de ſtatutis non bonis* ſub examen vocatur, & de juſtis Dei decretis atque

judiciis

Digitized by Google

judiciis explicatur. *XXV.* Siſtuntur Judæi, ob eſum ſanguinis reprehenſi, ad Ezech. XXXIII, 25, 26. *XXVI.* Herodiadum patria, genus & religio inveſtigatur, deſtructoque Jo. Harduini ſyſtemate, vera Herodiadum genealogia traditur ex Joſepho. *XXVII.* Ad aſſerendam tentationis Chriſti hiſtoriam, Matth. IV, 1-7, probatur, tentatorem externo veroque congreſſu Servatorem adortum eſſe. *XXIIX.* Producuntur *δαιμονιζόμενοι* a Chriſto ſanati Matth. IV, 24, demonſtraturque, eos corporaliter a Satana fuiſſe obſeſſos. *XXIX.* Servatoris prædictionem de exoſo Chriſtianorum nomine Matth. X, 22, multiplici eventu ratam impletamque fuiſſe, exemplis ex hiſtoria Eccleſiaſtica petitis docetur. *XXX. Aram V. T. fuiſſe figuram crucis Chriſti*, affirmatur, quatenus videlicet Altare victimam Deo cremandam ſuſtinuit, eandemque in altum tulit. Per Altare vero *ἁγιάζον τὸ δῶρον*, Matth. XXIII, 19, non intelligit Autor *nudam* Aram, ſed Aram *σὺν πᾶσι τοῖς ἐπάνω αὐτοῦ*, *cum omnibus, quæ ſuper ea erant*, inſtructam, videlicet igne ſacro, ſacrificia ſanctificante & conſumente. *XXXI.* Solennis Chriſti invitatio ad accipiendum Spiritum S. Joh. VII, 37 ex ritu *effuſionis aquarum*, in feſto Tabernaculorum uſitato, illuſtratur. *XXXII.* Inquiritur in cauſam, cur Chriſtus dicatur *τὸ φῶς τοῦ κόσμου* Joh. VIII, 12, negaturque contra *Clericum*, Joannem, cum hæc ſcriberet, ad Platonicorum placita, aut libros Philonis reſpexiſſe, ſed locum potius Malach. IV, 2, ſive אורים S. Pontificis in V. T. aut lucernam mediam candelabri ſacri in Sanctuario ob oculos habuiſſe, veriſimili ratione docetur. *XXXIII.* Ad Joh. XIIX, 31 probatur contra Jo. Marckium, Judæos ſub ipſis Procuratoribus Romanis aliqua poteſtate gladii gaviſos, eademque adverſus religionis, & legum ſuarum violatores uſos eſſe. *XXXIV.* Ad Joh. XIX, 10. oſtenditur, P. Pilatum non tantum res fiſci procuraſſe in Judæa, ſed præterea quoque Provinciæ vice Præſidis præfuiſſe cum aliqua poteſtate & jurisdictione. *XXXV.* Jo. Harduini conjecturæ de *Synagoga Libertinorum* Act. VI, 9 refelluntur. *XXXVI.* Quo ſenſu Iſraelitæ *Tabernaculum Molochi* in deſertis portarint, Act. VII, 43, enarratur, & Amoſi locus Cap. V, 26 cum Stephani oratio-

oratione conciliatur. *XXXVII.* Aſſerta receptæ lectionis veritate Act. XIII, 18, oſtenſoque vocum τροποφορεῖν & τροφοφορεῖν diſcrimine ac uſu, declaratur, qua ratione Deus improbos Iſraelitarum mores in deſerto tolerarit? *XXXIIX.* Σεβόμενοι & φοβȣ́μενοι τὸν Θεόν, quorum frequens in Actis fit mentio Cap. XIII, 16, XVI, 14, XVII, 4 & XIIX, 7, de Proſelytis Portæ exponuntur, & antiquitas Noachicorum præceptorum, quia nugax ſequiorum Judæorum ingenium redolent, impugnatur. *XXXIX.* Agitur de πορνείᾳ communi Apoſtolorum decreto vetita Act. XV, 20, rejectisque interpretum conjecturis, & ſigillatim nova P. Juriæi expoſitione, oſtenditur, omne impuritatis venereæ genus ſub ea voce comprehendi. *XL.* Locus Act. XVII, 28, de hominum *vita*, *motu* ac *exiſtentia* in Deo, idonee explicatur & contra Hobbeſii ac Spinozæ depravationes vindicatur. *XLI.* Ex hiſtoria Hebræa lux affunditur verbis Paulinis Rom. III, 25, notatoque nonnullorum interpretum lapſu, docetur, quo ſenſu Chriſtus ἱλαςήριον ἐν τῷ ἀυτȣ̃ αἵματι propoſitus ab Apoſtolo dicatur. *XLII.* Diſſeritur *de votivo Pauli anathemate*, Rom. IX, 3, explicatoque vocum ἀναθήματος ac ἀναθέματος diſcrimine & uſu, examinatur nova R. Simonii expoſitio, qui ἀπὸ χριςȣ̃ vertit *propter Chriſtum*, oſtenditurque, Apoſtolum non alium anathematis ſtatum exoptaſſe, quam illum, ſub quo erant Judæi fratres, *h. e.* voluiſſe ſeparari non perpetuo, ſed aliquantiſper a Chriſto ſervandorum Judæorum cauſa. *XLIII.* Verba Apoſtoli, 1. Cor. III, 16, 17, de *non perdendo templo cordis* ex antiquitatibus Judaicis illuſtrantur, & quot modis ſecundum Judæorum opinionem Templum perdi cenſeretur, ex Maimonide enarratur. *XLIV.* Vexatus locus, 1 Cor. XV, 29, de Baptiſmo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν ſub examen vocatur, exploſisque recentiſſimorum interpretum, & Jo. Harduini imprimis conjecturis, particula ὑπὲρ exponitur per ἀντὶ, Græcorumque autorum uſu confirmatur. *XLV.* Cephas a Paulo reprehenſus ſiſtitur Gal. II, 9, refelliturque Jo. Harduinus, qui per Cepham non Petrum, ſed aliquem ex LXX Diſcipulis intelligendum eſſe contendit, allatisque ex antiquitate Eccleſiaſtica exemplis, & Eccleſiæ Gallicanæ

Digitized by Google

canæ conſenſu, Rom. Pontificis infallibilitas funditus evertitur. *XLVI.* Ad illuſtrandum Pauli vaticinium de ſupplicio ſibi imminente 2 Tim. IV, 6, 7, crudelitas Neronis deſcribitur, agiturque tum de Suetonii Chreſto, tum de vexationis Neronianæ amplitudine contra H. Dodwellum. Tandem verba Apoſtoli ex Latinorum Græcorumque ritibus illuſtrantur. *XLVII.* Conſiderantur res ſacræ, quas in interiori Tabernaculi Moſaici adyto fuiſſe, Apoſtolus Hebr. IX, 3, 4, 5 affirmat, monſtraturque, per χρυσοῦν θυμιατήριον, quod adytum habuiſſe dicitur v. 4, non Aram incenſi, ſed ***aureum thuribulum*** intelligi debere, in cujus *figura* inveſtiganda & deſcribenda multum curæ ſtudiique ponit. Eos erroris arguit, qui thuribulum depingunt ut calicem cum operculo, quod adnexam habet catenam, qua ſuſpenſum a Sacerdote S. ferebatur, quoniam de operculo & catena altum eſt ſilentium in Scriptura, & Talmude, unde illud potius conſtat, thuribulum formam calicis cum manubrio habuiſſe. Cumque Jo. Braunius hoc thuribulum in argenteis Hebræorum *ſiclis*, qui characteres Aſſyriacos ſeu *quadratos* habent, & *vas*, ex quo fumus adſcendit, exhibent, ſibi inveniſſe viſus ſit, Autor noſter exiſtimat, nullum numum, characteribus Hebraicis vulgo jam uſitatis, ſeu *quadratis*, ornatum, bonæ notæ aut multum vetuſtum, ſed omnes omnino ejusmodi ſiclos literis Aſſyriacis, ut vocantur, ſignatos, qui uſpiam gentium in Cæſaris, Regum, & Principum gazis oſtenduntur, ab impoſtoribus ſuppoſitos eſſe. Ut vero illa duntaxat Hebræorum numiſmata pro genuinis agnoſcit, quæ Samaritanis literis notata ſunt: ita in his aliquid exſtare ſuſpicatur, unde vera thuribuli figura colligi poſſit. Adrianus Relandus, Cl. Vir, qui quatuor ejusmodi numos, quos Amſtelodami apud Jacobum de Wilde vidit, peculiari libello A. 1702 edito & a nobis A. 1703 *Menſe Aprili* recenſito; doctiſſime interpretatus eſt, *vaſculum* illud in averſa parte viſum pro *calice*, & ſigno gratiarum actionis habuit, quod Autori noſtro ipſum χρυσοῦν θυμιατήριον, ſeu מחתה, dignitatis Pontificiæ inſigne videtur, perinde ac *palmæ* ſignum in altera numorum facie viſum non ſolum Palæſtinæ, ſed Regiæ etiam poteſtatis

 & ſu-

& ſuperioritatis territorialis ſymbolum eſſe ſuſpicatur. Utramque enim dignitatem, & Regiam, & ſacerdotalem, penes Haſſamonæos fuiſſe, a quibus hos numos cuſos eſſe certum ſit. Quemadmodum autem in numis Romanis ſigna ſacerdotii, *Aſpergillum*, *Guttus*, *Secures*, *Secespita*, *Lituus*, *Urceus*, *Patera*, & alia id genus inſtrumenta, quorum in ſacerdotii adminiſtratione uſus erat, frequenter conſpiciuntur, ita vix dubitandum eſſe exiſtimat, quin vaſculum illud in numis Hebraicis, a S. Judæorum Pontifice cuſis, Pontificiæ dignitatis inſigne ſit, videlicet *thuribulum*, quo aromata igne accenſa in adyto offerri ſolebant. Hanc conjecturam alio ſuffulcit numo, qui apud Hottingerum exſtat, ubi vaſculum, quod Cl. Relandus pro *calice* accepit, ab utroque latere exeuntem manum ſive manubrium habet, ita tamen, ut longius ſit manubrium ab uno, quam ab altero latere, quod thuribulum manifeſto indicat. Calices enim manubria non habuerunt. Thuribulum vero manubrium habuiſſe, Doctores Talmudici diſerte docent. Nec omnino abeſſe cenſet anſam iſtam in numis a Relando deſcriptis, ſi recte inſpiciantur, quamvis uſu & diuturnitate temporis adeo ſit detrita, ut obiter inſpicienti vix ullum expreſſi quondam manubrii veſtigium ſupereſſe videatur. *XLIIX.* Efficaciam precum contra Pomponatium aſſerit ex Jac. V, 16, 17, & ad probandam earum virtutem exemplum imprimis Chriſtianorum militum, qui ſub Imperatore M. Aurelio Antonino largas de cœlo pluvias ad ſitim reſtinguendam precando impetrarunt, ex veterum monimentis affert, & vindicat. *XLIX.* Disquirit, quale ſignum fuerit Ezechielis *Tav*, *quo pii ſuper iniquitatem mundi gementes notati fuerunt* Ez. IX, 4. Quis item character Apoc. VII, 3 frontibus electorum impreſſus? *L.* Deſcriptis ex Hebræorum monimentis Templi Hieroſolymitani excubiis, locus Apoc. XVI, 15 eleganter illuſtratur.

ANALYSIS ET EXEGESIS PROPHETAE Zachariæ a Cap. I usque ad VIII, a SAMUELE BOHLIO cæpta, a Cap. vero VIII usque ad finem continuata & ab-

& abſoluta a ZACHARIA GRAPIO, S. S. Theol. D. & P.P. in Academia Roſtoch.

Roſtoch. & Lipſiæ ap. Chr. Gotthold Garman, 1711, 4.
Conſtat 17 plag.

CL. Bohlius, qui olim egregiam operam in explicandis Hebræorum accentibus, & indaganda formali ſignificatione radicum navavit, varias etiam Diſputationes edidit, quibus Scripturam ſacram interpretatus eſt. Quamvis vero laudabiles ejus conatus in formali ſignificatione eruenda non omnibus Philologis ſatisfecerint, neque peculiaris ejus ſententia, quod oculus adeſſentiam Dei, brachium ejus robur, &c. ſignificet, adeoque hæc aliaque ſimilia Deo proprie competant, omni dubio careat, nihilominus ejus explicationes non contemnendæ ſunt. Inde quoque factum eſt, quod Cl. Grapius poſt Pſalmorum Paraphraſin A. 1709 Roſtochii recuſam, in cujus Præfatione omnia ejus ſcripta prolixe recenſentur, etiam Zachariæ exegeſin a B. Bohlio ad Cap. VII perductam typis excudendam curaverit. Complectitur hic libellus IX breves Diſputationes, olim in Academia Roſtoch. habitas, & ſupplementum Cl. Grapii a Cap. VIII ad finem continuatum, nec non brevem exegeſin in cap. I Jeſaiæ ab eodem Bohlio olim elaboratum. Ut vero de ejus explicandi ratione, quæ vocum formalem ſignificationem & ordinem, nec non accentuum poſitum ſequitur, evidentius conſtet, pauca ex Zachariæ explicationibus adducamus. Cap. I v. 8 *virum ſuper equo rufo equitantem*, de angelo & quidem increato interpretatur, qui ideo equo rufo inſedit, ut indicaret, ſe gentes ſanguine & gladio ulturum, & imprimis Nebucadnezari, Belthazari magnatibusque ejus frena injecturum. Vocem שרוקים a שרק vitis genere laudatiſſimo & ad rubedinem accedente derivat, & de equis ad rubedinem vergentibus, B. Luthero Braun appellatis, explicat. Equis ſubrufis Medos & Perſos notari autumat, ad quos deinde translatum eſt Regnum Babylonicum. Equos vero albos indicare Græcos, qui etiam ſecuti & ductum primi equitis imitati ſunt. Quemadmodum vero hi Reges circumiverunt terram & regna

ſua

ſua pacata fecerunt, ſic quoque ille, qui equitem primo
equo impoſuit, Hieroſolymarum ſtatum pacatum reddere
p. 33. poteſt. Eodem capite Propheta *quatuor cornua* vidit, quæ
noſtro Bohlio ſunt quatuor Reges, qui Judam diſperſerunt,
Nebucadnezar, Balthaſar, Darius Medus & Ahasverus ante
Darium ſecundum. Quatuor his cornibus *quatuor fabri* op-
ponuntur, qui cornua diſperſerunt. Horum primus ex men-
te Autoris eſt Balthaſar, qui cornu primum evellebat, cum
mortuo parente in Regem eligeretur. Secundus eſt Darius Me-
dus, qui Balthaſare occiſo regnum capiebat. Ahasverus fuit
tertius, qui ceſſante Dario & forſan per ſucceſſionem Cyri re-
gnum accepit. Darius ſecundus evulſit quartum cornu, cum
ipſi regna univerſæ terræ data ſunt. Sic fabri ſimul cornua
ſunt, quæ ſucceſſive ſe invicem evulſerunt. Neque prætermi-
ſit, quæ multis obſcura fuerunt verba Cap. II v. 12: *ſic dicit Do-
minus Zebaoth, poſt gloriam miſit me ad gentes deprædantes vos.*
Ex quo infert: miſſum eſſe Jehovam Zebaoth verum natura-
28. lem & eſſentialem Deum. *Poſt gloriam* ita explicat: poſt-
quam miſit me annuntiare vobis gloriam, de qua modo audi-
viſtis in viſionibus. Deinceps vero p. 37 verba *poſt gloriam*
conſtruit cum ſequentibus *miſit me*, ut ſenſus laxior naſcatur:
ubi gloria Dei eſt conſpicua, ibi exiſtimate me miſſum eſſe, ut
eam continuem. Cap. IV, 9 per *lapidem ſeptem oculos haben-
tem* Chriſtum intelligit, cujus ſeptem oculi ſunt ſeptem ſpiri-
tus, ſeptem dicti, quia omnia ſunt in omnibus ratione numeri
formaliter conſiderati, quamvis unus ſint ſpiritus. Cap. VI v. 1
explicat *montes æneos* de nubibus, quia Deut. XXIIX, 23 legimus:
& erunt cæli, qui ſunt ſuper capite tuo, æs. Cœlum etiam Da-
videm reſpexiſſe exiſtimat, dicentem: *elevo oculos meos ad mon-
tes* Pſ. CXXI. Imprimis vero nititur Pſ. XIIX, 8 & 2 Sam. XXII,
ubi priori loco legimus: *& fundamenta montium movebantur,*
in poſteriori vero hæc occurrunt: *& fundamenta cælorum mo-
vebantur.* Inde colligit, quod formalis ſignificatus vocis הר
ſit *congeſtum*, quod non ſolum de montibus, ſed & de fluctibus
maris & nubibus cœli dicitur. Plura non addimus, ſed potius
Cl. Grapio gratias agimus, quod non ſolum B. Bohlii labores
exegeticos colligere, ſed & quæ deerant, ſupplere voluerit.

LUDOL-

LUDOLPHI HUGONIS JURISPRUDENtia particularis Germanica & Conſultatio de abuſu Appellationum tollendo.

Helmſtadii, ſumptibus Hammianis, 1708, 8. Alph. 2 pl. 2.

ILluſtris Autor, qui, dum viveret, Sereniſſimo Electori Brunſvicenſi & Luneburgenſi a conſiliis intimis & juſtitiæ præſidio fuit, priorem tractatum A. 1661 primum edidit ſub titulo, *de Statu Regionum Germaniæ*, ſub quo & poſtea adhuc bis fuit impreſſus. Quartam hanc editionem, quæ mutato titulo comparet, curavit Vir Cl. Fridericus Auguſtus Hakmannus, in Academia Helmſtadienſi Profeſſor publicus. Ipſe tractatus capitibus ſex conſtat: in quorum primo agitur de Ordinibus Imperii Romano-Germanici, & quomodo horum autoritas ad poteſtatem ſummæ majeſtatis æmulam ſucceſſu temporis ſuccreverit, ex hiſtoriarum monimentis oſtenditur. Secundo capite in genere quædam diſſeruntur de partitione jurium inter Imperatorem & Ordines, tertio vero hæc omnia in ſpecie ſecundum univerſas ſuperioritatis territorialis partes exponuntur. Inter alia de appellatione, quæ fit ab Ordinibus ad Imperatorem, fuſe agitur, & in rationes inquiritur, ob quas in Imperio noſtro appellatio in civilibus tantum cauſis ſit permiſſa, non in criminalibus, cum tamen hæ illis longe ſint graviores, neque conſentaneum videatur, cui judicium de bonis noſtris committere nolumus, ut huic in caput ac tergum animadvertendi poteſtas relinquatur: unde & jure Romano multo laxior eſt poteſtas appellandi in criminalibus quam civilibus, uti ex *L. 6 ff. de appellat.* apparet. Probatur autem dictæ conſtitutionis æquitas duobus potiſſimum argumentis. Primum civilia judicia privatorum utilitatem ſpectare, criminalia utilitatem Reipublicæ, adeoque, ut major poteſtas circa hæc competat Rebuspublicis inferioribus, e quibus Imperium noſtrum conſtat, requiri. Deinde quemadmodum in curatione morborum in tempore venire omnium primum eſt, ſic in recidendis membris Reipublicæ noxiis ſæpe prompto ac tempeſtivo reme- p. 117.

dio opus eſſe, ne malum contagione ſerpat. Capite quarto regimen, quo Principes ditiones ſuas adminiſtrant, comparatur cum regimine Imperatoris: & Brocardicum illud, *Principem eſſe in territorio ſuo Imperatorem, & tantum poſſe in ditione ſua, quantum Imperator in univerſo Imperio*, ſano ſenſu admitti poſſe oſtenditur. Capite quinto regimen Civitatum expenditur, quod a regimine ceterorum Ordinum valde eſt diverſum, & ſententia Andreæ Knichenii, civitatibus ſuperioritatem territorialem negantis, refutatur. Nobilibus tamen immediatis ſuperioritatem tribui non poſſe, Illuſtris Autor exiſtimat. Quamvis enim omnem jurisdictionem exerceant in ſubditos, ſtatuta condant, regalia & jura Auſtregarum habeant, pacis religioſæ aliarumque conſtitutionum Imperii capaces ſint, hæc tamen omnia ab ipſis non poſſideri jure territorii, ſed ex ſpeciali privilegio, neque cujuslibet ſpatii terræ liberam ac immediatam poſſeſſionem ſufficere, ut quis ſuperioritatem habere dici poſſit, ſed tantam univerſitatem ac ditionem requiri, ut juſtæ Reipublicæ capax ſit. Ad quæ tamen argumenta ab Illuſtri Autore allata Nobiles immediati reſpondere ſolent, etiam civitatibus immediatis jura, quibus utuntur, ſpecialibus privilegiis eſſe conceſſa, & harum nonnullis longe minorem eſſe ditionem, quam multis Nobilibus. Ceterum ipſe Autor fatetur, ex eo, quod Nobiles careant jure ſuffragii in comitiis, non ſequi, eos carere jure ſuperioritatis. Diverſiſſima enim eſſe hæc jura, cum illud ad ſummam Rempublicam, hoc ad inferiorum ditionum adminiſtrationem pertineat. Ultimum caput agit de uſu & autoritate Juris civilis privati in controverſiis Ordinum. Nimirum Principes & Civitates Imperii, quamvis reſpectu illorum, qui ipſis ſunt ſubditi, publicam perſonam ſuſtineant, tamen reſpectu Imperatoris & totius Imperii privatorum loco habentur: ex quo ſequitur, ut juribus etiam privatorum utantur, & de ſuperioritate ac regalibus ſuis in judiciis Imperii per actiones civiles experiantur, id quod hoc capite multis exemplis comprobatur.

p. 143.

205.

215.

Addita eſt a Cl. Editore ejusdem Autoris *Conſultatio de abuſu appellationum tollendo & Camera Imperiali immenſo earum cumulo levanda*, cujus opuſculi A. 1662 primum editi, & poſtea adhuc

Digitized by Google

adhuc ſemel ſeparatim impreſſi, hæc tertia eſt editio, ſynopſi paragraphorum aucta. In Præfatione querela inſtituitur, quod abuſus appellationum uſu longe ſit frequentior, cum earum plures injuſtæ quam juſtæ pronuncientur. Ipſa conſultatio in duas partes diviſa eſt, quarum prior de proceſſu appellationum emendando, altera de temeritate eorum, qui frivole appellant, coercenda agit: quæ quamvis judiciis omnibus conveniant, præcipue tamen ad Cameram Imperialem ſunt accommodata. Quamvis enim Autor proceſſum primæ inſtantiæ, quo Camera utitur, adeo brevem & compendioſum eſſe ſtatuat, ut, quomodo adhuc magis contrahi poſſit, non appareat, in appellationibus tamen ipſi emendatio quædam neceſſaria videtur. Præcipuum, quod in proceſſu appellationis aboleri optat, eſt beneficium non deducta deducendi & non probata probandi, quod in *L. 4 C. de temp. appell.* eſt fundatum. Varia p. 316.
recenſet incommoda ex hoc beneficio provenientia. Injuriam fieri judici inferiori, qui male judicaſſe arguitur, cum tamen res in priore inſtantia non ſatis fuerit deducta ac probata: cauſas diſcerpi, liteſque, imprimis ſi judicia ſint longe diſſita, immortales fieri, dum unius ejuſdemque cauſæ dimidia pars in prima inſtantia, altera in ſuperiore proponitur, imo ſæpe aliquid ad tertiam & quartam reſervatur: magnam temeritati & calumniæ occaſionem dari: beneficium hoc repugnare fini appellationum, nempe ut judicis inferioris corrigatur iniquitas, quæ non ex cauſis novis, ſed ex prioribus actis eſt dijudicanda: magnum etiam onus inde ſummis Imperii judiciis afferri ſolere. Sententia itaque Autoris hæc eſt: ſi quid a judice vel frau- 370.
de vel negligentia vel imperitia peccatum fuerit, concedendam quidem merito eſſe appellationem, at ſi a partibus peccatum, ipſis culpæ ſuæ pœnam ferendam, aut ſi juſta quadam cauſa excuſentur, beneficio reſtitutionis in integrum in eadem inſtantia eſſe ſubveniendum, abolito penitus beneficio nova deducendi in inſtantia ſuperiore. Conſilium hoc con- 395.
firmatur exemplo conſtitutionum quarundam Imperii. Ita in appellatione a moderatoribus Circulorum ad conventum Deputatorum & in remedio reviſionis Cameræ Imperialis

omnis nova allegatio eſt prohibita: unde nihil obſtare Autori videtur, quo minus idem in omni provocatione ad judicem ſuperiorem locum habere poſſit. Denique ad decem objectiones, quæ contra hanc ſententiam adduci poſſent, reſpondetur: ſed nimis operoſum foret hæc omnia recenſere. In altera parte conſultationis diſputatur de temeritate appellantium coercenda. Jusjurandum calumniæ non eſſe remedium ſatis idoneum oſtenditur: advocatos enim aut eſſe rabulas famelicos aut integræ vitæ, illos ſumma levitate jurare, his ut jusjurandum injungatur, non eſſe neceſſarium. Mulcta quoque temere appellantium in Receſſu Imperii de A. 1600 conſtituta minime ſufficere videtur, cum tam ſæpe appelletur temere & vix unquam pœna temeritatis exigatur, niſi dolus manifeſtus accedat, qui tamen difficulter admodum ex Actis ſolet elucere. Quam ob cauſam illuſtris Autor conſultum futurum exiſtimat, ſi temeritas appellantium etiam eo caſu, cum non adeſt dolus manifeſtus, mulcta certa pecuniæ præter condemnationem in expenſas puniatur. In fine additus eſt Cl. Editoris Nucleus legum Germanicarum fundamentalium, quo harum ſummaria recenſentur, & breviſſima juris publici hiſtoria.

JOHANNIS HAKMANNI PRACTICA PHILoſophia, Ethica & Politica.

Helmſtadii, ſumptibus Hammianis, 1710, 8.

Plag. 21.

NOva hæc eſt editio, quam B. Autoris, olim in Acad. Rintelenſi Profeſſoris, filius Cl. Fridericus Auguſtus Hakmannus, modo nobis memoratus, denuo in lucem emiſit. Per totum librum omnia tractantur ſecundum principia Peripatetica, quæ Cl. Editor magni admodum facit, in Dedicatione affirmans, uti priſca melior non ſperanda ætas, ſic antiqua vix ſperandam præſtantiorem ſcientiam, licet ſimul fateatur, civilem Ariſtotelis doctrinam non carere erroribus noxiis. Obiter notamus, quodetſi B. Autor diſcrimen, quod eſt
p. 29. inter intellectum & voluntatem, non eſſe reale, cum ceteris Philoſo-

Philoſophis ſtatuat, alibi tamen, ubi de pugna ſermo eſt, quam peccaturi intra ſe ſentire ſolent, quæ certe realis eſt, exiſtimet, intellectum & voluntatem ea pugna inter ſe decertare: quam ſententiam ut tueatur, voluntati intellectum peculiarem tribuit, dicitque, a voluntate atque affectu formari aliquam propoſitionem rationi contrariam, intellectui vero tribuit voluntatem peculiarem, quæ bonum appetat eo tempore quo voluntas in malum fertur. Sub finem Ethicæ additum eſt breve compendium librorum Ciceronis de officiis ſub titulo *Evangelium Gentilium*. p. 183.

JO. GOTTFRIDI OLEARII BIBLIOTHECA Scriptorum Eccleſiaſticorum Tomis duobus edita, cum Præfatione JO. FRANCISCI BUDDEI, curante JO. GOTTLIEB OLEARIO, F.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielckium, 1711, 4.
Alph. 4 pl. 9.

QUi ſub *Abaci Patrologici*, Jenæ anno 1673 in 8 emiſſi, titulo hactenus eruditorum tritus & verſatus fuit manibus liber doctiſſimus & utiliſſimus, is nunc ſub alia prorſus forma & ſub *Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum* nomine, duobus tomis, & priori editione multum auctior, in variis locis accuratior etiam emendatiorve prodiit, ſed ita tamen, ut inſtituti modum limitesque non excedat. Fœtus is eſt Viri, dum viveret, maxime venerabilis *Jo. Gottfridi Olearii*, Arnſtadienſium eccleſiarum Antiſtitis & Paſtoris primarii, Conſiſtorii Aſſeſſoris, Gymnaſiique & Diœceſeon Arnſtadienſium Inſpectoris ſupremi, multisque ſcriptis aſceticis & aliis, maxime autem Scrinii antiquarii, Analectorum ad halygraphiam B. Parentis, nec non Logices Glaſſii & Commentarii Dorſchei in Eſaiam ex manuſcripto editione clariſſimi, ſed quem fata nobis haut ita pridem vitæ velut meritorumque ſaturem eripuerunt. Curam autem novæ hujus editionis, Patre adhuc vivo, in ſe ſuſcepit Filius tanti patris clariſſimus, *Jo. Gottlieb Olearius*, liberalium artium Magiſter, qui Diſſertationibus duabus de Julio Cæſare Vanino, & una

Digitized by Google

una de Petro Pomponatio, aliisque quibusdam ingenii doctrinæque ſpeciminibus jam item orbi erudito innotuit. Is Guilielmi Cavei (quem diu ſoſpitem eſſe jubeat Divinum Numen!) Hiſtoriam Literariam & Henrici Whartoni Appendicem, nec non Ludovici Eliæ du Pinii Bibliothecam novam Autorum Eccleſiaſticorum & Caſimiri Oudini ſupplementum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ac Labbei, Colomeſii, Tentzelii, aliorumque ſcripta recentiora, huc ſpectantia, diligenter conſuluit, & quæ Bibliothecæ huic locupletandæ augendæque inſervire poterant, inde breviter excerpſit, & editioni huic novæ inſeruit; ultra reformationis tamen tempora non progreſſus, ſed cum ipſa fere Lutheri morte laborem finiens. Præterea non exiguum editioni huic decus acceſſit ex Præfatione Viri per orbem literarium celeberrimi *Jo. Franciſci Buddei*, qua vitam ille B. Autoris, non ſine multo elogio, eſt complexus. Natus is eſt quippe, ut vel ejus rei ſaltem ex Præfatione Buddei doctiſſima & elegantisſima mentionem injiciamus, Halæ Saxonum die xxıx Septembr. vigilia Michaelis anni M DC XXXV, & patrem habuit *Gottfridum Olearium*, Theologiæ Doctorem, Halæ Saxonum ad ædem D. Ulrici tunc Paſtorem & Gymnaſii inſpectorem, deinde & eccleſiarum ejusdem loci Antiſtitem & inſpectorem primarium, cujus, anno M DC LXXXV ætatis LXXXI miniſterii LI demortui, ſcripta quamplurima Henningus Witte in Diario Biographico & Vir ſumme maximeque reverendus Henricus Pippingius, Eccleſiarum Saxonicarum hodie Præſul ſummus, in Memoria Theologorum noſtra ætate clarisſimorum recenſent. Matrem autem nactus eſt *Annam Wogaviam*, Jo. Davidis Wogavii, patricii atque ſalinatoris Halenſis, ſenatus quoque camerarii & ad ædem S. Ulrici octoviri, filiam omni, quæ ſexum ſequiorem decent, virtutum genere ornatiſſimam. Avus paternus noſtro fuit *Joannes Olearius*, ſenior ille, ac Halenſium itidem eccleſiarum Antiſtes gravisſimus & celeberrimus, quem vel ideo hoc loco memorandum duximus, tum quod primus is fuerit ex gente Oleariorum, qui ſcriptis variis inter eccleſiæ noſtræ Theologos nominis celebritatem conſecutus eſt, ut quoque Paulus Freherus & Henningus Witte teſtantur; tum quod ab hujus

hujus patre Oleariæ gentis, quæ tot deinceps meritis enituit, repetenda ſit origo. Nomen ei fuit *Jacobus Kupffermann*, qui Veſaliæ, quod Cliviæ haut ignobile eſt oppidum, rerum ſuarum ſodem habuit, oleoque exprimendo operam navavit; unde felici prorſus omine poſteris ejus *Oleariorum* nomen hæſit. Fratrem vero habuit & coluit noſter Virum ſenio & meritis gravem, *Joannem Olearium*, Academiæ noſtræ Seniorem venerabilem, qui cum pari filiorum nobiliſſimo, Gottfrido, Theologo, & Jo. Friderico, Jureconſulto, raro fortunæ fato eandem etiamnum ornat. Verum ut ad noſtrum redeamus, jam porro monendum eſt, quod Matris anno M DC XXXVI luc ipſi peſtifera ereptæ locum impleverit *Eliſabetha*, Jo. Schefferi, Jureconſulti, Conſiliarii aulici Magdeburgici & ſalinarum præfecti filia, quam Pater anno M DC XXXVII in matrimonium duxit. Domeſtica hinc & privata inſtitutione eruditus imbutusque literis eſt cultioribus, donec Gymnaſii, quod Halæ Saxonum floret, alumnis adſcriptus, clariſſimorum ea ætate Virorum, Chriſtiani Gueintzii, Chriſt. Friderici Franckenſteinii & Friderici Cahleni diſciplinæ & inſtitutioni concrederetur. Idoneus dehinc anno M DC LIII judicatus, qui ad ſublimiora transferretur, Lipſiam comite M. Chriſtophoro Luchten, qui & ephori munere apud eum fungi debebat, abiit, ibique ſcholas maxime Jacobi Thomaſii, Viri in omni litterarum genere præſtantiſſimi, item Jo. Andreæ Boſii, Hieronymi Kromaieri, Martini Geieri, Franckenſteinii & Sluteri ſummo ſtudio optimoque ſucceſſu frequentavit. Et cum Philoſophiæ elegantiorumque litterarum campum decurriſſet, & anno M DCLVI Magiſtri Philoſophiæ titulo ornatus eſſet, poſt nobile quaſi triennium Lipſienſe domum rediit, ut Theologiæ, cui ſe conſecraverat, myſteriis ab ipſomet primum patre, quem inter Theologos præcipuos eccleſia noſtra eo tempore venerabatur, initiaretur, cui operam ſimul junxit patruus noſtri, *Jo. Olearius*, Doctor Theologus itidem longe celeberrimus. Ita bene præparatus, cum ad altiora tenderet, Argentoratum petiit, ibidemque ad pedes Virorum eo tempore per omnem orbem celebratiſſimorum, Schmidii utriusque, Joannis & Sebaſtiani, Balthaſaris Scheidii, & Jo.

Boecleri,

Boecleri, aliorumque, maxime autem Jo. Conradi Danhaueri ſedit, quem & hoſpitem ſibi elegerat, ac ſub ejus præſidio contra Cornæum Jeſuitam diſputavit. Tum excurſione facta ad alios ea ætate Viros in Germania celebres, Darmſtadii Balthaſarem Mentzerum, Heidelbergæ Jo. Henricum Hottingerum, Spiræ Urſinum, Baſileæ Buxtorfium, Wetſtenium, Gernlerum aliosque, Freiburgi Thomam Henrici, Romanæ eccleſiæ doctorem, Tubingæ Wagnerum, Oſiandrum, Lanſium, aliosque vidit, audivit, ſalutavit. Juſſu denique Parentis domum reverſurus Francofurti ad Mœnum aliquantisper ſubſtitit, ut ſolennia coronationis LEOPOLDI Magni Imperatoris ſpectaret; & ſimul Chriſtiano Gerlachio, Miniſterii ibidem ſeniori, innotuit. Gieſſæ quoque tum Haberkornium & Mislerum ſalutavit, Marpurgi etiam humaniſſime a Jo. Crocio exceptus. Jenam tandem anno MDCLIIX delatus, poſtquam in tranſitu Gothæ cum Salomone Glasſio, Vinariæ autem cum Nicolao Zapffio locutus erat, Theologorum ſummorum, Chriſtiani Chemnitii, Jo. Muſæi, & Jo. Erneſti Gerhardi ſedulus auditor fuit, ac præſide etiam Gerhardo ex diſputationibus Bellarmini orthodoxi eam, quæ de euchariſtia tractat, publice defendit, ſimul vero ſermones ſacros ad populum fecit. Sed cum mox Adjuncti munere ibidem eſſet ornandus, præter ſpem in patriam evocatus, & ab ipſo parente ejusque manu, more conſueto, in ſacrum ordinem receptus, atque ipſo die Creſcentis initiatus fuit. Prima hinc illi enata occaſio explicandi ingenii vires, & quæ indefeſſo ſtudio collegerat, in aliorum iterum uſus diſpenſandi. Ne vero domeſticarum rerum cura impediretur, biennio poſt matrimonio ſibi junxit lectiſſimam virginem, *Dorotheam*, Simonis *Malſii*, Jureconſulti Comitisque Palatini Cæſarei, diverſorum Imperii Principum & Statuum Conſiliarii intimi, filiam, ex qua ſeptem filiorum & quatuor filiarum pater factus eſt; ſed eadem die 7 Novembr. MDCLXXIX prælatura morte orbatus. Et cum officio ſuo ea, qua debebat, fide præeſſet, anno MDCLXII Diaconus eccleſiæ patriæ ad ædem B. Mariæ creatus eſt: ut ita per gradus ſenſim ad majora eveheretur. Imo cum numeroſa illi eſſet ſoboles, reique familiaris cura muneri ſacro impedimenta

menta maxima afferret, anno M DC LXXX ad ſecunda vota tranſiit, duxitque in matrimonium *Eleonoram Sophiam*, Jo. *Stringii*, Conſulis, Ædilis & ſupremi ſcholarchæ filiam, & Johannis Nicolai, Circuli inferioris Saxoniæ & Comitatus Mansfeldici Secretarii, viduam, ex qua filios quatuor, unicamque filiam ſuſcepit. Has inter rei ſuæ ſacræ & familiaris curas ingenuas anno M DC LXXXV loco Parentis, qui eodem anno naturæ debitum ſolvit, inſpector Circuli Salani primarius conſtitutus eſt, & poſt aliquot annos ad Arnſtadienſium inde eccleſiarum Præſulatum haut ignobilem evocatus. Cui graviſſimo muneri cum omni religione & zelo præeſſet, erepta illi anno M DC LXXXIX eſt conjux altera, poſt cujus obitum *Annam Gertrudam Polziam*, tribus antea maritis locatam & tum Lideri viduam, thori ſibi ſociam adſcivit, ſed anno M DCC III feria prima Pentecoſtes morte inopinata oppreſſam, poſtquam filiolæ nativitate familiam noſtri auxerat. Hinc ætate ingraveſcente & familiæ amplitudine aliisque rationibus adductus, quartam tandem conjugem, *Mariam Magdalenam*, Kiliani *Engelbrechti*, Jureconſulti & Scabinatus Halenſis ſubſenioris filiam, & Joh. Philippi Struvii, Medicinæ Practici Jenenſis, viduam, anno M DCC IV die 25 Novembris ſibi eligit. Variis his fortunæ caſibus jactatus, oculorum demum imbecillitate laborare cœpit, & cum horum uſum, caligine offuſa, tantum non prorſus amitteret: muneris ſui ſacri, ne illud ulla ratione negligeretur, vices Viro clariſſimo, M. Godofredo Tentzelio, deferri voluit. Tandem eum, ſenio meritisque confectum, poſtquam præſentem ſuam Scriptorum EccleſiaſticorumBibliothecam Filii ſui cura auctam & typis iterum excuſam vivus adhuc viderat, fati neceſſitas die 20 Maj. hujus anni ad beatas cœlitum ſedes ex hac miſeriarum valle tranſtulit. Paucis interim ea, quæ Noſtro & Patri ejus contigit felicitas, ut ultra ſeculi dimidium publicis muneribus præeſſent, quam adeo B. noſtro Seni, dum viveret adhuc, Eccleſiæ Lubecenſis Præſul hodie maxime reverendus, Georgius Henricus Gœzius, peculiari commentatione de Theologo ſemiſeculari eſt gratulatus. Ceterum ſcripta ejus

Digitized by Google

plurima Celeb. Buddæus in Præfatione laudatiſſima recenſet, inſimulque viros percelebres commemorat, cum quibus Noſtro literarum commercium interceſſit. Filius autem Editor in ſua ad Lectorem Præfatione proxime quoque alium de *Scriptoribus Biblicis*, *Anonymis & Pſeudonymis*, promittit conatum.

D. NIC. HIERON. GUNDLINGII, CONSIliarii Boruſſ. & Prof. Eloquentiæ Halenſis, de Henrico Aucupe, Franciæ Orientalis Saxonumque Rege, Liber ſingularis, in quo Reipubl. facies ex genuinis documentis, diplomatibus, tabulis, chartis ſcriptoribusque æqualibus in luce collocatur.

Halæ Magd. ex officina Rengeriana, 1711, 4.
Alph. 1 plag. 19.

POſt Jo. Henr. Bœclerum, Jo. Conr. Dieterichium, Jo. Palatium, Jo. Phil. Vorburgium aliosque viros eruditos, qui aut Regum & Imperatorum Saxonicorum res geſtas conjunctim, aut Henrici Aucupis vitam ſeorſim expoſuerunt, Celeb. Autor hujus libri laudabilem in eodem argumento induſtriam poſuit, non tantum iisdem, ſed & novis quibusdam ſubſidiis ac monimentis, poſt illorum tempora imprimis ab Ill. Leibnizio editis adjutus. Inter multa docte ab eo excuſſa ſaltem unum vel alterum, unde de reliquis conjectura fieri poſſit, exempli cauſa proferemus. Dum §. I a natalibus Henrici orditur, vulgarem illam opinionem, quæ illos ex Witichindea ſtirpe deducit, nullo fundamento niti oſtendit, & vel ex ſilentio Monachi Corbejenſis, diligentiſſimi alioquin rerum Saxonicarum ſcriptoris, qui præſertim genus Mathildis uxoris Henrici ad Witichindum referat, ſatis refutari, cum Ill. Leibnizio exiſtimat. Interim veros Henrici majores non negligit, nominatim Ottonem patrem & Ludolphum avum, hujusque uxorem Odam, grandæva ſenectute memorabilem, utpote quam Ottoni filio, licet grandi natu, ſupervixiſſe, contra Mabillonium vel Roſwithæ teſtimonio probat, cuius de Ottone verba hæc ſunt:

Morte

Morte ſui matrem noſtri dominamque potentem
Præveniendo prior vetiti de crimine pomi,
Quod protoplaſti deguſtavere parentes,
Exuitur membris limoſo ſtamine textis,
Proh dolor! atque feris clauſit ſua lumina mortis.

Putat vero, pro feris *fera* & pro mortis *morte* legendum, quod quidem leges metri admittere haud videntur. §. XIV ubi Caroli Regis Franciæ Occidentalis vim & injuriam a Lotharingiæ finibus prohibitam eſſe oſtendit, nullo jure vel illum hanc ſibi vindicare, vel proceres Lotharingicos a Regno Germanico ad illum deſciſcere potuiſſe, contra Blondellum probat; cujus cauſæ præſidium in eo unice ponit, quod Lotharienſes, poſt dejectum Carolum Craſſum, novo Germaniæ Regi fidem ſuam obligarint, rejecta Schurzfleiſchii aliorumque ſententia, qui illud a tranſactione Procaſpidana deducunt. Utrum vero vinculum, quo per iſtam Lotharienſes Regno Germanico innexi erant, poſt extinctam Germanicam familiæ Carolingicæ propaginem prorſus ceſſarit, aut, annon conſenſio eorum in novo eodemque communi totius Germaniæ Rege eligendo illi ſubordinanda potius, quam opponenda videatur, aliis dijudicandum relinquimus. §. XIX memorabilis illius expeditionis Hungaricæ apparatum deſcribit, in quo id præcipue operam dedit Henricus, ut urbes munitas, quibus ante eum Germania fere carebat, exſtrueret, & præſidiis idoneis omnique rerum ad victum & defenſionem neceſſariarum copia firmaret. Qua occaſione cum milites ac nobiles olim in agris degentes ſe in urbes contuliſſent, hos cum aliis civibus progreſſu temporis mixtos *Patriciorum* familiis, quæ hodienum in magnis quibusdam civitatibus florent, originem dediſſe exiſtimat. Ceterum paradoxam Godofredi Arnoldi cenſuram caſtigat, utiliſſimum inſtitutum, quo libertas & tranquillitas Germaniæ reſtituta eſt, tanquam luxuriæ alicujus fomentum, carpentis. §. XXI Ludicra Equitum Germanicorum certamina auſpicio Henrici non quidem primam, ut nonnulli tradunt, originem cepiſſe, ſed renovata tamen & inſtaurata fuiſſe oſtendit, fabulis, quas Ruxnerus in libro ſub titulo Thur-

nier⸗Buch edito de illis prodidit, exploſis. §. XXII Belli Venedici hiſtoria recenſetur, ac ſpeciatim expugnatio caſtri Brenaburgici, quod Noſter non a Brenno Duce aut ex lingua Germanica, ſed ex Slavica potius nomen accepiſſe, cum Balbino credit, in qua *banny bor* idem fuerit, ac *ſylvæ cuſtodia*. Præterea cum inveteratam illam de Marchionatu, tum novam quorundam de Ducatu Brandenburgico ab Henrico ſive conſtituto ſive inſtaurato opinionem confutat, & Marchionis Brandenburgici titulum a nemine ante Albertum Urſum uſurpatum fuiſſe contendit. § XXXIV Cœnobii Quedlinburgenſis, religioſis virginibus deſtinati, fundamenta inſtinctu Mathildis uxoris Henrici jacta commemorat, cui neque Mathildam, quam nonnulli Henrici filiam, neque Adelheidam, quam alii ſororem illius credunt, ſed Diethmotam Winethuſa eo traductam primum præfuiſſe oſtendit. § XXXV dum deſtinatæ in Italiam expeditionis meminit, e. t. ius Regis Germanorum in Italiam nonniſi in procerum Italicorum voluntate & invitatione quærendum eſſe arbitratur. Quemadmodum igitur vel ex his non perfunctoriam Cl. Autoris operam in præcipuis hiſtoriæ Henricianæ momentis exponendis Lectori nos probaſſe ſperamus, ita ut reliquorum etiam Regum ac Imperatorum Saxonicorum vitæ, quas meditatur, propediem in lucem prodeant, optamus.

DISSERTATION SUR LA MORT SUBITE.

i. e.

DISSERTATIO DE MORTE SUBITANEA, cum Hiſtoria virginis catalepticæ; Autore DIONIS, defunctæ olim Conjugis Delphini, nunc vero Ducißæ Burgundiæ Chirurgo primario, ut & Jurato Pariſienſi.

Pariſiis, apud Laurentium d'Houry, 1710, 12. ch. aug. Plag. $8\frac{1}{2}$.

DUobus *Lanciſii* atque *Barnabei*, celeberrimorum Medicorum Italorum, de morte ſubitanea ſcriptis, in *Actis Menſe Apr. A. 1708* & *1710* a nobis recenſitis, tertium nunc addimus de eadem materia anno elapſo prioris occaſione Pariſiis divulgatum

Digitized by Google

tum a Chirurgo experientiſſimo, cujus Curſum tam Chirurgicum A. 1709 *Menſe Martio*, quam Anatomicum *Supplementorum Tom. IV Sect. I* jamjam exhibuimus. Nempe cum Noſter laudati Lanciſii de ſubitaneis mortibus libros duos in *Ephemeridum Eruditorum Pariſienſium Menſis Februarii A. 1709 Supplemento* legiſſet excerptos, ſuas de morte repentina meditationes eo minus dubitavit literis conſignare, quo certius ex frequentiori ejusmodi cadaverum diſſectione cognovit, talia fata cum in Gallia, tum alibi, ab iisdem manare cauſis. Quemadmodum enim in plurimis de improviſo exanimatis per Anatomen ſanguinis circulum ſemper evidentiſſime deprehendit interruptum, ita in eo totus hic eſt, ut partim oſtendat, progreſſivum ſanguinis motum cito ſufflaminari, culpa aut ſanguinis abundantis, aut deficientis, aut obſtaculorum in ſanguinis via obviorum, partim remedia quoque innuat cauſis iſtis oppoſita pro inopinata nece avertenda, Lanciſianis tamen aſſertis ubique interſperſis. Nonnullos ſiquidem, ut potiores tantummodo obſervationes tranſcribamus, ex plethora & tempeſtiva venæ ſectione neglecta celerrime deficere, exemplo imprimis duarum perſonarum illuſtrium utriusque ſexus dat comprobatum, Ducis videlicet Aurelianenſis, Regis Galliarum hodierni fratris unici, atque Principis d'Espinoy, utpote a tanta Apoplexia ſubito jugulatarum, ut poſt mortem in utraque ventriculi cerebri ſanguine extravaſato turgidi apparuerint. In Fano S. Germani cum triginta abhinc annis quatuor viri terram non procul ab Autoris habitaculo pro cella inducenda ad 8 vel 9 pedes effodiſſent atque aqua fœtidiſſima per murum vicinæ domus transſudans aerem infeciſſet, hos omnes tanto velocius vidit enectos, quanto vehementius ejusmodi aer inſpiratus veſiculas pulmonum conſtringendo circulum ſanguinis inhibuerit. Ex multis aliis quibus ob viarum obturationem, ſanguinis regreſſum ad cor impedientem, ſubito pereundum fuit, duos Regis miniſtros inferiores adducit, in quorum altero pulmones adeo incraſſatos, ut omnem ſanguini tranſitum interdixerint, in altero vero pulmonem dextrum pleuræ ac diaphragmati adhærentem & ſanguine vacuum, e diverſo pulmonem ſi-

niſtrum triplo majorem ac ſanguine ſpiſſiori & nigriori infarctum invenerit. Neq; Marchiones de Seignelay atque deLouvoy alium vitæ exitum habuiſſe, quam ex ſanguinis per pulmones circulo,in illo tardius,in hoc celerius interrupto,ex inſpectione Anatomica ſubjungit, in quantum in prioris cadavere membrana pulmonum,mediaſtini,pericardii ac pleuræ perquam craſſa atque duris piſique magnitudinem æquantibus glandulis conſita extiterit, in vena vero cava, arteria magna & vaſis pulmonalibus ſanguis ita induratus ſubſtiterit, ut e vaſis inciſis exemtus ramos corallii referret; in thorace autem poſterioris pulmones inflati ac ſanguine repleti fuerint, cor autem magnum, flaccidum & linteo humido ſimile, ne guttulam quidem ſanguinis in ſuis ventriculis, veluti a nervulis impetuoſius ante conſtrictis, continuerit. Quod Petitus, primarius quondam Fratris Regii Medicus, & Quercetanus, primarius itidem Ducis Burgundiæ Medicus, ad nonageſimum ſecundum usque ætatis annum optime valuerint, ſummæ eorum ſobrietati, qua nonniſi parum alimenti quotidie aſſumſere, maxime adſcribit. Inter cauſas pulſus intermittentis vix removendas, præternaturalem viarum anguſtiam haud eſſe poſtremam exemplo alicujus Muſici regii, Burry, illuſtrat, quippe qui cibos ingeſtos continuo paucis poſt horis evomens in atrophiam atque debilitatem totius corporis ea inciderit ratione, ut pulſus evaderet parvus & intermittens, antequam vitam deponeret, in diſſecto autem inferius ventriculi orificium totum calloſum multumque arctatum conſpiceretur, non niſi tantillum alimentorum digeſtorum ad inteſtina transmittens. Ante viginti demum annos Domina Comes de Brienne ab inſultu apoplectico ad perfectam rediiſſe ſanitatem dicitur, poſtquam Noſter ipſi uno eodemque die venam brachii, pedis, jugularem & raninam ſecuiſſet. De cetero illuſtrem Lanciſium octogenario ſuperiorem exiſtere atque praxin medicam per ſexaginta annos exercuiſſe, difficilem apud eos Autor inveniet fidem, qui ex brevi vitæ ipſius curriculo, *Actorum noſtrorum* A. 1708 *Menſi Octobri* occaſione novæ editionis inſerto, eum tum quartum & quinquageſimum annum egiſſe, perſpexerunt. Ex loco etiam, quem Ephemeridum

ridum

ridum Collectores allegant, ſatis elucefcit, Lanciſium neutiquam ſe ipſum, ſed Cl. D. Placentinum Medicum urbis Romæ Seniorem, octogenario aſſeruiſſe majorem: nullique dubitamus, quin Noſter itidem, ipſum Lanciſium ſi evolviſſet, rariorem ab hoc diſſenſum feciſſet. Sed veniamus ad hiſtoriam Virginis catalepticæ inſequentibus circumſtantiis, quas a matre, vicinis atque Medicis accepit, a Noſtro deſcriptam. Eliſabetha Devigne, 25 annorum, tenerrimæ conſtitutionis, faciei ſatis elegantis, ſed ſcapularum inæqualium, dum cum matre in celebri ſuburbio illo Pariſienſi, quod a S. Germano nominatur, honeſte ac pie degit, ſub finem A. 1707 menſium primo ſuppreſſionem, paulo poſt cephalalgiam patiebatur, adeoque a frigore externo lædebatur, ut nulla ratione poſſet calefieri. Et quamvis menſe Januario A. 1708 cum frigore magno dolor pariter capitis increſceret, neutiquam tamen hic cum illo remittebat, verum ad pentecoſtalem usque continuabat ſeptimanam, qua fluxus primum catharralis, hinc deliria varia, demumque d. 26 Maj. primum inſultum catalepticum experiebatur. Sub acceſſu hujus, qui quotidie hora prima pomeridiana contingebat atque hora quinta terminabatur, manu ſemper frontem incipiebat fricare, quod fluvius tunc in caput irruere atque ſtrepitum movere ſibi videretur, mox vero oculis apertis & fixis ſine loquela, motu ac ſenſibus, veluti mortua, perſiſtebat, donec manum rurſus fronti adducendo finem paroxyſmi proderet. Acus brachiis & cruribus ſine ulla infigebantur ſenſatione, paroxyſmo nihilominus ſuperato de dolore partium punctarum querebatur. Durante paroxyſmo artus, quaſi leviſſimi, facillime poterant moveri, in quocunque autem collocabantur ſitu, in eodem permanebant, niſi talis nimis eſſet coactus, qui a motibus convulſivis accedentibus omnino mutabatur. In paroxyſmo pariter dentes ita conſtrictos habebat, ut diduci haud potuerint, aſt illo finito nolebat alimenta aſſumere, nec quicquam horum etiam leviſſimorum ſine difficultate valebat deglutire lipothymiam potius incurrens; neque urinam per tres vel quatuor dies excernebat, imo catheteris ſubinde indigebat uſu. Talesque paroxyſmos jam vigeſies octies vel trigeſies ſuſtinuerat, cum interea varii incerti rumores de ea ſpargeren-

gerentur, vulgo pro eſtatica ipſam reputante, quia ſub paroxyſmi finem digitis & manibus varia pietatis edebat ſigna, nonnullis vero aliis omnem morbum pro ſimulato venditantibus. Quibus ſummus tandem Prætor permotus juſſit eam monaſterio virginum, quod ab hoſpitalitate dicitur, inferri atque trium Medicorum curæ committi, usque perfectam recuperaverit ſanitatem, a menſibus jam redeuntibus atque paroxyſmis levioribus haud fruſtra ſperandam.

L. ANNÆI SENECÆ AUREOLUS LIBELLUS de Providentia, M. ANT. MURETI oratione, nec non J. LIPSII & J. F. GRONOVII notis illuſtratus; recenſuit JO. HENRICUS ACKER, & adjecit ad L. VI Inſt. Or. M. F. QUINTILIANI Prooemium querulum Commentationem de ambitione in malis.

Rudolſtadii, ſumtu Jo. Mart. Gollneri, 1711, 8. Pl. 9.

PErgit de ſtudioſa juventute optime mereri Clariſſimus Ackerus, non ſemel hactenus a nobis laudatus, qui exemplo ſummorum Virorum, ſpeciatim Johannis Felli, Ep. Oxon. qui minuta quædam Patrum ſcripta a reliquis operibus decerpta imprimi & ſub novi anni auſpicium diſtribui inter Amicos curabat, nec non Jo. Caſelii, qui libellum Galeni de cognitione & ſanatione affectuum animi, Senecæ Librum de Beneficiis aliaque ſeorſim vulgavit, Senecæ hunc libellum de providentia ex optima editione recudit, Lipſii etiam & Gronovii notis, Caſelii item judicio de Seneca, Mureti Oratione, quam Romæ habuit, cum librum hunc Senecæ eſſet interpretaturus, ac denique ipſius Ackeri elegantisſima commentatione de ambitione in malis ad Quintiliani prooemium, quod Libro VI Inſt. Orat. præmiſit, illuſtratum. Querulum hoc vocat imitatione Autoris antiquæ comoediæ, quæ *Querulus* inſcribitur, a Pareo Comoediis Plautinis ſubjecta, nec non Gildæ Sapientis, cujus Epiſtola de Excidio Britanniæ *liber querulus* dicitur in antiquo Codice. Ambitionem vero in malis cum Turnebo dicit exaggarationem magnam calamitatum, ambitioſis, qui ditiores aut fortunatiores videri volunt, familiarem. Plura ex ipſa commentatione, quæ ſtylo concinno ſcripta & moralis doctrinæ præceptis referta eſt, non addimus.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris, Anno M DCC XI.

PRINCIPES DU BLASON.

h. e.

PRINCIPIA ARTIS HERALDICÆ.

Pariſiis apud Johannem Moreau, 1709, f.
Alph. 15 & tabb. ænear. plag. 14.

PRivilegio operi huic præfixo, ac annum 1705 præferente, proditur Autorem variis ſcriptis conari viam monſtrare omnes ſcientias facile diſcendi, & memoria diutiſſime retinendi, eumque in finem inter alia conſcripſiſſe novam methodum Geographiæ Hiſtoricæ manuducturam ad Geographiam antiquam & novam, Hiſtoriam omnium, quæ unquam exſtitere, Regnorum, regimen illis eccleſiaſticum, civile, politicum, militare, una cum omnibus revolutionibus, nec non quod Imperantium intereſt, Genealogias & inſignia, accurate cognoſcenda; additis tabulis Geographicis, Chronologicis, Genealogicis, & ſitus urbium exhibentibus, ut & recenſione ac deſcriptione familiarum regiarum, ceremoniarum, comitiorum conventuum Cleri &c. Ibidem mentio fit Ludorum ejus hiſtoricorum ut Regum Galliæ, rerum a Ludovico M. geſtarum, aliorum, & Methodi linguarum, in ſpecie Latinæ, oſtenſuræ modum brevi tempore cujusve genium, veneres ac delicias nexumque inter eas intercedentem addiſcendi. Addita inſuper eſt approbatio Methodi Geographicæ, qua Cenſor totam ſe perlegiſſe ſcribit. Interim Autor traditurus in illa non regnantium modo, ſed reliquarum quoque illuſtrium familiarum inſignia, ut præpararet Lectores ſuos, elementa artis Heraldicæ præmiſit. XIV Tabulis, quarum

 quali-

quælibet bis exhibetur coloribus inducta, exſecutus eſt inſtitutum, addita explicatione. I exhibet metalla, colores, & pelles in re Heraldica occurrentes. II diverſum linearum ductum, ex quo cognoſcitur, quemnam colorem deſignent. IV, V & VI figuras, ut vocant, honorabiles, quæ arti propriæ ſunt, ut palum, faſciam, baltheum &c. easdemque diminutas & multiplicatas, VI varias figuras crucis, VII alias figuras, ut teſtellas, cuneos, globulos, numos Byzantinos, rhombos, flores, ſtellas, ſimilesque, quas omnes honorabilium numero excludit, cum nonnullæ tamen omnino iis accenſendæ ſint. VIII. quadrupedes, XI aves &c. X attributa figurarum, ut declaret, quid ſit tortuoſus, pinnatus &c. ſiſtit. XI, delineat figuras, quibus aliæ minores inſertæ, XII illas quibus adiunctæ tantum ſunt. XIII complectitur membra ſeparata corporis humani aut bruti, & denique XIV diſcernicula, quibus ſcuta natu minimorum a primigenitorum inſignibus diſtinguuntur. Quisquis vero præclari operis Speneriani partem generalem cum hiſce inſtitutionibus contenderit, manifeſte deprehendet, perfectiores multo atque concinniores fuiſſe futuras, ſi ex tam locuplete penu ſua ſeligere Autori aut placuiſſet, aut licuiſſet.

C. VALERIUS CATULLUS, ALBIUS TIbullus, Sex. Aurelius Propertius, ex recenſione JO. ANTONII VULPII, Bergomenſis, J. U. D. cum ejusdem Obſervationibus & Indice locupletiſſimo.

Patavii, apud Joſephum Corona, 1710, 4.

Alph. 4 pl. 9.

C. V. Catullus & A. Tibullus, oris plane Romani Poetæ, & Latinorum ille Callimachus S. A. Propertius, quod amores ſuos usque adeo venuſte adeoque concinne canunt, multos illexerunt, qui anxia cura ſtudioque acri ad priſcum eos ſplendorem expolire conarentur. Sed diu ſeverioris Critices ferrum ignemque haud perfunctorie experti, & nullis non partibus, ſive ſanis atque integris, ſive affectis ac languentibus tenta-

tentati, ſecti, uſti, vix demum ille ab Iſ. Voſſio, hi a Jano Brouckhuſio reſtituti ſunt. Quorum laboribus ſi uſus fuiſſet Cl. Editor, multum ſuæ editioni conciliaſſet decoris & ſecurius MSC. Codicum collatione ſu perſediſſet, quorum nullum a ſe ipſo inſpectum confitetur. Scaligeri enim editionem ſequi contentus, multa quoque manifeſte laborantia retinere opus habuit, & explicationibus ſuis utcunque adjuvare, de ingenio quidem & lectione Autoris teſtantibus, ſed a genio tamen delicatiſſimorum Poetarum aliquanto paulo alienioribus, quem iſti quidem Viri doctiſſimi feliciter aſſecuti, deſperatis etiam locis ſenſum gratiamque reddiderunt. Deprehendet hæc, qui editiones inter ſe contenderit. Nobis enim nec ex libris, quæ deteriora videantur, excerpere, nec criticas diſceptiones una cum rationibus dubitandi & decidendi ventilare conſtitutum eſt. Iis, quibus bene de Lectoribus meritus eſt V. C. accenſeri debet, quod argumenta ubique præmiſit, ejectis nonnunquam, quæ locum iſtum male hactenus occupabant: quodque non tam ſingulas Autorum ſuorum voces, quam integras loquendi formas in indicem diligenter congeſſit. Prolegomena vitis eorum deſtinata ſunt, ex quibus unam hanc conjecturam annotamus, quæ nova eſt, quamque ipſe audacem nominat. Suſpicatur, Horatium ſatyra IX L. I, dum hominem inepte garrulum, qui moleſtiſſimus invito ipſi comes hæſerat, traducit, Propertium noſtrum pungere. Deſcribere enim hominem inſulſum, nomine tantum ſibi notum, eruditionis, præcipue autem Poetices & mollitiæ laudem affectantem, Mæcenatis benevolentiam ambientem, matre denique ac cognatis jam carentem, nec alias fortuna ſatis lauta inſignem: omnia vero ad Aurelium trahi poſſe, quandoquidem fortaſſis invidia Flacci, parem ægre ferentis, partem aliquam in ſcribenda Satyra ſibi vindicaverit. Sed forte Horatius Propertio non invidit, & omnia illa in alium quempiam, niſi majori, pari certe veri ſpecie quadrant, quam in Propertium, non adeo inconditi ingenii hominem, ſi quid de Scriptorum indole judicii ex illorum operibus ferri poteſt. Quid enim (niſi Horatius nonnulla finxit, ut characterem garruli ſalſius exprimeret) frequentius tum erat Romæ, quam diffluere mollitie, quam car-

mina ſcribere, & communem illum Patronum prenſare? Parentes quoque & neceſſarios non habere, Propertio cum plurimis potuit eſſe commune. Sed acrius ſententiam hanc excutiant, ſi quorum intereſt: nobis quidem nondum perſuaſit.

LE VITE DEGLI ARCADI ILLUSTRI.

h. e.

VITÆ ILLUSTRIUM ARCADUM, A DIVERſis Scriptoribus exaratæ & ex præſcripto Societatis uno volumine comprehenſæ a JO. Mario Creſcimbeno, Canonico S. Mariæ Coſmedinenſi & Societatis Arcadum Cuſtode. Pars I.

Romæ, apud Antonium Roſſium, 1708, 4.

Alph. 1 pl. 6.

NOn novum eſt inſtitutum, quod eruditi in ſocietatem quandam coeant, certis legibus eo conſilio inſtructam, ut literæ cujuscunque generis amplificari poſſint; ſed, ut Anglos, Gallos, & noſtram Germanorum gentem taceamus, Itali inprimis ſuperiorum temporum & noſtra quoque memoria conſilium hoc approbatione & plauſu dignum cenſuerunt, quod vel ex Gregorii Leti Italia Regnante intelligi poteſt. Noſtra quidem ætate inter ceteras Illuſtris Arcadum Societas A. 1690 fundata caput efferre cœpit, quæ Sociorum animos ad optima quæque tentanda & perficienda excitavit, lege lata, ut iis, qui quicquam memoria poſterorum dignum præſtiterint, non monimentum ſolum erigeretur, inſcriptione laudis plena ſignatum, ſed vita quoque diligenter deſcripta ad poſteritatem transmitteretur. Conſtitutum itaque eſt, ut, ubi vita ejusmodi delineata fuerit, ea examini trium huic Societati adſcriptorum ſubjiceretur, quorum judicio commemorata honoris prærogativa decerni defunctis poſſet. Poſtquam igitur hoc felicitatis genus nonnullis contigit, eadem Societas decrevit, ut vitæ eorum, quorum memoriæ per monimentum ejusmodi nondum ſatis conſultum videbatur, typis quoque cum eruditis communicarentur. Atque iſtæ quidem duobus voluminibus compreben-

Digitized by Google

prehenſæ lucem viderunt, quorum prius, pro inſtituti noſtri ratione, perluſtrabimus. Continentur itaque hoc volumine Vitæ Franc. Redi, Angeli della Noce, Franc. Andreæ, Marcelli Malpighii, Caroli Mariæ Maggi, Raphaelis Fabretti, Laur. Bellini, Vincentii Viviani, Antonii Caraccii, Bened. Menzini, Franc. Lemene & Henrici Noriſii. Nec unus eſt illarum Vitarum Scriptor, ſed diverſi induſtriam ſuam, quamvis eodem omnes conſilio, huc contulerunt. Quod ut appareat, Vitas aliquot diſtinctius & diligentius recognoſcemus. Primo loco legitur *Franc. Redi* vita, deſcripta ab Abbate Salvino Salvini, qui in Societate nomen fert Criſeni Eliſſonei. Franciſcus Redi, cui in Societate Arcadum nomen erat Anicii Trauſtii, patria Aretinus, natus eſt A. 1626 die 18 Febr. patre Gregorio Franciſci F. Florentiæ Scholaſticis, Piſæ vero Academicis ſtudiis animum excoluit, & in eadem, quam dixi, Academia Doctoris Philoſophiæ ac Medicinæ inſignia reportavit, ac deinde dignum ſe probavit, quem Magnus Dux Hetruriæ Ferdinandus II ac poſt eum Coſmus III Archiatrum ſibi eligerent. Juvenis varia poemata Italico ſermone fecit, quorum faſciculum ſatis ampſum ſub extremis vitæ annis igni comburendum dedit. Præter Naturalem doctrinam, patriam Linguam ſibi inprimis commendatam habuit, cujus rei argumentum peti poteſt ex eo, quod Ægidius Menagius in Originibus Linguæ Italicæ etymologias vocum variarum ipſi acceptas refert, qui & Miſcellaneis ſuis varias epiſtolas ab eo ad ſe ſcriptas inſeruit. Primum ſcriptum de viperis edidit Florentiæ 1664, quod Latine converſum exſtat Tomo I Miſcellaneorum Curioſitatum Naturalium, iterumque Italice recuſum eſt Flor. 1686. Idem ſub epiſtolæ habitu edidit experimenta de rebus naturalibus ex India allatis 1671 Lat. ed. Amſtel. 1675. Experimenta de Inſectis, itidem Amſtelod. Lat. recuſa, quintum edita ſunt Florent. 1688. quibus cum Philippus Bonanni nonnulla opponeret, Redi modeſte ſimul & ſolide pro ſua ſententia pugnavit. Obſervationes de Animalibus viventibus, quæ in aliis animalibus deprehendi ſolent, Florent. 1684 lucem viderunt. Vitam Leonhardi Aretini & Fr. Petrarchæ idem edidit Ital. ex MS.

Flor. 1672, itemque epiſtolam de perſpicillis Ital. repetita vice vulgatam, ac Gall. a Sponio Antiquitatibus inſerta. Præterea exſtat Dithyrambus, poema Italicum, cum annotatt. plura affecta idem inter ſchedas reliquit, nominatim Vocabularium Aretinum, notas in Dictionarium Academiæ della Cruſca, in quo multa ejus curis debentur, & alia. Quanti illum & cives & exteri fecerint, apparet cum ex carminibus Italicis & Lat. in ipſius laudem factis, & uno volumine, quod Nepos ejus adſervat, ab ipſo comprehenſis, tum ex dedicationibus variorum librorum ipſius nomini inſcriptorum. Cum ille jam per aliquot annos cum infirma valetudine conflictatus eſſet, tandem anno 1691 Mart. mortuus in lecto deprehenſus eſt. Elogium ejus exſtat etiam inter Vitas eorum, qui in Societatem Gelatinorum Bononienſum cooptati ſunt, anno 1672. Præterea multi in commentationibus ſuis cum laude ejus meminerunt, qui recenſentur p. 8: inter eos Steph. Lorenzino in Obſervatt. ſuis de torpedine tractatum quendam ejus ἀνέκδοτον de anguillis laudat. Poſt obitum ejus Sereniſſ. Ducis Ferdinandi auſpiciis & ſumtibus 60 carmina, quæ *ſonetti* appellari ſolent, ſelecta typis excuſa ſunt, Flor. 1702. Altera vita eſt *Angeli della Noce*, Ar-
p. 13. chiep. Roſcianenſis ſcripta a V.C. Jo. Mario Creſcimbeno, qui natus 1600 αὐτοδίδακτος, ipſo id referente, literas hauſit, in quibus ita profecit, ut favorem eruditorum ſibi conciliaret, & honoribus primo quidem Abbatis, hinc Magiſtri ſive Præſidis Montis Caſſinenſis mactaretur. Cum hic verſaretur, Chronicon Caſſinenſe cum Codic. manuſcriptis collatum & notis ampliſſimis illuſtratum Pariſ. 1668 edidit, idque Clementi IX P. M. inſcripſit, quo deinde Archiepiſcopus Roſcianenſis conſtitutus eſt, cui officio cum renunciare ac Romam reverti cogeretur, conditione minus lauta uſus eſt, & infelicium literatorum numerum, paupertate ad mortem usque afflictus, amplificavit. Quamvis enim anguſtas ejus facultates & Purpurati quidam Viri & Regina Sveciæ, Chriſtina, quæ in magno eum pretio habuit, liberalitate ſua ſublevarent ſubinde, in erogandis tamen eleemoſynis tam profuſus erat, ut, quæ aliis dederat, ipſe deſideraret. Scripta ejus varia ἀνέκδοτα hæc præter cete-

Digitized by Google

cetera ſunt: *diſſert. de Monachatu & profeſſione S. Thomæ Aquinatis*, *Cenſura ſuper 4 propoſitiones Cleri Gallicani* anno 1682 *Commentaria in S. Theolog. & Philoſoph. Diſſert. de Caroli M. effigie exſtante in Codice Bibliorum*, *aſſervato in Archivo S. Pauli de Urbe.* Exſtat etiam volumen integrum carminum Italicorum ἀνέκδοτον, ex quo unum ſpeciminis gratia affertur p. 24. p. 24.
Quarto loco exſtat vita *Marcelli Malpighii* Bononienſis, cui nomen erat Theronis Phylacii, ſcripta a D. Euſtachio Manfredi. Natus ille eſt 1628. 10 Mart. & medendi arti animum addixit, quam deinceps in Academia Bonon. publice docuit, paulo poſt A. 1656 in Piſanam Academiam ad eandem Artem docendam vocatus. Cum autem aeris Piſani temperies ipſius valetudini minus reſponderet, Bononiam reverſus, Lecturam, qua deceſſerat antea, reſumſit. Hic edidit epiſtolas binas ad Borellum de ſtructura pulmonum A. 1660. Non multo poſt nempe A. 1662 defuncto Petro Caſtello ad docendam artem ſalutarem in Academ. Meſſanenſem vocatus eſt, in qua, Anatomiæ cura non ſepoſita, obſervationes ſuas de piſcibus & epiſtolas de cerebro edidit. His obſervationibus cum alias ſubinde adjunxiſſet, ita ſe probavit Regiæ Anglorum Societati, ut A. 1669 locus ei decerneretur. Has itemque alias ſuas commentationes & inventa ipſe in delineatione vitæ ſuæ commemoravit, quæ cum Apologia adverſus Jo. Hier. Sbaraleæ, Profeſſoris Medic. & Anatom. in Acad. Bonon. epiſtolam, qua ſectionem minutarum corporis humani partium, plantarum & brutorum tanquam inutilem rejecerat, ſcriptam, operibus ejus poſthumis inſerta eſt. Denique cum Anton. Pignatellus purpuram cum Pontificis M. dignitate permutaret, ab eo ad ſalutis ſuæ curam gerendam Romam vocatum ſe vidit, qua dignitate auctus obiit 1694, 29 Novembr. cum paulo ante Operibus poſthumis ultimam manum impoſuiſſet, quæ Lond. 1697 lucem viderunt. Non omittendum eſt, quod in hac Vita p. 64 relatum legitur, Malpighium, cum prima vice Bononiæ verſaretur, dialogos de variis Medicinæ & Anatomiæ capitibus conſcripſiſſe, qui tamen cum aliis quibusdam ejus lucubrationibus incendio, in domicilio ejus exorto perierint. Excipit hanc Vita *Caroli Mariæ Maggii* Mediolanenſis,

(Marginal page references: 61. beside "Quarto loco"; 63. beside "in Piſanam Academiam"; 65. beside "reſumſit"; 66. beside "Petro Caſtello"; 73. beside "tum ſe vidit"; 79. beside "perierint. Excipit")

nenſis, cui nomen fuit Nicii Meneladi, ſcripta a V. Cl. Ludov.
Antonio Muratorio. Editus eſt in lucem 1630, 8 Maji, ac anno
1661 Secretarius Senatus patrii renuntiatus eſt, quam ſpartam
cum ornaret, tantum abeſt, ut elegantioribus literis nuncium
miſerit, ut potius ſingulari caſu adductus Græcam Linguam,
quam antea ignorabat ætate provectus Latinæ adjungeret. Hinc
factum eſt, ut anno 1664 Mediolani in Scholis Palatinis Græcam
& Lat. Linguam docendi provinciam conſequeretur. Neque
p. 81. tamen ſic vel Secretarii munus negligentius curavit, neque poe-
ticam facultatem amiſit, quam variis dramatibus, publice e
theatro deinde recitatis, prodidit & confirmavit. Gallicam
præterea & Hiſpanicam linguas calluit, atque ex priore quidem
duos libros, devotionis cauſa ab aliis exaratos, Italice convertit.
Tanta ejus fuit exiſtimatio, ut a Chriſtina Sueciæ Regina
non infimo loco haberetur, & in varias Italiæ Academias co-
optaretur. Poemata ſua ſacra & Moralia, Segnerii, e Soc. Jeſu,
conſilio adductus, Florentiæ 1688 exprimi typis paſſus eſt.
Diem obiit 1699, 22 April. Poſt fata ipſius Cl. Muratorius poema-
ta ejus omnia tam Sacra, quam Moralia, Heroica, Dramatica, &c.
collegit, & quinque Tomis comprehenſa Mediolani 1700 edidit.
Præterea vero ibidem a Typographo Malateſta poemata ejus
89. Mediolanenſia 1700 in lucem protulit. Sequitur vita *Raphaelis*
Fabretti Urbinatis, cui nomen erat *Jaſithei Naphlii*, ſcripta a Do-
minico Riviera Lat. quam Italicam reddidit Cl. *Creſcimbenus*.
Cum in urbe ducatus Urbinenſis, cui Cagli nomen eſt, literis
elegantioribus innutritus eſſet, in patriam reverſus, paucis an-
nis interjectis, eos fecit in doctrina Juris progreſſus, ut an. æt.
94. 18 Doctorali laurea ornaretur. Hinc Romam abiit, & cauſis
in foro feliciter peroratis magnam nominis famam ſibi peperit.
Poſtea ab Illuſtriſs. Cardinali Laur. Imperiali negotiorum curan-
dorum cauſa in Hiſpaniam miſſus non ſolum exſpectationem
ſuſtinuit, ſed, quicquid temporis officii rationes reliquum
faciebant, id omne ſcrutinio antiquitatis & lectioni vetuſtiſſi-
morum ſcriptorum impendit. Hinc Romam reverſus paulo
poſt a Carolo Cerri, Cardinali & Legato Urbinate, Auditor
Legationis conſtitutus eſt, tribus autem poſt annis Romam

revo-

Digitized by Google

revocatus præter cetera id officii genus ſuſtinuit, quod in expe- p. 95.
diendis Pontificis M. edictis verſabatur. Poſtea Alexandro IIX,
ad Pontificatus dignitatem evecto, a ſupplicibus libellis fuit, ac 99.
inſuper Vaticanæ Baſilicæ Canonicus conſtitutus eſt. Obiit
tandem in mediis ſtudiorum curis A. 1700 VII Id. Jan. anno æt.
LXXIX. Ingenio fuit feliciſſimo & promto, judicio acutus & 103.
perſpicax, memoria inſuper tenaciſſima & incomparabili ſa-
gacitate in rimandis & interpretandis antiquitatibus præditus.
Quod intelligitur ex ſcriptis in lucem ab eo editis, quæ ſunt, de
Aquis & Aquæductibus veteris Romæ diſceptationes tres, Romæ 108.
1680, de Columna Trajani Syntagma, ib. 1683, Jaſithei ad Gron-
novium Apologema, in ejusque Titivillitia ſive ſomnia de Tito
Livio animadverſiones, Neapoli 1686, Inſcriptionum anti-
quarum explicatio & additamentum, Rom. 1699. Commentati-
oni de veteri Latio, quam moliebatur, immortuus eſt. Poſt hanc 113.
vitam legitur vita *Laur. Bellini*, qui dictus eſt *Ophelte Nedæus*,
ſcripta a Marco Antonio Mozzi. Patriam habuit Florentiam,
natus 1643. Lector Philoſophiæ, hinc Anatomiæ isque Ordina-
rius anno æt. 20 conſtitutus eſt in Academia Piſana, ac denique
triginta annis interjectis Sereniſſimi Ducis Archiater. Scripſit de
organo guſtus, itemque de ſtructura & uſu rerum, ut cetera non
commemoremus. * Ἀνέκδοτος inter ſchedas latet *Theoria Ovi*. 123.
Obiit 1703, die 8 Jan. *Vincentius Viviani* ſequitur, qui nomine
Heronis Geonii auctus in eadem ſocietate vixit. Vitam deſcripſit
Petrus Franc. Tocci, quæ docet, eum natum eſſe Florentiis 1622
5 April. ac in Academia patria, præeunte Galilæo, cujus ulti-
mus fuit diſcipulus, ac Evangeliſta Torricellio, qui illi ſucceſ-
ſor dabatur, Mathematicis diſciplinis excolendis operam de-
diſſe, eo ſucceſſu, ut juvenis admodum cum aliorum tum ipſius
Magni Ducis admirationem in ſe converterit. Fuit is primus, qui
Torricellio aderat, cum tubi ſui experimentum, ipſo adjuvan- 127.
te, faceret, ac ea indies in hoc doctrinæ genere incrementa ca-
peret, ut a Magno Duce ipſi illud officium deferretur, quod de-
ſcribendis & conſtituendis munitionibus abſolvitur. Quid
poſſet in his ſtudiis, intelligitur ex libro V Apollonii Pergæi de
Sectionibus Conicis, quem ſub tit. de Maximis & Minimis

 edebat

Digitized by Google

edebat 1659, de quo P. de Chales in tractatu de progreſſu Matheſeos hoc judicium tulit: *Puto, Vincentium Viviani plura di-*
p. 129. *xiſſe, & meliora majoriſque momenti, quam quæ in his Apollonii libris leguntur.* Cum hoc modo fama Viviani creſceret indies
131. ac proferretur, Rex Galliæ Ludovicus XIV non ſolum annuam penſionem ipſi conſtituit, ſed Aſtronomi principis munus ipſi offerendum curavit, quod cum recipere nollet memor beneficiorum, quæ a Magno Duce acceperat, paulo poſt Mathematicus MagniDucis primarius renunciatus eſt. Poſtea anno 1674 edidit Scientiam Univerſalem Proportionum, 1677 ſolutionem aliquot Problematum ab aliis propoſitorum, tractatum de locis ſolidis &c. Hæc merito effecerunt, ut non ſolum in varias Italorum, ſed Anglicanam & Gallicam Societates, utramque
132. Regiam, cooptaretur. Obiit tandem 1703, die Sept. 22. Vita *Ant. Caraccii*, cui nomen fuit, Laconis Cromitii, deſcripta legitur ab
141. Abbate Dominico de Angelis. Natus eſt *Caraccius* Neriti, regni Neapolitani oppido, & cum primo quidem militiæ nomen dare
146. conſtituiſſet, animum tandem ſerio ad literas convertit, ac Romæ variis Purpuratis a literis ſecretis fuit, ac deinde in Aula perpetuo verſatus, cujus tamen negotia animum ejus a literarum cultura avocare non potuerunt, quem ſpeciatim ad Poeticam facultatem, qua inprimis valebat, vel excolendam vel amplificandam convertit. Illuſtre itaque carminis argumentum electurus ſucceſſum armorum deſcribendum cenſuit, quem Eccleſia Romana, cum Veneta Republica conjuncta, in reducendis ad Eccleſiam Græcis Schiſmaticis experta eſt. Hoc carmen *Imperii Vindicati* nomine inſcriptum, & Rom. 1679, 4 editum, quoad partem primam, cui pars altera ib. 1690, 4 ſucceſſit, non minus perſpicuitatem & eloquentiam Arioſti, quam ſublimita-
152. tem Taſſi ſecum ferebat, atque ita Sereniſſimo Venetiarum Senatui ſe probabat, ut Eques S. Marci publice renunciaretur. Sic & in ceteris poematibus ſuis, itidem vernaculo ſermone exaratis, exſpectationem ſuſtinuit, quæ ſunt Poemata Lyrica, Rom. 1689, 12, Tragœdia, cui *Corradini* nomen, ib. 1694, 4. Phoſphorus, epithalamium, 1650, 4. Reliquit nonnulla ἀνέκδοτα, quæ p. 166 recenſentur, inter quæ numerantur binæ reſponſiones ad

binas

binas Academicorum Furfuratorum cenſuras. Obiit 1702, 14 Febr. Tam viva valuit imaginatione, ut interdum objectis, p. 162.
quæ carmine deſcripſerat, iterum repræſentatis ex ſomno excitaretur, & per ædes diſcurreret, nec niſi difficulter animus componi poſſet. De *Benedicto Menzini*, Euganio Lybade di- 169.
cto, multa per inſtituti rationem dicere non licet. Natus ille Florentiæ parentibus obſcuris & tenuioris ſortis, per bonam vitæ partem cum paupertate conflictatus eſt, quamvis nunquam defuerint, qui fortunas ejus meliores reddere conarentur, donec tandem ſub vitæ finem Lectori Eloquentiæ, Canonico Michaeli Brugueres adjungeretur. Obiit autem 1704, 7 Sept. *Franciſci de Lemene* vita a *Ludov. Ant. Muratorio* ſcripta ſequi- 189.
tur. Natus is eſt in urbe, quam Itali *Lodi*, Latini *Laudem*, vocant 1634, 19 Febr. Juris ſtudio ſe addixerat, nec infeliciter, cum paulo poſt in patriam reverſus Decurionis ac denique Oratoris munere auctus Mediolanum mitteretur, ut patriæ res ibi ageret. Sed hoc officio, & aliis, quæ ipſi offerebantur, ſe ultro abdicavit, otii literarii ſtudioſiſſimus, cui deinceps in patria unice indulſit, ac multa carmina vernacula lingua exaravit, atque ea quidem primo ludicri, deinde vero ſacri argumenti, qualia ſunt, quæ omnia attributa divina ediſſerunt, quæ ſub titulo Tractatus de Deo Mediolani 1684 prodierunt, deinceps ſæpius recuſa. His alia non diſſimilis argumenti ſuccedere juſſit, ac tandem diem obiit 1704, 19 Kal. Quintileis. Agmen claudit *Henricus* 199.
Noriſius, Eucrates Agoreticus dictus, ex Ordine Auguſtinianorum, cujus vitam deſcripſit *Franciſcus Bianchini*. Hic patriam habuit Veronam anno 1631, 29 Auguſti. Tanto ſtudio in literas & antiquitates tam ſacras quam profanas ferebatur, ut quotidie quatuordecim horas iis tractandis impenderet inde a vigeſimo ætatis anno, usque ad illud tempus, quo in Purpuratorum Curiæ Romanæ numerum adſciſceretur. Cum itaque publicis quoque ſcriptis induſtriam ſuam & doctrinam teſtatam faceret, dignus a Pontifice Maximo habitus eſt, qui Schelſtratio in curanda Bibliotheca Vaticana ſucceſſor daretur. Hinc pur- 210.
puram adeptus, vel ſic ſtudiis non miſit nuncium, ſed in iis perſtitit, donec diem obiret ſupremum 1704, 23 Febr. æt. 73. Scri- 204.

pta, magno numero & diligenter recenſita repetere hoc in loco neceſſe non eſt, cum ea maximam partem vel ex Actis noſtris cognita ſint. Id ultimo loco monemus, nomina eorum, qui a Chriſtina Sueciæ Regina in Academiam, ipſius auſpiciis Romæ inſtitutam, recepti fuerunt, inter quos Noriſius non ultimus eſt, in Vita hac commemorata legi p. 205. Singulis his Vitis eorum effigies præmiſſa eſt, ad quos illæ pertinent. Singulis quoque ſubjecta leguntur ſuffragia eorum, quibus vita cujusque digna viſa eſt, quæ deſcriberetur & ad poſteritatem transmitteretur. Ceterum alteram Vitarum harum Partem, quæ nuper admodum prodiit, proxime Supplementis inſeremus.

EXCERPTA E LITERIS VIRI CELEB. LUDOVICI ANTONII MURATORII ad J. B. M.

QUod habet Clariſs. Hornius in Orbe Pol. p. 246 de Brixello, ratione cujus beneficiarium Mantuani Ducis Mutinenſem Ducem ille facit, quaſi pro feudo Brixelli par calcarium quotannis perſolveretur ab Ateſtinis Principibus Domino Mantuæ, a veritate prorſus alienum eſt. Hornium & alios in hunc errorem pertraxit Relatio quædam Italice ſcripta. Conceſſit anno *1479* Hercules I Ferrariæ &c. Dux Caſtrum novum Dertonenſis diœceſis Bonæ & Joanni Galeatio Ducibus Mediolani, atque ab ipſis permutationis gratia recepit Brixellum, Boretum, aliaque loca cum aquis Padi. Deinde Maximilianus Imperator anno *1509*, Carolus V anno 1526 & 1535, & reliqui ſubinde Imperatores de Brixello, ejusque juribus omnibus, ceterisque iis locis, Eſtenſem familiam inveſtierunt, & adhuc inveſtiunt, nulla unquam Inveſtitura ſuſcepta e Ducibus Mantuæ; nam & ipſi nullum unquam jus habuerunt, immo neque ſibi tribuerunt, in Brixellum, Borettum, & contermina loca, Eſtenſibus ſubiecta. Hinc, nemine vetante, perpetuo Eſtenſes in aquis Padi prope Brixellum armatam Triremem tenuerunt in ſuæ ditionis ſignum, atque exercitium, ut vectigal a navibus illac tranſeuntibus recipiant. Fabula calcarium inde nata, quod Hippolytus Cardinalis Eſtenſis pro quadam Inſula

in

Digitized by Google

in Pado poſita conventiones ſtatuit anno *1539* cum Duce Mantuano. At iſtæ neque Brixellenſem ditionem attingebant, neque attingere poterant; ipſa quippe non ad Cardinalem, ſed ad Ducem ejus fratrem ſpectabat, atque ad Imperatorem Dominum directum; quare ex defectu cum voluntatis, tum poteſtatis, nihil operatus eſt Cardinalis iis conventionibus, quod poſſet ad Brixelli jura trahi, ejusque diſtrictum ac territorium percutere. Neque vero par calcarium unquam perſolverunt Eſtenſes, neque perſolvunt, ne pro illa quidem Inſula, quæ jamdudum evanuit. Itaque ex Hornii atque aliorum libris expungenda eſt ſententia illa, nullo nixa veritatis fundamento.

PETRI VAN HOEKE LUCUBRATIONES in Catechiſmum Palatinum.

Lugduni Batavorum, apud Joh. du Vivie, 1711, 4.
Alph. 3 plag. 4.

HIc Catechiſmus, qui Symbolicam auctoritatem in Eccleſia Reformata obtinuit, Palatinus dicitur & Heidelbergenſis, quia in Palatinatu, & Heidelbergæ, auſpiciis Friderici III Electoris Palatini a Zacharia Urſino & Caſparo Oleviano ſermone Teutonico primum conſcriptus & in lucem emiſſus eſt anno MDLXIII, poſtquam ab Inſpectoribus Eccleſiarum publice ad id evocatis reviſus & approbatus eſſet. Hoc doctrinæ Reformatæ compendium non ſolum a Joſia Lago & Lamberto Ludolpho Pithopæo in Latinum ſermonem verſum eſt, ſed exteris etiam Eccleſiis perplacuit. Inter quas Eccleſia Belgica fuit, quæ poſt annos octo a publicatione Catechiſmi, nempe anno MDLXXI, in Emdana Synodo eum recepit, atque publicum ejus uſum inter graviſſimas Albani Ducis vexationes ſervavit ac ſtabilivit. Idem fecerunt Synodi, Dordracena anno MDLXXIIX, Medioburgenſis anno MDLXXXI, & Hagienſis, anno MDLXXXVI. Donec tandem Nationalis Synodus Dordracena anno MDCXVIII hunc Catechiſmum denuo approbaret, ejusdemque doctrinam Scripturæ S. conformem eſſe publica ac ſolemni formula declararet.

Non ignoravit harum Lucubrationum Cl. Autor perdoctos aliorum labores, qui in hunc Catechiſmum exſtant. Scivit, non ſolum ipſum Zachariam Urſinum aliosque ex veteribus in in hoc libro vidiſſe, quæ expoſitione quadam & illuſtratione indigebant, ſed recentiores etiam alia inveniſſe, quæ illis addenda erant. Quorum commentationes quamvis magnopere commendet, permulta tamen ſupereſſe putat, quæ ulteriori ſtudio, & accurato modeſtoque examine inveſtiganda ſint. Poſtquam igitur ingenii vires in exponendis quibusdam oraculorum divinorum partibus expertus erat, quando nunc Epiſtolam ad Hebræos interpretatus eſt ſermone Latino, nunc Commentariis Belgicis expoſuit Jobi Librum, nunc Prophetas ſex ultimos notis vernaculis illuſtravit, in Catechiſmo etiam Palatino, ſibi aliquid tentandum eſſe ratus, methodo analytica eum explicavit. Ut vero doctrinam ejus ex Scriptura S. proponeret ac demonſtraret, plurima Scripturæ loca, quibus argumenta probantur, non modo allegavit, ſed breviter etiam ſtrictimque illuſtravit. In ea quippe ſententia eſt Cl. Autor, qui Jo. Cocceji veſtigiis inſiſtit, teſtimonia Scripturæ ex umbone & inter ſcribendum non modo alleganda, ſed brevi etiam circumſcriptione exponenda eſſe, quod præſertim ad iſtam eorum partem attinet, qua aliquod doctrinæ caput docetur, firmatur, ac demonſtratur. Hoc enim ex Autoris noſtri judicio demum eſt legem Domini meditari, ſpiritualia cum ſpiritualibus conferre, & veritatem cum conſcientiæ convictione demonſtrare. Vice quippe plus ſimplici ſeſe expertum eſſe ait, permultum emolumenti illam locorum Scripturæ explicationem attuliſſe auditoribus & lectoribus, qui naſi emunctioris & aerioris judicii erant. Dabimus hujus explicationis unum alterumque exemplum. Ad *Queſt. I* probaturus nos animo & corpore Chriſto Domino proprios eſſe, locum 1 Cor. VI, 20 ita recitat: *Empti eſtis*, ex peccati poteſtate, *pretio*, obedientia & ſanguine Chriſti pretioſo. *Glorificate igitur Deum in corpore veſtro, & Spiritu veſtro, quæ ſunt Dei*, Chriſti, qui Deus, & divinitatem in emptione demonſtravit. Et quia in humanis anima non ſubjicitur dominio hominis, colligit exinde, Chriſtum, cujus proprii

prii ſumus corpore & anima, eſſe verum Deum. Paullo poſt Chriſto vivendum eſſe oſtenſurus, verba Galat. II, 19, 20 hunc in ſenſum profert: *Ego per legem*, in Chriſto impletam pro me *legi mortuus ſum*, ne me amplius damnet, *ut Deo vivam*, ut Deus mea vita ſit, & ego Deo ſoli vivam. *Ego cum Chriſto crucifixus ſum*, ipſi datus ab Patre. *Vivo enim*, per fidem, *non autem ego, vivit enim in me Chriſtus* per Spiritum vitæ auctorem. *Quod autem nunc vivo in carne*, in his terris, *in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me* ab æterno, & in temporis plenitudine *tradidit ſe ipſum pro me.* Ad *Quæſt.* XXXIII p. 143 obſervat, Chriſtum nominari *πρωτότοκον*, Hebr. I, 6, & *πρωτότοκον πάσης κτίσεως* Coloſſ. I, 15, non *πρωτόκτιστον*, ſed *primogenitum omnis creaturæ*, ſeu genitum ante omnem creaturam. Unde Scholiaſtes habet *πρὸ πάσης κτίσεως γεννηθεὶς.* Qui & ita genitus eſt a Patre, ut non ſit creatura. Qui inter creaturas eminet, ut Genitus, Primogenitus, adeoque ut Unigenitus. Qui & eſt Dominus creaturæ omnis, per quem & ad quem creatura omnis eſt condita; qui ergo eſt ante omnem creaturam v. 16, 17, 18 & Prov. VIII, 22. Unde *Ἀρχὴ τῆς κτίσεως*, *Princeps creaturæ*, Dominus creaturarum, Apoc. III, 14, & fidelium, qui ſunt *κτίσις* Marc. XVI, 15. Eminens ergo, ut primogenitus inter omnes creaturas, ut qui *in initio* omnia *creavit*, Joh. I, 1, 2, habensque jus hereditandi omnia, ut filius in familia patris ſui. Hac ratione innumera Scripturæ loca, ad confirmandam doctrinæ Catecheticæ veritatem allata, illuſtrat, &, ubi opus eſt, ab adverſariorum detorſionibus erudite vindicat.

NICOLAI GURTLERI DISSERTATIONES de JESU CHRISTO in Gloriam evecto, fatisque populi ipſius, ex hiſtoria & vaticiniis repetitæ.

Franequeræ, apud Wibium Bleck, 1711, 4.
Alph. 3.

JEſum Chriſtum in gloriam evectum conſideraturus Cl. Autor, cujus perhonorificam mentionem in his Actis aliquoties fecimus, *Diſſertatione I*, de Apparitionibus Jeſu Chriſti ex mortuis

tuis ſuſcitati agit, & difficultates, quæ circa hiſtoriam reſurrectionis Chriſti ſeſe offerunt, ſolvit. *Primum* dubium ab aliis interpretibus fere neglectum, eſt de convenientia prædictionis Jeſu Chriſti cum eventu. Etſi enim paulo ante, quam caperetur ab hoſtibus, ad diſcipulos dixit: *Poſtquam ſurrexero, præcedam vos in Galilæam,* Matth. XXVI, 32 & XXVIII, 10, nihilo tamen minus Liberator redivivus die primo ſub veſperam Apoſtolis non in Galilæa, ſed ipſis Hieroſolymis præſentem ſe ſtitit Luc. XXIV, 33, 36. Ad tollendam hanc difficultatem *primo* obſervat, Jeſum a mortuis excitatum præſtitiſſe munus fidi paſtoris, qui oves errantes, aut opilioni non occurrentes ipſe quærit. Hinc quia diſcipuli non erant in Galilæam profecti, ſed Hieroſolymis ſubſtiterant propter inſidias Judæorum, & ob dubitationem de Chriſto ex mortuis vere ſuſcitato, Chriſtum mutato itinere propoſito, Hieroſolymas ſeſe contuliſſe, ibidemque Apoſtolos ac eorum ſodales inveniſſe, ſecundum ipſius Domini prædictionem, Ezech. XXXIV, 11, 12, 16. *Deinde* oſtendit, Jeſum e mortuis excitatum iter Galilæam verſus revera inſtituiſſe, & diſcipulos eo venturos exſpectaſſe, ſed fruſtra. Nam ex Luca conſtare, Servatorem ſub veſperam diei, quo reſurrexit, fuiſſe in via Emmauntem ducente. Qui vicus in via Galilæam verſus tendente jacuit, uti e tabulis Geographicis Ptolemæi & aliorum oſtendi poteſt. Et quia illa via valde erat aquatica, Autor noſter exiſtimat, Jeſum clam navigio in Galilæam commodiſſime pariter & tutiſſime trajicere potuiſſe. Quam conjecturam in *Addendis* §. *VI* ab Illuſtris Viri objectionibus, qui Servatorem ſuſcitatum navi ad trajiciendum indiguiſſe negarat, vindicare conatur. Dubium *ſecundum* huc redit: cur Jeſus ſub veſperam, poſt occaſum Solis, apparere diſcipulis voluerit, etſi diurna lux opportunior fuiſſet ad demonſtrandam veritatem reſurrectionis ſuæ? Nam *ὄσης ὀψίας τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων .... ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς* Joh. XX, 19. Ad tollendam hanc difficultatem obſervat, Jeſum, diſcipulis ſeſe Hieroſolymis monſtraturum, debuiſſe hanc urbem plenam virorum intrare, & aliquantam ejus partem tranſire, donec veniret ad ædes, in quibus illi latebant. Igitur ſi interdiu ur-

bem

bem intraſſet, a Judæis viſus eſſet, quibus tamen clare prædixerat Servator: *nequaquam me videbitis ab hoc tempore, usque dum dicatis: benedictus, qui venit in nomine Domini*, Matth. XXIII, 39, quorum verborum hunc ſenſum eſſe putat: me vobis Hieroſolymitanis non iterum faciam notum, antequam veniat tempus converſionis Judæorum circa mundi finem, ubi cupide me amplectemini. Neque falli ſe, Autor noſter putat, ſi credat, Jeſum cum diſcipulis novum fuiſſe incurſurum periculum, ſi Judæi ſciviſſent, ipſum Hieroſolymis agere. Nam ſicuti male tractarunt Apoſtolos reſurrectionem Jeſu Chriſti annunciantes: ita, quatenus potuiſſent, ipſi ſuſcitato Liberatori non parſuros fuiſſe, ſi denuo in impias eorum manus incidiſſet. Præterea nec glorioſum Meſſiam decuiſſe, ſe denuo inſidiis, violentiæ, aut contumeliæ exponere. Diſſertatione II Cl. Autor Chriſti Pontificis apparitionem in cœlo, præeunte Apoſtolo Ebr. IX, 11, 12 & 24, luſtrat. Ubi perbelle obſervat, *ἀλήθειαν veritatem* in hoc argumento notare vel complementum promiſſionum & vaticiniorum, vel exhibitionem rerum, per typos, umbras, imagines præfiguratarum, Joh. I, 14 & 17. Propterea τὰ ἀληθινὰ Ebr. IX, 24, eſſe cenſet res ſpirituales & cœleſtes, repræſentatas olim per typos & umbras, quemadmodum Chriſtus in oppoſitione *mannæ* ſeſe vocet τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὸν ἀληθινὸν, & ἄμπελον τὴν ἀληθινήν, Joh. XV, 1. Quibus exemplis hic ab Autore allatis addi forte locus poſſet Joh. I, 9, ubi Chriſtus τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν dici videtur in oppoſitione ad τὸ φῶς σκιατικὸν, *lumen* Vet. Teſt. *umbratile*, ubi Meſſias, fatentibus ipſis Judæis, per mediam Candelabri aurei lucernam, & per Urim ac Thumim, aliasque res præfigurabatur. Diſſertatio III gloriam Servatoris apud Patrem in cœlis deſcribit, & a Socinianorum criminationibus vindicat. Quarta, cujus in Elencho præmiſſo nulla fit mentio, perpetuum Jeſu Chriſti ſacerdotium in cœlo adhuc durans ex Ebr. VI, 20, VIII, 1, X, 12 & Zach. VI, 13 enarrat, & contra Catechiſmi Racovienſis autorem probat, Jeſum in terra fuiſſe ſacerdotem, quia in terra ſacrificium Patri obtulit, dum *ſemet ipſum tradidit pro nobis oblationem & victimam Deo*, Eph. V, 2,

Ebr. X, 10, 12, VII, 27. Quemadmodum enim Pontifex Magnus magno illo expiationis die victimas propitiatorias non offerebat in adyto, ſed extra illud, mox cum ſanguine mactatæ pecudis in id ingreſſurus, ſpargendo verſus propitiatorium, Levit. XVI, 12-16, ſic Chriſtum non in cœlo, *ubi requievit*, Ebr. IV, 10, immolatum, ſed extra cœlum in terra paſſum ac mortuum eſſe docet. Ubi Cl. Autor exiſtimat, ipſum propitiatorium, perinde ac altare, ſanguine victimæ conſpergi debuiſſe. Qua in re omnes propemodum Interpretes, rerum Hebraicarum peritos, contradicentes habet, qui obſervant, iſtas ſanguinis adſperſiones non contigiſſe ipſum propitiatorium, ſed in aere factas eſſe, ut ſacerdos ad palmi latitudinem ab arca recederet. Hoc præter Maimonidem, Moſen Kotzenſem, & Raſchium inculcat Bartenora ad Miſchnam Joma Cap. V §. III, ex quo id adnotavit Sheringhamius in *Notis*. Diſſert. IV Meſſiæ moribundi ſpem hereditatis & vitæ ex Pſ. XVI deſcribit. V ex Pſ. XLVII, cujus ſententias & ſingula propemodum verba eleganter enucleat, Meſſiæ a mortuis ſuſcitati reditum in cœlum ad occupandum regnum delineat, annectitque ſpecimen dogmatum & uſuum practicorum ex hoc Pſalmo eliciendorum. VI eodem fere docendi ordine uſus Pſalmum CX interpretatur, ex eoque Regale Meſſiæ ſacerdotium in cœlo, & victoriam decantat. VII ſiſtit perpetuitatem regni Meſſiæ inter inimicos ex Pſalm. II, quem Chriſto vindicat, eruditeque explanat. VIII Meſſiam perpetuum Eccleſiæ paſtorem contemplaturus, Pſalmum XXIII perluſtrat, in quo ſiſti cenſet Eccleſiam beneficiis præſtiti Meſſiæ ſatiatam per omnes N. T. periodos, quod probat cum ex nexu illius cum Pſalmo præcedente XXII, qui non ſolum de perpeſſionibus Meſſiæ 1--26, ſed etiam de beneficiis ex paſſione Chriſti ad Eccleſiam redundantibus 27--32 agit: tum ex argumento Pſalmi præſentis, quia ille, qui in eo loquens introducitur, eſt ſaturatus bonis Jehovæ, & ob ſatietatem lætus ac tranquillus, quibus privilegiis gaudeant ſolum fideles Novi Teſt. Iſraelitas enim gloriari non potuiſſe, quod non deficerent, vel nullius boni inopia laborarent, quippe qui *Teſtimonium adepti per fidem, non obtinuerunt promiſſum*, Ebr. XI, 39.

IX ſuc-

Digitized by Google

IX ſuccinctam exhibet epulorum ſacrorum conſiderationem. X magnum Jehovæ nomen, per Filium hominis depreſſum & exaltatum, e Pſ. IIX enarrat. Tandem in XI deſcriptis Chriſti & populi Chriſtiani fatis ex Eſ. cap XI, Diſſertatio XII conſiderat Canticum Hannæ, quod 1 Sam. II, 1-10 exſtat, & difficultates contra *Diſſertationem* de apparitionibus Jeſu Chriſti ex mortuis ſuſcitati, a ſummæ doctrinæ Viro motas in *Addendis* ſolvit.

ESSAIS DE TRADUCTION OU REMARQVES SUR les Traductions Francoiſes du N. T.

h. e.

TENTAMEN VERSIONIS SIVE ANIMADverſiones in verſiones Gallicas N. T. quibus & verſiones illæ recognoſcuntur, & commentarius literalis in loca difficiliora ſuppeditatur a JO. MARTIANAEO, Benedictino ex Congregat. S. Mauri.

Pariſiis, apud viduam Ant. Lambini, 1710, 12 maj.

Plag. 17.

EN continuationem Speciminis illius, quod Pariſiis ab eodem Autor ἀνωνύμως editum ſuperiore Anno p. 123 recenſuimus. Probavit ſe inſtitutum eruditis, atque adeo operæ pretium facere ſibi viſus eſt Autor, ſi obſervationes in aliquot Scripturæ loca, rectius vertenda, antea editas cum aliis conjungeret, & omnes uno volumine comprehenderet. Antea vero quam hoc ageret Cl. Autor, in Præfatione inſtituti ſui rationem exponendam cenſuit, nec obſcure indicavit, quibus potiſſimum præſidiis innixus ad emendandas Interpretum Gallorum hallucinationes acceſſerit. Cum enim intelligeret, pleroſque omnes ſenſum Scripturæ non tam ex ipſius viſceribus, quam ex Interpretibus, iiſque in Sacro Codice minus verſatis, derivare ſolere, ipſe mentem Scriptorum Sacrorum ex ipſis eruere aggreſſus eſt, facta diligenti Scriptorum utriusque Fœderis comparatione, ſine qua N. T. dictionem obſcuram eſſe non temere nec præter rationem judicavit. Hanc itaque cynoſuram ſequens totum Novum Inſtrumentum perſecutus eſt, in Matthæo

tamen illuſtrando majorem induſtriam collocavit, in epiſtolis vero brevior fuit, quarum locos difficiliores tantum perſtrinxit, de reliquis ſingulari opera commentaturus, atque operam daturus,ut,quod in hoc Tentamine itidem ſedulo obſervavit, inprimis ab Hebraismis, ſenſum vel evertentibus, vel obſcurantibus, in verſionem inferendis ſibi caveat. Non commemorabimus nunc eas obſervationes, quæ dicto loco a nobis recenſitæ & in hoc volumine eadem fere ratione repetitæ ſunt, ſed alias quasdam afferemus, ut appareat, Cl. Autorem ſibi conſtare, & eadem via incedere. In Matthæi cap. V v. 44 legitur verbum ἐπηρεάζειν, quod Latine per *violente aliquem opprimere* efferendum putat, monetque, Scripturam Sacram omnis generis injurias & vexationes *calumniæ* nomine deſignare. Provocat ad Gen. XLIII, 18, Lev. XIX, 13, Proverb. XXIIX, 16 & Eccleſ. IV, 1. Matthæi XXIV, 51 vim verbi διχοτομεῖν omnes Interpretes latuiſſe obſervat, qui, in omnia alia digreſſi,rem optime egiſſent,ſi illam diviſionem,quæ hic innuitur,de extrema animæ &corporis ſejunctione ſive de immiſſa morte interpretati eſſent, qua facta vel felix vel infelix in altera vita ſtatus ſequi ſoleat. Hanc verbi notionem probat ex ſimili ſignificatione verbi cognati *percutere*, quæ obtinet 2 Reg. VI, 7, 8 & Paralipom. XIII, 10, 11 per *dividere* exprimitur. Cap. XXVI, 12 verbum ἐποίησα ſacrificandi ſenſu accipi vult, quem alibi etiam, ac nominatim Exodi XII,47,XV. 15,Num VI,15 & 16,obtinere cenſet. In cap. I Evangelii S. Marci obſervat, vocem ἤγγικε, quam Latini Interpretes, & cum illis Galli, appropinquandi ſignificatu accipiunt, rectius explicari per *advenit*, *præſens eſt*. Hanc interpretationem ipſis Johannis Baptiſtæ verbis confirmat, qui alibi profeſſus eſt, inter medios Judæos eum verſari quem non noſſent. Facile ex his exemplis apparet, quid de reliquis animadverſionibus ſit ſentiendum,quarum pleræque ita comparatæ ſunt, ut in convenientia ſtyli Sacri N. T. cum dictione Veteris nitantur. Sunt inter eas nonnullæ, quas aliorum induſtria jam occupavit, ſed quæ tamen ut plurimum novis argumentis adſtruuntur.

Google

'S HEILANDS GEBOORTE &c.

h. e.

NATIVITAS ET EDUCATIO JESU explicata a THEODORO UBINK, V.D. M. Alcmarienſi.

Delphis, apud Adrianum Beman, 1710, 4.
Alph. 4 pl. 6 $\frac{1}{2}$.

IN opere hoc poſthumo exponuntur res memoratu dignæ, quæ in infantia ac pueritia Jeſu Chriſti contigerunt. Caput primum agit de adventu magorum ex Oriente, ubi Cl. Autor ea, quæ de hoc hominum genere in hiſtoriarum monimentis reperiuntur, adjutus præcipue opera doctiſſimi Hyde, fuſe enarrat, ſtatuitque, eos, quia ſupremum Numen coluerint, & ad illud tanta pietate cor ſuum ſuſtulerint, non potuiſſe eſſe remotos a regno cœlorum. Nam Deum in toto genere humano habere ſuos, neque ipſi unquam deeſſe media, quibus teſtes veritatis poſſit excitare. Iſralem tempore nativitatis Chriſti fuiſſe cœcum, Hieroſolyma non habuiſſe curam Redemtoris ſui, at Deum ex longinquis regionibus Orientis teſtes veritatis adduxiſſe. Et credendum eſſe omnino, quod nec in poſterum teſtes tales defuturi ſint. Deum enim, qui habeat corda Regum in manu ſua, non ſolum poſſe vocare, ſed re ipſa etiam vocaturum eſſe peregrinos, ut Sionis mœnia ædificent, tumque impletum iri vaticinium Davidis Pſ. LXXXVII, 4: *Ecce Philiſtæus & Tyrius cum Æthiope in civitate Dei naſcuntur.* Capite ſecundo explicatur dictum Jacobi Gen. XLIX, 10: *Sceptrum non recedet a Juda, neque legislator a pedibus ejus, donec veniat Schilo.* Ubi per ſceptrum poteſtatem regiam, quæ tempore Chriſti penes familiam Herodianam erat, & per legislatorem Synedrium Hieroſolymitanum intelligit. Tertio capite diſſeritur de perturbatione Herodis & totius urbis Hieroſolymorum, quam ſenſerunt, cum nativitatem Regis Judæorum perciperent. Caput quartum continet commentarium in dictum Michæ V, 1, de loco nativitatis Jeſu, atque contra Judæos probat, Meſſiam jam eſſe natum, quia Bethlehemum, ubi ille ſecundum vaticinium

p. 50. 149.

Prophetæ naſci debebat, ante tot ſecula penitus fuerit deſtructum. Quinto capite referuntur negotia, quæ Bethlehemi a Magis fuerunt geſta. Sexto deſcribitur fuga Chriſti in Ægyptum. Statuit Autor, fugam hanc reditumque ex illa contigiſſe ante oblationem Chriſti in templo factam, adeoque intra diem quadrageſimum a nativitate ejus: id quod eo facilius credi poſſe exiſtimat, quod Bethlehemo in Ægyptum iter non amplius quam circiter triginta novem horarum fuerit faciendum. Septimo capite conſiderantur circumſtantiæ infanticidii ab Herode perpetrati: ubi Regis hujus exemplo oſtenditur, quæ ſit indoles hypocritarum. Nimirum eos, quo ſimulata ſanctitate pervenire nequeant, eo vi & crudelitate contendere, & tanto ſæpe furore agi, ut nec maxime innocentibus parcant. A talibus hominibus multa ſemper paſſam fuiſſe eccleſiam, neque unquam ipſi quam diu in his terris luctetur, calamitates defuturas. Metuit etiam Cl. Autor, ne adhuc gravis quædam perſecutio immineat, qua eccleſia purificetur: ejusque rei non obſcura veſtigia in S. Literis reperiri dicit. Capite octavo multa commentatur in oraculum Jeremiæ XXXI, 25, quo crudele illud infanticidium prædictum fuit. *Vox*, inquit Propheta, *in Rama audita eſt, lamentatio, fletus atque ejulatus multus, Rahel deflet liberos ſuos, nec vult conſolationem admittere, quia non ſunt.* Hæc verba Autor literaliter de infanticidio Herodis agere docet, quamvis Jeremias paulo poſt Raheli id ſolatii loco afferat, quod liberi ejus e terra hoſtili reverſuri ſint: ut adeo ſenſus literalis magis diſperſionem Judæorum in terras exteras reſpicere videatur. Capite nono illuſtratur dictum ex Prophetis a Matthæo II, 23 allegatum: *Nazoræus vocabitur.* Exiſtimat Autor, hæc verba deſumta eſſe iis ex locis veteris Teſtamenti, ubi Deus dicitur *Nozer*, hoc eſt, *cuſtos.* Accepit hanc conjecturam a Cl. Witſio, qui ſe eam Fauſto Socino debere faſſus eſt, quamvis & inter noſtrates doctiſſimus Brentius ejusdem ſententiæ fuerit. Capite decimo tractatio inſtituitur de purificatione Mariæ & oblatione Chriſti in templo facta: ubi legis Divinæ, matrem, quæ maſculum peperit, quadraginta tantum dies impuram declarantis, in ea autem, quæ fœmellam

mellam peperit, tempus iſtud duplicantis, hæc ratio redditur, quia Eva duplex peccatum admiſerit, dum non ſolum ſe ipſam inquinarit, ſed maritum quoque ſuum ſimul ſeduxerit. Capite undecimo de Simeonis perſona, duodecimo de ejus cantico aliqua notatu non indigna perhibentur. Inter alia ad verba Simeonis, *Lumen in revelationem gentium & gloriam populi tui Iſraelis*, Cl. Autor hanc meditationem ſubjungit: conſulto a Simeone eſſe factum, ut gentes Iſraeli præponeret. Nimirum vim vaticinii hujus usque ad extrema ſecula ſe extendere, & fore in ultimis diebus, poſtquam plenitudo gentium intraverit, ut univerſus etiam Iſrael lumen Chriſti agnoſcat & in eo gloriam ſuam quærat. Capiti decimo tertio Cl. Autor argumentum fecit de ſalutari Dei, quod eſt lapſus & reſurrectio multorum in Israele, & ſignum, cui contradicitur. Decimo quarto expendit teſtimonium, quod Anna Chriſto in templo præbuit. Statuit, verba Pauli, *Mulier taceat in Eccleſia*, non eſſe extendenda ad caſum extraordinarium, ſi qua mulier afflatu divino agatur, quam ob cauſſam Mirjam, Debora, Hulda & filiæ Philippi Evangeliſtæ exercitio doni ſui Prophetici uti minime dubitarint. Caput decimum quintum de educatione Chriſti, & decimum ſextum, quod ultimum eſt, de ſeſſione ejus inter doctores templi, qui more tunc uſitato cum auditoribus ſuis colloquia inſtituebant, animadverſiones quasdam affert. Appendicis loco ſubjectæ ſunt tres homiliæ ſacræ in Jeſ. LXV, 20, Joh. VIII, 56 & 1 Cor. XV, 55, 56, 57: quæ dictus Cl. Autor, ſecutus ductum optimorum interpretum, olim pro concione publica explicavit.

MATTHÆI HILLERI SS. THEOL. GRÆcæque & Orient. Linguar. Prof. Publ. Inſtitutiones Linguæ ſanctæ.

Tubingæ, apud Jo. Georg. Cottam, 1711, 8.
Conſtat 2 Alph. 1 plag.

CLar. Hillerus, cujus libellum de Arcano Keri & Kethib ſupra Anno 1693 M. Sept. p. 425, & Tractatum de Gemmis duo-

duodecim in Pectorali Pontificis, qui hoc ipſo anno cum aliis ejus diſſertationibus recuſus eſt, Anno 1699 Menſe Jun. p. 278 laudavimus, ut Onomaſticum & alia ejus ſcripta taceamus, Grammaticam quoque Hebræam conſcripſit, & fundamenta ſanctæ linguæ luculentius proponere laboravit. Nimis prolixum & fortaſſe inutile foret, omnia colligere, quæ in hoc libello deſcripta ſunt, ſufficiat delibaſſe ea, quæ ſingularia in eo offendimus. In uſu verſionis literarum p. 10 notat, quod ז Evangeliſtæ conſtanter per ζ transferant, quare Ναζαρὲθ, Ναζαραῖος non ex נצרת vel הנצרי, ſed potius ex נזרת & הנזיר exſcripſerunt, & a corona denominaverunt. Deinde cum oſtendiſſet, quæ literæ Hebrææ ſociabiles & inſociabiles eſſent, pergit
p. 54. ad vocales, & inter alia agit de vocibus, quæ alienis vocalibus ſcribuntur, exiſtimatque, nomen Dei לַיהוָה & יְהוִה ſemper efferendum eſſe *Ladonai Jehova*, *Elohim Jehova*, quia Nomini Jehova literam ſervilem præfigere nefas eſt. Sed adhuc quæritur, cur Nomen ליהוה ſcriptum ſit, ſi eidem ל præfigere ne-
72. fas eſt. De accentibus optimam tenet ſententiam, quod illa ſigna ſint rectæ pronuntiationis, quæ 1) tonum ſyllabis congruum imponunt, 2) verba cohærentia conjungunt & diſcreta diſtinguunt, 3) moram vocibus diſcretis interponunt, 4) voces alias tardius, alias celerius proferunt, 5) ſonum vocis inten-
158. dunt vel remittunt, vel ſuaviter & jucunde modulantur. Conjugationum ſignificationes ita explicat, ut Kal ſignificet *Participium* vel *Adjectivum* & verbum *eſſe*, v. g. פקד *recenſentem* & *præfectum eſſe*, מות *morientem* & *mortuum eſſe*. Niphal *participium præſentis* & verbum *fieri*, v. g. נֶהְלָךְ *abeuntem fieri*. Hiphil, *Participium Præſens* & verbum *facere*, v. g. הִפְקִיד *præfectum fecit*, cujus Paſſivum eſt Hophal v. g. הָפְקַד *præfectum fieri*. Piel, *Participium Præter:* & verbum *præbere*, *exhibere*, v. g. חִכֵּם *Sapientem præbere*, cujus Paſſivum eſt Pual, v. g. חֻכַּם *Sapientem præberi*. Hithpael, verbum *præbendi*, *Participium præteritum* & *pronomen ſe* v. g. הִתְפַּקֵּד *recenſitum ſe exhibere*.
173. Verba mediæ Rad. י deducit ex media Rad. ו, & fundamenti loco hanc ponit regulam: Joth media Radicalis litera, quoties cum alia, quam cum ſcheva ſcribitur, extrita, punctum ſuum ad-

jicit

Digitized by Google

jicit radicali primæ. Sic loco קְיוּם dicitur קִים & loco יְקוּם legitur יָקוּם. Sed hanc regulam non eſſe univerſalem cognoſcimus ex eo, quod legamus מַעְיָן *rivus*, & non מַעַן. Præterea addit aliam Regulam: Si excludenda media radicalis fuerit ſcheva mutum, ea vertitur in י v. g. קִימִי pro קְוּמִי Imperat. quod in Nominibus non fit; dicitur enim לַיְלָה & non לֵילָה. Verba excipiunt nomina, quod hæc ab illis plerumque derivantur. Genus nominis ex ſignificatione, terminatione, apocope, ellipſi & anaphora cognoſci tradit. V. g. 2 Reg. III, 26, *cum videret Moab, quod* חזק (maſc.) *invaleſceret præ ſe* המלחמה *bellum* (fœm. h. e. vir belli.) Gen. XLIX, 15, *& videbat* מנוחה *quietem* כי טוב *quod bona* h. e. videbat quietem, quod eſſet res bona. Porro pluralia maſculina, quorum ſingularia fœminina ſunt, deducit ab antiquis & inuſitatis ſingularibus maſculinis, v. g. אֵלָה *quercus* pl. אֵלִים *robora* ex inuſit. אַיִל *quercus*. Sic quoque pluralia fœminina, quorum ſingularis maſculinus eſt, ex antiquis inuſitatis fœmininis derivat, v. g. אוצרות *theſauri* ab inuſit. אוצרה, cujus loco occurrit uſit. אוצר Maſc. Tandem prolixum Nominum catalogum ſubnectit, ut doceat, quomodo nomina deſcendant a ſuis radicibus, in quo Buxtorfium frequenter emendat. Nec omiſſa ſunt nomina compoſita, quæ quandoque eleganter a Cl. Viro exponuntur, v. g. אֶלְגָּבִישׁ *grando*, compoſuit ex אֶגֶל *gutta* & בִּישׁ *pernicioſus*, ut *guttam pernicioſam* ſignificet; הֵילֵל *Lucifer* ex הֵיל *ſplendor* & לֵיל *nox*; חֲנָמַל *grando ſæva* ex חנן *miſerere* & חמל *parce*. חשמל *fulgur* ex חש *feſtina* & חמל *parce*. Ad literas paragogicas Noſter א & י non refert, quod exiſtimat eas vel eſſe radicales, vel ex radicalibus natas. Transpoſitionem literarum etiam urget, & ex hoc fundamento ארי *leo* pro רְאִי *viſus* poſitum eſſe putat. Sic quoque זְוָעָה *commotio* ponitur loco זַעֲוָה Jeſ. XXIIX, 19, & עִיר *urbs*, loco רִיעַ *vociferatio* Jer. XV, 8, מֵית pro מְתִי a מתה unde מְתִים *homines* Jer. XXIII, 31, הלוקחים *qui capiunt*, loco החולקים *qui lenes ſunt*. Licet h. l. LXX & Chald. verſio tolerari poſſit, qui vertunt, *qui capiunt vel furantur verba ſua*. לְהַקַת *congregatio* pro קְהִלַּת 1 Sam. XIX, 20 & plura alia.

 Eodem

Eodem modo literarum quarundam permutationem oblationem & eliſionem docuit. Vocalium mutationem traditurus, ejus cauſam in accentu ejusque vicinia, vocis decremento, dageſch forti, contiguis vocalibus, contrariis punctis, literis, ſtatu conſtructo, differentia originis, & denique proprio nomine quæſivit. Caput ultimum agit de promiſcue dictis v. g. de accentuum promiſcuo poſitu, de verborum promiſcua forma שמע & שמע. ציר & נציר, ינמיר & ימיר &c. tandem prolixam claſſem nominum ejusdem notionis exhibet. v. g. תם, תמים, [illegible] integer, quæ indicaſſe nobis ſufficit.

SUCCINCTA DELINEATIO DOCTRINArum uſu frequentium, de Actionibus, gradibus matrimonialibus, & ſucceſſione ab inteſtato, in uſum lectionum Academicarum conſcripta a JUSTO HENNINGO BOEHMERO, D. P. P. & Facult. Jurid. Aſſeſſ. in Acad. Reg. Frideric.

Halæ Magdeb. ex officina Rengeriana, 1710, 8.
Alph. 1 pl. 12.

JCti omnes, qui non ſimulatam ſed veram Philoſophiam profitentur, in eo inter ſe conveniunt, quod futuro Practico imprimis commendata eſſe debeat doctrina tum de *proceſſu*, tum de *actionibus*. Illa quidem in Academiis haud ſolet negligi, id quod tot Introductiones in praxin forenſem oſtendunt; hæc vero non eadem ſollicitudine excuti & inculcari ſolet, quæ tamen inſigne momentum in ipſa praxi habet. Inde hanc ſpartam ſibi vindicavit Autor præſentis Delineationis, id quod tum ipſa rubrica libri, tum præfatio ſatis docet. Scripſit hunc libellum in *uſum lectionum Academicarum*, ut viri ſedulo operam dantes præcavere poſſent, ne vel in genere actionis errarent, vel incommodum remedium eligerent. Inſigni quippe præcautione opus eſt in eligendis juris remediis, quæ electio tamen commode inſtitui nequit, niſi quis commoda, incommoda, naturam & indolem cujusque remedii exacte ſciat. Hic ſcopus videtur fuiſſe Conſultiſſimi Autoris, ut ſuccincte naturam remediorum enuclearet, ſimulque formulas libellorum uſitatas præſcriberet, indeque

Digitized by Google

indeque applicationem remediorum oſtenderet. In *Præfatione* fuſius *fata proceſſus civilis* recenſet, oſtendendo, proceſſum Romanorum, ante jus Flavianum & Ælianum introductum, ſimpliciſſimum nullisque ſubtilitatibus obnoxium, mox tamen valde corruptum fuiſſe *jure formulario*, & ex eo concluſiones infinitas in Corpore Juris adhuc ſupereſſe, ut multi JCti in reconcinnando proceſſu Romano deſudaverint. Cum vero hic per aliquot ſecula neglectus fuerit, inde factum fuiſſe docet, ut antiqui gloſſatores imprudenter quævis Juris Rom. ſcita ad fora noſtra applicare & Pontifices jus canonicum traditionibus gloſſatorum implere ſtuduerint; inde quoque penetraſſe proceſſum hunc ambiguum cum jure Canonico in Germaniam, & ſimplicitatem, olim in litibus diſcutiendis uſitatam, plane abſorpſiſſe, cum inſigni totius Germaniæ detrimento; inde adeo lites ex litibus auctas fuiſſe, ut erectio Cameræ Imperialis neceſſaria fuerit, quamvis hæc ipſa proceſſum juris Canonici magis magisque promoverit anſamque dederit, ut tot ordinationes proceſſuum in quibuscunque provinciis publicatæ fuerint &c.

Ipſe tractatus *de Actionibus* tribus ſectionibus abſolvitur. Primo monſtrat *indolem Actionum peculiarem*, per tria capita, ubi *Cap. I de neceſſitate & utilitate hujus doctrinæ* agit, *Cap II differentiam & indolem remediorum* variam exhibet; docens, actiones ſtricte dictas ex legibus ortas, & ſuis limitibus circumſcriptas fuiſſe, ſecus ac apud Germanos antiquos; præter has tamen fuiſſe *extraordinarias perſecutiones*, & in iis uſum formularum, in actionibus uſitatarum, ceſſaſſe, inde tamen hodie *implorationes* proveniſſe, quarum indolem peculiariter explicat &c. Denique *Cap. III variam remediorum diſtinctionem* exhibet, quæ cum ſatis trita ſit, pauca tantum quædam recenſenda ſunt de nova explicatione diſtinctionis inter actiones bonæ fidei & ſtricti juris. Eſt hæc multum intricata variisque dubiis involuta, præſertim ſi communi Dd. opinioni inſiſtimus. Autor noſter proinde ab illa receſſit, aliamque plane novam explicationem ſuggeſſit. Putat ſcilicet, hanc diſtinctionem ex *jure formulario* ortum traxiſſe, & conventiones varias apud Romanos fuiſſe: (1) *naturales*, quæ apud omnes gentes obtinebant,

bant, & præſtationem naturalem ob hanc cauſam habere dicebantur: (2) *civiles* & *ſolennes*, juri Romano proprias, *l. 107 de ſolut* & *l. 53 ff. de acquir. rer. domin.* easque per verba ſolennia initas fuiſſe, tum *ſcriptas*, tum *ore nuncupatas*, indeque *verborum obligationem* & *contractum chirographarium* profluxiſſe. Hunc oſtendit jam cognitum fuiſſe in Pandectis, & veſtigia ejus ibidem apparere, nec quibuscunque, ſed verbis ſolennibus conſtitiſſe, uti conſtat ex *l. 40. ff. de reb. creditis*, & obligatio *Nominum* declarat, cujus naturam ex antiquitate illuſtrat. His præmiſſis docet, contractus omnes *Iuris Gentium* fuiſſe b. f. indeque ita dictos, quod ex mera æquitate, quæ in jure *bona fides* ſæpiſſime dicitur, vim obligandi caperent, & in iis non tantum, quid dictum & conventum, ſed etiam quid præterea æquum & bonum eſſet, attenderetur; e contrario contractus *formularios* & *civiles* ſtricti juris fuiſſe, &, cum in iis omnis obligatio ex *verbis ſolennibus* derivata fuerit, ſtricte *verbis* Romanos inhæſiſſe, nec ultra verba quid adjudicaſſe, utut vel maxime bonum æquumque eſſet. Illuſtrat hoc ipſum ex eo, quod *jus ſtrictum* apud Romanos ex jure formulario ortum traxerit, indeque concludit, paucisſimos contractus ſtricti juris fuiſſe, & ne quidem mutuum huc referendum eſſe, niſi quatenus per obligationem *nominum* ſolennem contractum fuerit, prout apud Romanos moris fuiſſe videtur. Similiter accurate diſtinctionem inter actiones *directas* & *utiles* illuſtrat, ejusque originem itidem ex formulis actionum trahit, docens, quibus caſibus hæ applicari potuerint, eas *directas* dictas fuiſſe, cum *directum* in jure dicatur, quod *formula uſitata* conſtat, unde *verba directa*, in legatis, ſubſtitutione, libertate &c. occurrunt; quibus vero eæ applicari haud potuerint, æquitas tamen evidens adfuerit, eas *utiles* dictas fuiſſe &c. *Sect. II* de ipſis *actionibus ſigillatim* agit, & prout jus eſt vel perſonarum vel rerum, ita *Cap. I* actiones ex ſtatu perſonarum deſcendentes perſequitur, & ſingula remedia hujus & ſequentium capitum formulis libellorum convenientibus illuſtrat. Non neceſſe eſt omnia referre, quæ circa ſingula remedia occurrunt, ſed tantum in genere ſufficit hoc annotaſſe, Cl. Autorem, quid circa ſingula reme-

dia

dia attendi debeat, quibus ſubjectæ ſint exceptionibus, commodis & incommodis, ſuccincte demonſtraſſe. Interim ſingularia quædam ex nonnullis capitibus colligere juvabit. Sic §. 15 defendit Strykii ſententiam, etiam inter vaſallum & dominum actioni præjudiciali locum eſſe, idque ideo, quia vaſalli peculiarem ſtatum induant, unde omnis eorum obligatio profluat. In ſeqq. explicat actiones præjudiciales tam *affirmativas* quam *negativas*, earumque varium uſum per exempla docet. Huc tamen minime referendam eſſe docet §. 46 *actionem ad ſponſalia conſummanda*, utpote quæ ex promiſſione ſeu pacto, non ex ſtatu peculiari ortum trahat. In *Cap. II Sect. I* de *actionibus in rem ex dominio & ſervitute* agit, & quæ huc pertinent, diſtincte explicat. Inter alia §. 26 p. 86 docet, *actionem Paulianam*, quam alii perſonalem, alii realem eſſe volunt, tam realem, quam perſonalem eſſe poſſe pro diverſitate circumſtantiarum; *realem* quidem, quando res quædam in fraudem creditorum alienata eſt; *perſonalem* vero, ſi obligationes in fraudem creditorum remiſſæ fuerint; illam in foro rei ſitæ, hanc in foro domicilii inſtituendam eſſe. §. 37 controverſiam, *an uſufructuarius directe ad vindicandas ſervitutes reales agere poſſit*? enucleat, oſtendendo eum contra extraneum non *ſuo* ſed *procuratorio* nomine ita agere, aut ipſum uſumfructum ſuo nomine vindicare poſſe; ſed contra ipſum dominum ei talem electionem haud competere. In *Cap. III actiones in rem ex jure hereditario & pignore* aliaque remedia huc pertinentia explicat, & peculiariter §. 42 de *querela inofficioſæ donationis* ſollicitus eſt, docens, ei tunc demum locum eſſe, ſi donatio in fraudem legis, ad defraudandos liberos in legitima facta fuerit, adeoque realem & ſpeciem hereditatis petitionis, ad exemplum querelæ inofficioſi teſtamenti, non vero perſonalem eſſe, & ad reſcindendam totam donationem, in fraudem liberorum factam, in effectu tendere, id quod etiam de *querela inofficioſæ dotis* aſſerit. In §. 52 docet, hereditatis petitionem quoque applicandam eſſe ad ſucceſſiones ſtatutarias & irregulares, non vero earum nomine condictionem ſtatutariam eſſe inſtituendam. Hiſce pro-

pter affinitatem adjunguntur remedia, quæ legatariis & fidei commiſſariis, & heredi ratione Falcidiæ collationis &c. competunt. In *Cap. IV Remedia poſſeſſoria & interdicta* evolvuntur, ubi §. *14 ſq.* diſtinctionem inter poſſeſſorium *ordinarium* & *ſummarium* evolvit, docens, propter proceſſuum hodiernorum ambiguitatem, & ne interim partes, de poſſesſione litigantes, ad arma veniant, hanc diſtinctionem inventam fuiſſe & in ſummario cauſam poſſesſionis haud finiri, ſed tantum, pendente lite ſuper poſſesſione, decerni, quis interim poſſidere debeat, adeoque ſententiam in hoc ſummariſſimo remedio eſſe tantum proviſionalem, & mere interlocutoriam, & demum in *ordinario* poſſesſionis cauſam decidi, illudque ipſum interdictum *uti posſidetis* eſſe, adeoque in comparatione ad petitorium adhuc ſummario proceſſu expediendum eſſe; interim tamen in praxi hæc duo remedia plerumque ita diſtingui, ut vix amplius cohærere videantur. In ſequentibus *interdicta* reliqua fuſius explicantur, quæ ex Pandectis, in quibus plura hinc inde ſparſa ſunt, Autor collegit & uſum eorundem docet. In §. *44 p. 207* decantata controverſia deciditur, utrum uſufructuarius nunciare novum opus posſit, ſi in præjudicium ſervitutum, fundo uſufructuario debitarum, ædificatur? Item an nunciare poſſint, quibus realis ſervitus eſt conſtituta? Quod quodammodo negatur in *l. 14 de Nov. oper. nunciat.* Quam Cl. Autor de privata nunciatione accipit, non de illa, quæ per magiſtratum fit, indeque concludit, pro omnibus ſervitutibus quidem *judicialem prohibitionem*, ſed non indiſtincte nunciationem privatam eſſe permiſſam, ſed tunc demum ubi periculum in mora eſt, quale in ſpecie *l. 14 cit.* haud adfuerit. In §. *62 ſqq.* interdicta *circa ſacra & religionem* traduntur, qua occaſione Autor §. *64 & 65* oſtendit, ideo muros *ſanctos* fuiſſe dictos, quod apud gentiles Diis tutelaribus eſſent conſecrati, adeo ut, ſi bello civitas quædam oppugnanda eſſet, ſacra inde prius evocata fuerint, quo locus religione liberaretur, *l. 9 §. 2 de rerum diviſ.* ſimiliter ſepulchra *religioſa* dicta fuiſſe oſtendit, quod eſſent dedicata Diis Manibus, ſeu animabus defunctorum, quibus hoc intuitu in ipſis ſepulchris moni-

Digitized by Google

monimenta inſignia exſtruebantur. Abſolutis actionibus realibus *Cap. V* ad *perſonales* progreſſum *facit*, & primo quidem illas, quæ immediate *ex æquitate* fluunt, proponit, earumque exiſtentiam defendit. Huc refert actionem *ad exhibendum*, actiones *in factum*, maxime illas, quæ ob delictum defuncti in heredes, locupletiores inde factos, dantur, porro *condictiones* etiam *indebiti* & *furtivam*, cum alias poſterioris fundamentum ex ipſo delicto petere ſoleant; indeque eſſe docet, (1) quod indiſtincte contra heredes detur, (2) quod tantum detur contra furem ipſum, non vero eum, qui furi opem & auxilium tulit. In §. 44 *condictionis Triticariæ* natura peculiariter evolvitur, quæ alias multis involuta eſt dubiis, ejusque uſum primarium fuiſſe oſtenditur in contractibus *ſtricti juris*, non vero *bonæ fidei*, poſtea tamen ad alias cauſas extenſam eſſe. Hiſce *Capite VI* addidit *actiones in perſonam ex quaſi contractibus*, easque ſigillatim illuſtravit. De *actione ſubſidiaria* in magiſtratum §. 25 peculiariter docet, illam eſſe ſpeciem actionis tutelæ, quam alii ex delicto eſſe exiſtimant. Huc collimare quoque videtur JCtus in *l. 15 §. 9 de excuſ. tut.* ubi Gothofredus *in not. lit. t.* hanc ſubjungit rationem: *Eſt enim* (magiſtratus) *tutor ſubſidiarius*. In *Capite VII* progreditur *ad actiones in perſonam ex pollicitatione & pacto*, & in rationem inquirit, quare apud Romanos ex pacto nudo non data fuerit actio, quam in eo collocat, quod pactis, quatenus contractibus opponuntur, nova forma a legibus præſcripta fuerit, ut ſolennibus conciperentur verbis, indeque actio denegari debuerit, ſi forma hæc omiſſa fuerit. In ſequentibus porro de variis pactis ſpecialibus agit, ut totali, conſtituto, compromiſſo, recepto &c. Nam in §. 29 huc etiam retulit *actionem in factum ex recepto*, contra nautas, ſtabularios & caupones, eamque non ex quaſi contractu juxta communem Dd. ſententiam deſcendere arbitratur, ſed *receptum* idem denotare, quod *promiſſum*, & ſic actionem hanc ex promiſſo nautarum, ſtabulariorum & cauponum deducendam eſſe. In *Capite VIII actiones ex contractibus nominatis* explicantur, ubi occaſione condictionis certi ex mutuo §. 8 in originem pro-

ceſſus

ceſſus executivi inquirit, illumque a clauſulis executivis, chirographis olim adjici ſolitis, originem traxiſſe monſtrat. In §. 55 natura contractus chirographarii in eo ponitur, quod debitor ſolenni adhibita ſcriptura, formula ſolenni conſtante, ſeſe obligaverit, adeoque non qvamvis ſcripturam ſuffeciſſe exiſtimet, ſed illam demum, quæ eſſet medium obligandi, non probandi, qualem hodie non amplius dari & conſequenter exceptionem non numeratæ pecuniæ non amplius biennio incluſam eſſe cenſet. In §. 107 rejicit condictionem ex *l. ſi quis conductionis 25 C. locat.* docetque, non de actione, ſed de exceptione dominii non admittenda diſponi. In *Cap. IX de actionibus ex contractibus innominatis* agitur, præmiſſa eorum natura peculiari, & §. 13 ſuccincte *l. 5 §. 3 P. V* a dubiis variisque difficultatibus liberat. In *Cap. X actiones ex contractu aliorum reſultantes* recenſentur, quibus *Cap. XI actiones perſonales ex facto illicito* ortæ ſubjunguntur. Inter alia docet in §. 42, actionem *quod metus cauſa* primordialiter introductam fuiſſe, propter negotia ſtricti juris, & bonæ fidei negotia, ob vim & metum ipſo jure nulla, progreſſu temporis tamen actionem quod metus cauſa etiam ad hæc tractam fuiſſe. Denique *Cap. XII remedia extraordinaria* quædam addit, & ita Sectionem II claudit. Sectione III materiam *de cumulatione actionum* per ſuccinctas regulas tradit, & exemplis idoneis illuſtrat.

Appendicis loco adjecta eſt doctrina de *gradibus matrimonialibus & ſucceſſione ab inteſtato*, ſuccinctis theſibus incluſa, cujus compendium exhibere non neceſſe eſt.

BERNARDINI RAMAZZINI, IN PATAVINO Gymnaſio Practicæ Medicinæ Profeſſoris Primarii, Commentatio de Principum Valetudine tuenda.

Patavii, ex Typographia Johannis Baptiſtæ Conzatti, 1710, 4.
Plag. 22.

Lipſiæ, ſumptibus Johannis Friderici Gleditſch & filii, 1711, 8.
Plag. 11.

Ex

EX quo Clariſſimus Bernardinus Ramazzini Lycæum Mutinenſe cum Patavino mutare & Artem ſalutarem publice profiteri fuerat juſſus, omnem curam in eo ſibi locandam eſſe exiſtimavit, ut tempus a laboribus Clinicis & Lectionibus publicis reſiduum in ſcripta publice edenda impenderet. Hinc Librum non ſolum *de Morbis Artificum*, aliaq; publici juris fecit, ſed & præſentem nunc exhibet Commentationem.* Quo magis enim ad publicam felicitatem bona Principis valetudo confert, eo majori diligentia eam cuſtodiendam præcipit; idque ut eo felicius impetretur, qualis debeat eſſe Medicus, cui vere Archiatri nomen conveniat, quidve in Principis perſona deſideretur, monet. Hinc in ſpecie aeris naturam & ſupra viventium corpora poteſtatem rimatur, & quemadmodum ille nulli ætati magis quam noſtræ innotuiſſe prædicatur, ita rectum illius regimen pro ſanitatis tutela inſtituendum ſuadet. Ægre autem fert, quod Principum palatia in locis civitatis minus ſalubribus, longe a foro & populi frequentia remotis poſita ſint; quod factum credit, quia, qui primi illa extruxere, ad voluptatem potius propter ſitus & hortorum amplitudinem, quem ad ſalubritatem animum intenderint. Et cum Principibus in more poſitum ſit, hippodromos & equilia non procul a ſuis palatiis habere, ubi ex equino ſtercore & ſtramentis ſtabularii montes fimi ingentes coacervant, eosque, ad menſes relictos, extra urbem exportando, tantam mephitim excitant, ut aulam non tantum, ſed viciniam totam inficiant; conſultius eſſe exiſtimat Noſter, quotidie purgamenta hujusmodi alio deferre, quam ſinere, ut poſt putredinem camerina illa commota aer inquinetur. Ad cibi conſiderationem ubi pervenit, non bene inter ſe convenire Principum menſas & bonam valetudinem docet, cum victu parco & ſimplici facilius ſanitas cum longævitate obtineatur; cibaria autem, quæ ad valetudinem minus ſunt apta, Principibus magis uſui eſſe dolet: qua occaſione, quid cibi attritio in ſtomacho, apud Galenum, quid carnes leves ad ſtateram apud Hippocratem, & vinum ethicum apud Ariſtotelem ſit, exponit. Præ reliquis autem Principibus quotidianam corporis exercitationem neceſſariam

Cap. I. II. III. IV. V. VI.

eſſe affirmat, ſive illa in ambulatione, ſive in venatu, ſive in equitatione, ſive in ſaltatione conſiſtat; quo etiam moderatum veneris uſum refert. Quemadmodum autem inverſam ſomni & vigiliarum regulam, Principum aulis valde familiarem, taxat; ita legitimum ſomnum capeſſendi ordinem præſcribit, & ſimul excretionum naturalium ratio ut habenda, quo hæ rite fiant, & ne una alteri impedimento ſit, injungit. Et quanquam Principes ſupra ceteros conſtituti ſint, utcunq; tamen potentes impetrare non poſſunt, ut omnia, quæ flagranter optant, obtineant, nec efficere, ut fortuita quædam & valde moleſta ſibi non eveniant; hinc quo modo animi affectus dirigere & compeſcere illi debeant, explicat. Principes quandoq; & libido invadit in literarum ſtudio & polymathia inclareſcendi, non tamen facile, quod optant, attingunt, quin imo valetudini bonæ crebrioribus lucubrationibus non levem injuriam faciunt; hinc ſuadet Noſter, ut Poetas, Oratores, Philoſophos, Mathematicos, Theologos alant illi, & ſucciſivis horis atque etiam ſuper cœnam & prandium illos audiant, variis de rebus diſſerentes, ac ab illis ediſcant, quæ multo ſtudio & labore a mutis magiſtris, h. e. libris vix didicerint. Inde quale in ſenili ætate conſtitutis Principibus valetudinis regimen ſit inſtituendum, docet; & cum obeſitas Principibus non minus inſalubris quam indecora ſit, difficilis autem illa curationis in omnibus exiſtat ægris, in Principibus longe difficiliorem prædicat Ramazzini; fames enim, ſitis, longa patientia, & mille alia tædia, quæ tum exiguntur, a Principibus, quibus noxia ſumma poteſtas eſt, non facile impetrantur. Ne igitur ad hanc calamitatem deveniat Princeps, Archiatrum inſtruit, quomodo venienti morbo occurrere deceat. Præ reliquis morbis, quibus Principes expoſiti ſunt, arthritis, calculoſa paſſio & colica obſervantur; qui affectus cum multam inter ſe habeant cognationem, non raro in eadem perſona mixtum imperium tenent. Ad obtinendam igitur prophylaxin convenientem diætam & rectum rerum non naturalium uſum commendat. Tandem quoniam Principibus non ſemper adeo felicibus licet eſſe, ut pace perpetua ævum tradu-

Cap. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV.

traducant, quin aula relicta militarem aliquam expeditionem capeſſere neceſſe ſit, quomodo offenſis illis, quæ ex inſolita vivendi ratione & animi ſollicitudine oriri poſſunt, occurrendum ſit, commemorat. De cetero monendus eſt L.B. Lipſienſi Editioni Vitam Autoris, ex Ephemer. Liter. Italiæ Tomo II depromtam, Indicemque locupletiſſimum & Præfationem D. Michaelis Erneſti Ettmulleri adjunctam eſſe, in qua de tuendæ ſanitatis neceſſitate, ut & neglectu diſſeritur, inſimulque Artem diæteticas regulas præſcribendi ad Medicinam ſpectare, & quibus Autoribus hæc potiſſimum ſit exculta, monſtratur.

INDEX PLANTARUM, QUÆ IN HORTO Academico Lugduno-Batavo reperiuntur, conſcriptus ab HERMANNO BOERHAAVE.

Lugduni Bat., apud Cornelium Bouteſtein, 1710. 8 maj. Plag. 20.

DUplici ſe cauſſa impulſum eſſe ad edendum denuo plantarum in horto Academiæ Lugduno-Batavæ ruperiundarum indicem, celeberrimus Bœrhaavius in Præfatione profitetur; altera, ut ſtudioſi Botanices in addiſcenda difficillima alias arte quodammodo ſublevarentur; altera autem, ut commercium, ad hortorum cultum ſumme neceſſarium, promoveretur magis, ſi cuilibet perſpicere liceret, quæ in horto hoc, plantarum omnis generis inſtructiſſimo, hoc tempore germinarent, atque adeo ex illo peti ab illis poſſent, qui redderent ea, quæ deficerent. Ad primum obtinendum, elegiſſe ſe Autor teſtatur methodum celeberrimi Turnefortii, tanquam omnium ſimpliciſſimam atque facillimam, imo, niſi adhuc langueſcerent pleræque plantarum, ab illa hyemis ſævitia, quæ pene omnes enecaverat, maluiſſet herbas ad Turnefortianam methodum areolis ordine inſerere, quod quidem inſtitutum, neſcimus num omnes hortorum culturæ periti probaturi ſint, cum omnia vix omnis tellus ferat, minimaque a maximis forte obtecta vel etiam ſuppreſſa, adſpectum effugituræ ſint, ut taceamus cauſas alias. Et quando Cl. Bœrhaavius Turnefortium ſe velle ſequi nos monet, non ea mens eſt, quaſi Hermanni ordinem plane rejecerit, ſed ex ejus Floræ collatione liquebit, quod hujus diſpoſitionem pene in omnibus

religioſe ſervaverit, exceptis arboribus & fruticibus, quos ad illius præcepta digeſſit, in reliquis generale tantum nomen ex Turneforto, addita inſtitutionum pagina, ſupra ſcripſit. Verum nec ſic evitare ſemper potuit, quin flores, inter ſe multum diſtinctos, confunderet (ut quando plantaginem ita dictam aquaticam & ſagittam ſub generali ranunculi nomine comprehendit, atque ita tripetalam cum polypetala eandem fecit, & quod magis eſt, holoſteo affinem, quam dicit, apetalis monoſpermis accenſitam, ſub eodem ranunculi nomine collocavit, & reliqua) quod evitare illi felicius licebit, qui ſecundum Excellentiſſimi Rivini noſtri accuratiſſimam methodum ex petalorum numero & ordine, ſeminisque vel nudi vel capſulis diverſis incluſi ratione petitam, plantas omnis generis digeſſerit. Sed ut plenius Lector cognoſcat, quem ordinem ſervaverit celeberrimus Autor noſter, ejusdem genera recenſebimus. Primo igitur loco egit de gymnopolyſpermis, ubi in Hermanni Flora, per errorem, de angiopolyſpermis ſcriptum erat, ſecundo de gymnodiſpermis, quæ umbellatæ Hermanno ſunt; inde de gymnomonoſpermis, male iterum in Flora angiomonoſpermis dictis; hinc de gymnomonoſpermis flore compoſito; & iterum de gymnodiſpermis ſtellatis; de gymnotetraſpermis verticillatis; de gymnotetraſpermis aſperifoliis; de gymnotetraſpermis gymnotetrapetalis; Monangiis polyſpermis; Diſangiis polyſpermis; Triangiis polyſpermis, inter quas violam deprehendes & parnaſſiam, quæ non tribus, ſed una tantum gaudent capſula, qui error Hermanno etiam debetur. Sequuntur Triangiæ tricoccæ; Tetrangiæ polyſpermæ; Pentangiæ pentacoccæ; Pentangiæ & polangiæ polyſpermæ; Siliquoſæ monangiæ bivalves polyſpermæ; Siliquoſæ bicapſulares, & quadrivalves polyſpermæ, quas pene omnes inter frutices & arbores locum mereri, quis putaverit; Siliquoſæ quadricapſulares polyſpermæ quadrivalves. Has excipiunt Tetrapetalæ unicapſulares ſiliqua non diviſa monoſpermæ; Tetrapetala bifariam diviſa per ſeptum intermedium polyſpermæ & diſpermæ; Tetrapetalæ ſiliquoſæ articulatæ; Leguminoſæ papilionaceæ ſiliquoſæ, quarum pars maxima ad frutices forte referenda; Monopetalæ ſiliquoſæ; Apetalæ ſiliquoſæ; Bacciferæ, inter quas ru-

Digitized by Google

rubi fruticis ſpecies; Pomiferæ; Apetalæ monoſpermæ, ubi quædam Hermanni correcta, corrigendis tamen aliis forte relictis; Apetalæ flore ſterili fructu in eadem planta; Apetalæ flore ſterili fructu in planta non florifera; Apetalæ nudæ, flore ſterili in diverſa planta a fructu. His ſuccedunt plantæ flore lileaceo, fructu tricapſulari, & quidem I flore monopetalo hexapetalode piſtillo frugifero, radice fuſiformi, bulboſa, tuberoſa, II flore monopetalo hexapetalode calice frugifero, radice tuberoſa bulboſa, tuberoſa nodoſa, tuberoſa fibroſa, III flore lileaceo tripetalo, IV flore liliaceo hexapetalo piſtillo frugifero radice fibroſa, napiformi, bulboſa, carnoſa, & quæ aliis bulboſa, aliis tuberoſa videntur; circa quas notandum, quod ordo Hermanni aliquantum deſertus ſit, & propius ad Turnefortium acceſſerit. Hinc abit ad bulboſis affines in Flora prima recenſitas, inde ad polypetalas anomalas; monopetalas anomalas; graminifolias, apetalas culmiferas, non culmiferas capitulo ſquamoſo, ex Rajo; flore carentes non dorſiferas, flore & ſemine carentes. Tandem prodeunt arbores & frutices in ſyſtemate herbario non recenſitæ, caudice non ramoſo, ſpatha florifera & fructifera, monocotyledones; flore apetalo frugifero dycotyledones; flore apetalo ſterili fructu in eadem planta, in alia non florifera; flore amentaceo ſterili, fructu in eadem arbore oſſea teſta; coreacea teſta; fructu in eadem planta; fructu molli; fructu ſicco; fructu in alia arbore; Arbores flore monopetalo, & earum ſpecies; flore roſaceo earumque diverſæ ſpecies; flore papilionaceo, harumque ſpecies. Iterum flore roſaceo; flore intra fructum naſcente ſeminifero; & ultimo loco arbores quædam, vel anomalæ, vel nondum accurate cognitæ. Ex quibus ita plenius recenſitis uberius poſſe conſtare de methodo Clariſſimi Viri confidimus, iis maxime, quibus ſingula plantarum nomina ſub ſuo genere inquirere difficile foret, additus Index eſt alphabeti ordine diſpoſitus.

LUCII CECILII LIBER AD DONATUM CONFESſorem de mortibus perſecutorum, hactenus Lactantio adſcriptus, ad Colbertinum codicem denuo emendatus. Acceſſit

ceſſit diſſertatio, in qua de hujus libri Autore diſputatur, & omnia illius loca dubia illuſtrantur. Studio & opera
D. *NICOLAI LE NOURRY, Presbyteri & Monachi ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.*

Pariſiis, apud Jo. Bapt. Deleſpine, 1710, 8 maj. Alph. 1 pl. $6\frac{1}{2}$.

REv. Nurrii nomen Actis noſtris non eſt ignotum, quippe cujus primum Tomum Apparatus ad Bibliothecam Patrum maximam A. 1704 p. 1 ſqq. recenſuimus. In Præfatione præſentis libri ſpem nobis facit, ſe propediem ſecundum quoque Apparatus illius Tomum evulgaturum eſſe. Interim ſpecimen quaſi quoddam ex ſecundo hoc Tomo cum eruditis jam communicat, edito Commentario in librum illum percelebrem totque Virorum doctorum notis jam illuſtrem *de mortibus perſecutorum.* Miro ſane fato conflictatus eſt hic liber, teſte Præfatione Nurrii. Cum enim illuſtriſſimi Colberti juſſu omnes Galliæ Bibliothecæ perluſtrarentur, A. 1678 Moiſſiaci in monaſterio quodam, ejusque loco cuilibet cœli intemperiei expoſito, hic libellus repertus & in Colbertinam inde bibliothecam translatus eſt. Eum cum primus edidiſſet Cl. Baluzius A. 1679 in Tomo II ſuorum Miſcellaneorum, factum eſt, ut ex eo tempore pluribus recuderetur in locis, immo in Gallicam linguam Anglicanamque converteretur. Nihilominus Noſter operæ pretium ſe facturum ſperavit, ſi denuo eum recudendum curaret, & eodem quidem prorſus modo, quo in MS. codice exhibetur: quo proclivius fieret eruditis, mendoſa adhuc loca ſuæ reſtituere integritati. Hunc in finem præmiſit ſpecimen codicis MS. æri inciſum: cujus ductu & nobis licebit aliquot locis adhibere medicinam. Igitur *p. 2 lin. 2* pro: *Ecce addetur his omnibus adverſarius*; legendum apparet: *Ecce deletis omnibus adverſariis. P. 3 lin. 8* pro: *Eundem mortem digna ultione ſuperbis & impiis*; legendum videtur: *Eundem judicem judicum digna ſupplicia impiis. P. 4 lin. 1* pro *oſtenderet*; legendum *oſtenderit.* Eadem *pag. lin. 3 fuerint perſecutores ejus*, pro *fuerunt auctores - - -.*

Finito

Digitized by Google

Finito *de mortibus perſecutorum* libello ſequitur Nurrii longa ſatis in eum Diſſertatio, quindecim conſtans capitibus: quorum primo poſtquam totius illius libri analyſin pertexuiſſet, ac præterea docuiſſet, codicem MS. & imperfectum eſſe, & a librario Latinæ linguæ ignariſſimo fœde corruptum, demonſtrat, huncce librum circa finem Anni 314, vel paulo poſt conſcriptum eſſe. *Cap. II* de libri hujus Autore agit & de Donato Confeſſore, cui is nuncupatus eſt. Hic argumenta recitat, quæ Baluzio perſuaſerunt, verum hujus libelli Lactantium autorem eſſe. Nimirum primo Hieronymum inter opera Lactantii commemorare *de perſecutione librum unum:* deinde ſtylum eſſe omnino Lactantianum: deniq; varios loquendi modos, qui hoc in libro occurrunt, itidem ad verbum in aliis Lactantii legi libris. At Noſter Lactantium negat autorem eſſe, nec veretur a tot eruditiſſimis Viris, qui Baluzii ſententiam fecere ſuam, diſſentire. Quare non erit alienum, ejus argumenta recenſere, & quantum iis inſit ponderis, conſiderare. *Primo* itaque dicit, alium eſſe potuiſſe Lucium Cœcilium præter Lactantium. Sed a poſſe ad eſſe non valere conſequentiam, barbarum quidem, ſed veriſſimum Scholaſticorum ſcitum eſt. Neque enim demonſtrat, alium id temporis extitiſſe, qui nomen ſcribendo conſecutus ſit. Ac ſufficit nobis, Lucium illum Cœcilium etiam eſſe poſſe Lactantium. An vero is ſit revera, aliis efficiendum eſt argumentis. *Secundo* miratur, in titulo omiſſa eſſe nomina Firmiani Lactantii. Idem nos miramur, ſed non videmus, cur hoc argumento liber ſit Lactantio abjudicandus: præſertim ſi aliæ rationes eum omnino a Lactantio profectum eſſe evincant. *Tertio* negat, unquam quenquam ſcripſiſſe, quod Lactantius librum *de mortibus perſecutorum* compoſuerit: Hieronymum enim tantum referre, eum ſcripſiſſe *de perſecutione* librum. Verum cum nemini ſit obſcurum, quantum ſibi indulgeant autores in citandis librorum titulis, quodq; ſæpius ex memoria eos citent utcunque, valde veremur, ut Herculeum ſit hoc Nurrii argumentum. *Quarto* contendit, libri hujus ſtylum a Lactantiano ſcribendi genere prorſus abhorrere. Cum autem tot Critici contraria ſint in ſententia, curatius expen-

pendeuus, quæ Nurrius ad ſuam opinionem ſtabiliendam affert in medium. Producit igitur primo locum ex Cap. II, ubi minus Latine dicatur: *per omnes provincias & civitates eccleſiæ fundamenta miſerunt.* Meminit Lactantium *lib. IV Inſtit. cap. 21* ita ſcripſiſſe: *Fundamenta eccleſiæ ubique jecerunt.* Sed id quidem facile dilui poteſt. Habemus enim confitentem Nurrium, codicem illum exaratum eſſe ab homine plane illatino. Annon igitur in promptu eſt credere, librarium pro *jecerunt* vitioſe ſcripſiſſe *miſerunt?* Ut omittamus, ex reliquo hujus libri textu manifeſtum ſatis eſſe, autorem ejus Latinæ fuiſſe linguæ ſcientiſſimum. Deinceps notat Nurrius, hujus libri capite III de Domitiani perſecutione agi, nec tamen ejus nomen diſerte proferri. Hoc vero facturus fuiſſe Noſtro videtur Lactantius. Verum an dignum ſit reſponſione hoc argumentum, alii viderint: nos ad reliqua progredimur. Ex Cap. V ſequentia profert verba, quæ non modo minime Lactantiana eſſe, ſed ſenſu quoque carere judicat: *Sapores impoſito pede ſuper dorſum ejus* (Valeriani Imperatoris) *illud verum eſſe dicebat, exprobrans ei cum riſu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent.* Nobis contra videtur illud: *impoſito pede ſuper dorſum ejus*, non multum abhorrere a Latinis auribus. Ceterum ſententia verborum haud obſcura eſt, modo deleatur *non*, quod a librariis crebro & omiſſum & alienis locis intruſum eſſe, quis neſcit? Delendam autem hoc loco eſſe voculam *non*, jam duobus abhinc annis a Cl. Collega quodam noſtro monitum eſt publice. Nimirum Sapores exprobrabat Valeriano cum riſu, quod Romani in tabulis pingere ſolerent Perſarum Reges pedibus Romanorum Imperatorum ſubmittentes colla: cum tamen id nullo unquam tempore factum ſit. Hic autem, in Valeriano, *illud verum eſſe*, non fictum, non pictum, dicebat Sapores. Quæ ſuperſunt loca a Nurrio objecta, non attinet perſequi ſingula, cum ipſe parum ea valere fateatur, & metuat, ne forte a librario ſint corrupta. In uno tamen loco, ex cap. XVIII depromto, mirifice ſibi plaudit Nurrius, quippe qui *vel unicus etiam pervicacioribus perſuadere poſſit*, (ita enim ſcribit) *hunc librum ea ſcribendi ratione*

tione

Digitized by Google

tione eſſe compoſitum, ut aperte clamet, alium omnino, quam Lactantium, ſe habuiſſe parentem. Longior eſt locus, quam ut eum adſcribi patiantur inſtituti noſtri leges, ſed ita comparatus, ut miranda ſit Nurrii confidentia, dictantis, verba illius loci haudquaquam a Lactantio potuiſſe proficiſci ob nimiam obſcuritatem. Lectoris indagini eum relinquimus, illud profeſſi, nos nihil deprehendere illo in loco, cur Lactantio ſit indignus habendus. Sed miſſo jam dicendi genere, alia circumſpicit Noſter ſuæ ſententiæ præſidia. Credit, Donatum, cui liber hic eſt inſcriptus, alium eſſe a Donato, cui Lactantius librum ſuum *de ira Dei* dicavit. *Hinc*, inquit, *conficitur, duos eſſe planeque diverſos horum duorum librorum auctores.* Commiſſa hac ἀσυλλογιςία, monet, Lactantio morem eſſe, ut libros a ſe editos aliis in libris commemoret: atque id de hoc libro factum non eſſe. Quod argumentum ſi valet, plures libri immerentes νοθείας notam ſubibunt. Denique concludens tradit, in hoc libro narrari quædam, quæ aliorum ejus ætatis ſcriptorum ſententiis repugnent: ergo eum Lactantii eſſe non poſſe. Sed vix quiſquam ſentiet hujus argumenti pondus. Etenim fatetur Noſter, Cœcilium ſuum, quem fingit, & Lactantium eadem vixiſſe ætate. Ergo ut Cœcilius, ſic & Lactantius, quædam narrare potuit ab aliorum illius ævi ſcriptorum opinionibus diſſidentia. Hæ igitur ſunt rationes Nurrianæ, quibus receptam eruditis ſententiam de autore hujus libri haud ſane labefactari, breviter oſtendimus. Perſuaſum etiam nobis eſt, Nurrium hunc laborem nunquam ſuſcepturum fuiſſe, niſi eccleſiæ ſuæ forte raptus amore, ea re magnum præſidium heterodoxis, quos vocat, ereptum iri exiſtimaſſet. Neque enim diſſimulat in Præfatione hanc cauſam, querens, heterodoxos illos libri hujus, tanquam Lactantiani, autoritate varios propugnare errores. In quibus non minimus fortaſſe viſus eſt Autori noſtro ille, quo ex libro de *mortib. perſec.* docent, Petrum Nerone demum regnante Romam veniſſe. Unde & Nurrius diſſertationis hujus *Cap. IV artic. 4.* de iſthoc loco contra hereticos diſputat, & omnia facit, ut hunc locum cum vulgari Pontificiorum fabula conciliet. Pergimus ad reliqua Diſſertationis Nurrianæ capita. *Capite III* re-

Ooo cen-

cenſet varias hujus libri editiones, variorumque in eum obſervationes & notas. Idem jam feciſſe recordamur Cl. Crenium P. IX Animadverſ. hiſtor. & philol. & nos quoque in hæc Acta nonnullas editiones retulimus. Vide A. 1685, p. 265, 584 & 585; A. 1692 p. 194; A. 1693 p. 124; A. 1698 p. 535. *Cap. IV* & usque ad finem ſequentibus novas in hunc librum notas exhibet atque animadverſiones. In quibus dum ſæpe contendit Lactantium cum hujus autore libri, invitus nos confirmat in ea ſententia, quod Lactantii genuinus is fœtus ſit. *Cap. V artic. 3* diſſerit de ſigno crucis, quod Conſtantino M. apparuiſſe vulgaris fabula eſt, Cœciliumque cum Euſebio in concordiam redigere conatur. *Cap. V–XIV* de Imperatoribus Romanis Eccleſiæ perſecutoribus copioſe agit, nec hiſtoriam ſolum perſecutionum, verum etiam civilem illuſtrat doctiſſima opera. Tandem *Cap. XV* hiſtoriam Conſtantini Chlori & Conſtantini M. Impp. pari diligentia perſequitur.

SOME FAMILIAR LETTERS BETWEEN Mr. LOCKE and ſeveral of his Friends.

h. e.

EPISTOLÆ FAMILIARES LOCKII ET nonnullorum Amicorum ejus.

Londini, apud A. & J. Churchill, 1708, 8.
Alph. 1 plag. 11.

Epiſtolarum pars una idiomate Anglico, altera Latino exarata. Anglicum commercium inter *Lockium* & *Molyneſium*, Autorem Dioptricæ in Actis A. 1693 p. 1 commemoratæ; Latinum vero inter *Lockium* & *Limborchium* potiſſimum floruit. Epiſtolarum Anglicarum præcipuum argumentum ſunt ſcripta *Lockiana* de educatione liberorum, de intellectu humano & de convenientia Chriſtianismi cum ratione; Latinarum vero præter eadem ſcripta, Opera *Limborchiana*, ſi utrobique res familiares exceperis. Quæ tamen de ſcriptis tam *Lockii*, quam *Limborchii* habentur, in generalibus plerumque conſiſtunt. *Molyneſius* & *Limborchius* ſcripta *Lockiana* laudibus extol-

Digitized by Google

tollunt; *Lockius* vice verſa *Limborchiana* prædicat. *Molyneſius* fatetur, nullum ſibi unquam ſcriptum magis ſatisfeciſſe, quam *Lockii* de intellectu humano tentamen,& interrogatus,ut dubia ſua contra id proponat, nihil in eo immutari poſſe reſpondet, niſi quod *Lockium* ſibi contradicere cenſet, dum citra revelationem conſtare non poſſe contendit, quod materia cogitare nequeat, & hoc tamen non obſtante immaterialitatem Numinis ex materiæ cogitantis impoſſibilitate evincit; quodque libertatem impugnare videatur & non a prava voluntate, ſed ab intellectu derivet peccata. Monet præterea, caput de exiſtentia Dei quadam additione opus habere: demonſtrandum ſcilicet, mundum non eſſe ab æterno. Contra tractatum de educatione, quem rationi conformem eſſe ac praxi reſpondere judicat, pauca quædam opponit. Urget potiſſimum, diſplicere ſibi conſilium *Lockii*, quo pueris negari ſuadet, quæ deſiderant, inprimis ubi impatiens extiterit deſiderium. Majorem autem attentionem merentur Illuſtris *Leibnitii* in Tentamen *Lockianum* de intellectu animadverſiones, quas ſi adhibuiſſent *Lockius* atque *Molyneſius*, cumque illis contuliſſent, quæ idem *Leibnitius* de cognitione, veritate & ideis in Actis A 1694 p. 537 & de harmonia præſtabilita in variis eruditorum Diariis paſſim prodidit, plurima in iis arcana & fœcundiſſima verioris Logicæ ac Metaphyſicæ principia latere abunde perſpexiſſent.

Laudat Vir ingenioſiſſimus *Lockium*, quod abuſui nominis *idearum* & *principiorum* ſe opponat, Philoſophis vulgaribus principia chimerica fingentibus & *Carteſianis* ideas *extenſionis*, *materiæ*, *animæ* innatas propugnantibus, ut onere probandi liberentur. Nihil nimirum pro principio primitivo haberi vult, niſi experientias & axioma identitatis ſeu contradictionis, quod utique ſupponendum, ubi ratiocinari volueris; alias enim nullam fore inter veritatem & falſitatem differentiam. Omnes veritates reliquas probari poſſe arbitratur & methodum *Euclidis* maximi facit, qui, nonnullis axiomatis aſſumtis tanquam conceſſis, non quod revera primitiva & indemonſtrabilia exiſtant, ſed quod eorum diſcuſſio exacta nimis diu eum detinuiſſet, reliqua per ea demonſtravit, exiguum propoſitionum

numerum aliis demonſtrandum relinquens, utpote per experientiam jam aliunde ſatis certarum: quem morem Philoſophis commendat. Neque vero ſine ratione optat, ut *Lockius* cum attentione legiſſet ſchediaſma de cognitione, veritate & ideis ſupra laudatum, & ex eo nonnulla repetit. Docet nimirum, *ideas veras* ſive *reales* eſſe, quarum executio poſſibilis, reliquas eſſe dubias aut (ſi impoſſibiles) prorſus chimericas. Idearum poſſibilitatem vel a priori probari per demonſtrationes ex ideis magis ſimplicibus concatenatas, vel a poſteriori per experientias. Ideas autem primitivas eſſe, quarum poſſibilitas indemonſtrabilis, quæque nihil aliud ſint quam attributa divina. Dari ideas & principia connata, ita ut ipſarum rerum ſenſibilium a nobis proveniant: id quod *Lockius* non aſſecutus, quia ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ ignoravit. Enimvero hanc quæſtionem in Philoſophia minime præliminarem eſſe ſtatuit, cum eam deciſurus progreſſus bene multos habere debeat. Neque etiam ad recte ratiocinandum utilem, multo minus neceſſariam judicat, cum recte ratiocinari detur, undecunque ideæ proveniant. Aliquid ſolidi reminiſcentiæ *Platonis* tribuit, cum non ſolum cogitationum præteritarum reminiſcentiam, ſed & futurarum præſenſionem in nobis agnoſcat, utut poſteriorem confuſam eſſe non neget, qualis eſt e. g. perceptio murmuris ſingulorum fluctuum, dum murmur totius maris percipitur, quod ex iſto componitur. Rationes *Lockii*, quibus probat, animam non ſemper cogitare, minime convincentes pronunciat. Neque enim animam minus quam corpus in continua eſſe actione. Etiam dum dormimus, nos locum, ubi ſumus, aliaque confuſe percipere: quod demonſtrari poſſe contendit, ſi vel maxime per experientiam probari nequeat. Differentiam inter ſpatium & materiam concedit, ſed vacuum rejicit ob rationes, quæ ipſum *Hugenium* pro atomis & vacuo pugnantem convicerunt. Probationem vacui, quam *Lockius* affert, originarie durum & ex certo numero partium inflexibilium compoſitum ſupponere: ſed hoc ſuppoſitum fallere, cum partes materiæ omnes ſint diviſibiles & flexiles. Nec ſpatium, nec tempus, nec numerum infinitum proprie loquendo exiſtere,

ſen-

Digitized by Google

ſentit, adeoque verum infinitum in toto ex partibus compoſito reperiri negat, quamvis Geometrarum, præſertim *Newtoni*, de ſeriebus infinitis demonſtrata non reprobet: reperiri tamen ſtatuit in abſoluto, quod partibus caret & in res compoſitas influit, utpote a limitatione abſoluti reſultantes. Infinitum igitur poſitivum cum aliud non ſit niſi abſolutum, dici poſſe, non habere ideam poſitivam infiniti & idea finiti anteriorem. Ideas adæquatas aliter, quam *Lockius*, definit: Sunt nimirum ipſi adæquatæ, quæ nihil explicandum relinquunt. Repetit quoque ex ſchediaſmate laudato differentiam inter definitionem nominalem & realem, & quoad demonſtrabilitatem veritatum moralium *Lockio* applaudit. Axiomata minus hactenus conſiderata eſſe arbitratur, quam par ſit: ſe nec propoſitiones identicas ſpernere monet, quod eas in ipſa analyſi uſus maximi repererit. Quo jure *Lockium* ſyllogiſmos perperam rejicientem carpat, ex iis conſtare poteſt, quæ menſe Martio eam in rem diximus. Addit autem *Leibnitius*, ipſum *Hugenium* obſervaſſe, etiam in Matheſi paralogiſmos eſſe ſæpius vitia formæ.

Jamdum innuimus, quod *Lockius* aſſeruerit, Philoſophiam moralem methodo Geometrica demonſtrari poſſe. Ad hunc igitur laborem iterum iterumque ipſum invitat *Molyneſius*. Sed inſtanti tandem reſpondet, ſe ab eo abſtinere, quod ſyſtema doſtrinæ moralis perfectiſſimum in ſcriptis novi fœderis contineatur. In litteris ad *Limborchium* ſe Autorem libri de conformitate Chriſtianiſmi cum ratione profitetur, addens: *Calvinum adii, Turretinum aliosque, quos ita id argumentum* (de fide) *tractaſſe fateri cogor, ut, quid dicant, quid velint, capere nequaquam poſſim, adeo diſſona mihi in illis omnia videntur a ſenſu & ſimplicitate evangelica, ut illorum ſcripta intelligere, nedum cum ſacro codice reconciliare non valeam.* Reſpondet *Limborchius*; ſe in præcipuo (quod toto libro de fidei chriſtianæ objecto tractat) argumento illi prorſus aſſentiri, & plus veræ theologiæ ex illo, quam ex operoſis multorum ſyſtematibus hauſiſſe. Scopum ipſius ſummopere laudat, &, quod eum feliciter aſſecutus fuerit, ſolideque, quod

intendit, probaverit, judicat. Rogatus tamen nonnulla objicit, quæ cum extra principalem Autoris ſcopum eſſe ipſemet profiteatur, iis recenſendis non immoramur. *Lockius* ſcripta *Limborchii* laudaturus, ſe nullibi, inquit, reperiſſe opiniones magis dilucide expoſitas, argumentorum rationibus melius ſubnixas, a partium ſtudiis longius remotas & veritati per omnia magis conformes. In ſpecie Hiſtoria Inquiſitionis, quam *Limborchius* edidit, ordine, methodo, perſpicuitate, teſtium fide opus abſolutisſimum ipſi videtur, nec videt, quid in eo deſiderari posſit. Immo fatetur: nihil poſſe eſſe in eo genere perfectius, nec ad perfectam illius tribunalis cognitionem aliquid amplius deſiderari. Ita ſcriptam eſſe, ut decet hiſtoriam ſcribi, ubi non ad faſtum aut delectationem inventa vel ornata res ſit, quo facilius incautis lectoribus fucum faciat, ſed omnia autorum fide & documentorum teſtimoniis rata & ſuffulta eſſe. Dignum opus exiſtimat, quod in cujusque gentis linguam vulgarem traducatur: tam diſtincta enim & exacta methodo omnia tradita & teſtibus exceptione majoribus confirmata, ut nihil in eo deſiderari videatur, quod vulgus erudiat, litteratos inſtruat omnesque ſtabiliat. Theologiam ejusdem *Limborchii* apud Eccleſiæ Anglicanæ Theologos in magna æſtimatione eſſe ſcribit.

Epiſcopium virum vocat tam doctum, tam eximium, cujus lucubrationes omnes ab interitu vindicandæ: *Johannem* vero *Malelam* Antiochenum autorem nec magni nominis, nec fidei. Theologorum controverſias non facile componi judicat, ſeque in hiſtoria Eccleſiaſtica non ſatis verſatum profitetur. In *Clerici* Logica, Ontologia & Pneumatologia nonniſi vulgaria reperiri exiſtimat *Molyneſius*, ſiquidem excipias, quæ *Lockio* debet, ſuo tamen nativo decore ſpoliata. Vocat tamen maximum per totam Europam inter viros, qui juventuti ſcholaſticæ docendæ operam ſuam dicarunt, eumque pium, judicio præditum, & ſincerum Chriſtianum. Imo *Lockii* precibus ſatisfacturus, de *Clerico* in Scotiam evocando laboravit, quamvis incaſſum, quod ipſi juramentum diſpliceret, quo ibi terrarum obſtringuntur ſacris initiandi. Idem *Molyneſius* autorem operis de inquirenda veritate in nonnullis nimis enthuſiaſticum

Digitized by Google

cum pronunciat, & viſionem omnium in Deo, quam defendit, inter notiones obſcuras refert. *Tolandus* ipſi videtur homo candidus, ingenioſus & libere philoſophans. Approbat ejus de religione diſcurſus, ſed maxime improbat, quod intempeſtive inter compotatores proferat, quibus omnium in ſe odium concitat. Certe cum *Dublini* eſſet, eo tandem res perducta, ut non modo clerus nimis exacerbatus publice pro ſuggeſtu contra ipſum declamaret, & liber ejus de religione myſteriis carente juſſu Parliamenti flammis traderetur; verum etiam commercium ejus vitarent honeſti omnes, ipſeque in carcerem conjiciendus fuga ſibi conſulere teneretur. *Limborchius* conqueritur, quod falſo jactet colloquia familiaria cum ipſo inſtituta: id quod & *Lockius* in litteris ad *Molyneſium* in Hiberno iſto carpit. *Molyneſius* A. 1698 jamjam moriturus quinque libris annulum redimi juſſit, *Lockio* in teſſeram amicitiæ donandum. Huic non magni in medicina momenti videntur hypotheſes. Exemplo Americanorum illiteratorum, in arte medica excellentium, probat paucas experientias iſtis magis conducere, nec raris opus eſſe medicamentis, ſed paucis atque vulgaribus multa præſtari poſſe. Suadet *Limborchio*, ut variolis erumpentibus in medicamentis aſſumendis & ſtragulorum operimentis regimen calidius caveat, unde in ſanguine excitetur fervor non ſine magno ægroti malo & diſcrimine. Cum ille nonnulla de ſurda quadam loquente perſcripſiſſet; ipſe duo exempla parallela de duobus juvenibus a nativitate ſurdis ſuggerit, quorum alter a celeberrimo *Wallifio*, alter a Doctore Theologo *Holdero* loquelæ uſum didicit. Utrumque juvenem novit & verba proferentem audivit, diſtincte ſatis & articulate: tonus ſolum vocis parum erat ingratus & inharmonicus. Monet in litteris d. 18 Junii A. 1691 datis, alterum adhuc tum vixiſſe, virum ex generoſa proſapia, legendi ſcribendique peritum, & quo tempore illum primo loquentem audiverat, (viginti autem & plures erant anni elapſi,) uxorem duxiſſe. Cum *Grotii* ad unitatem Dei probandam argumenta ipſi non abunde ſatisfacerent; de alio diſquirens hanc viam ingreditur. Supponit, per Deum intelligi ens infinitum, æternum, incorporeum & perfectiſſimum. Hinc infert, Deum eſſe omnipoten-

potentem. Sed repugnare ipſi videtur, dari entia duo omnipotentia. Aut enim, inquit, utrumque idem vellet, ſicque voluntas unius a voluntate alterius neceſſario determinaretur, adeoque unum non eſſet liberum. Si non ſemper idem utrumque velit, unum poteſt velle facere, quod alterum fieri non vult, adeoque unius voluntas prævalebit alterius voluntate: alterum igitur non eſſet omnipotens. Enimvero cum nonnemo per *Limborchium* argumentum a priori ab eo deſideraret, ita argumentatur: Deus eſt ens infinitum. Sed quod eſt infinitum, infinitum eſſe debuit ab omni æternitate; additiones enim in tempore factæ finitum non poſſent reddere infinitum. Infinito igitur cum nihil addi, nihil demi poſſit, infinitum non niſi unicum eſſe poteſt. Hoc argumentum non ſatisfecit amico *Limborchii*, quia ſupponit dari ens infinitum, cui nihil addi aut demi poteſt, hoc eſt, ens undiquaque perfectum. En Tibi, Lector, in compendio, quæ in litteris *Lockii* & amicorum ejus notatu digna leguntur.

LIBRI NOVI.

Homeri Ilias & Odyſſea & in eadem Scholia, ſive interpretatio, Veterum, item Notæ perpetuæ in textum & ſcholia, Variæ lectiones &c. cum Verſione Latina emendatiſſima. Accedunt Batrachomyomachia, Hymni, Epigrammata una cum fragmentis, & gemini Indices. Totum opus cumplurimis MSS. vetuſtiſſimis & optimis edit. collatum, auctum, emendatum, & priſcæ integritati reſtitutum, opera, ſtudio & impenſis Joſuæ Barnes, S.T. B. in Acad. Cantabr. Regii, Græcæ linguæ Prof. Cantabrigiæ, apud Corn. Crownfield, 1711, 4.

L' Iliade d' Homere traduite en François avec des Remarques par Madame Dacier. Tome I, II & III. A Paris, chez Rigaud, 1711, 12.

Memoires pour ſervir a l' Hiſtoire de Dauphiné, ou l'on trouve les Actes du transport de cette Province à la Couronne de France, avec pluſieurs Remarques ſur les Uſages anciens du Paris & ſur les Familles. A Paris, chez Imbert de Bath, 1711, fol.

ERRATA.

Pag. 382 lin. 37 pro *qui* l. *quos* & pag. 423 lin. 30 pro *die 20 Maj.* lege *die 29 Maj.*

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Novembris, Anno MDCC XI.

FRANCISCI VAVASSORIS, E SOC. JESU Opera omnia, Theologica & Philologica, tum Latina, tum Gallica.

Amſtelodami, apud Petrum Humbertum, 1709, fol. Alph. 8 pl. 5.

MAgnam apud omnes laudem meruit Vir elegantiſſimus Franciſcus Vavaſſor, e Caroleſii Comitatu in Burgundia oriundus, qui cum anno 1621, ætatis decimo ſexto, in ſocietatem JEſu adſcriptus eſſet, Oratoris & Poetæ excellentiſſimi ac fidi Scripturæ Interpretis elogio claruit, Pariſiis demum A. 1681 die 14 Dec. defunctus. Varia is edidit ſcripta, ob Latini ſermonis elegantiam & acerrimum, quod ubique elucet, judicium a Viris eruditis ſummo in pretio habita; ut gratiæ utique debeantur ſolertiſſimo Typographo, qui ſcripta ejus, tum edita omnia, tum inedita & ſub ficto nomine emiſſa, quæ ſparſim inde ab A. 1637 usque ad 1679 prodiere, & rarius, in his imprimis regionibus, hactenus proſtabant, prelo denuo ſubjecit. Primum hic merito locum occupat pulcerrimus illius *de ludicra dictione* liber, Pariſiis antea 1658, 4 vulgatus, quem judex optimus Grævius in Notis ad Heſiodum librum omnibus Gratiis & Veneribus conditum vocat, plurimumque commendat Colomeſius in Bibl. Sel. p. 1. Qui ſequitur *de Epigrammate* liber, A. 1669 & 1672 editus, non minori in pretio eſt apud eruditos. Et quod obiter monemus, non Rapinum quidem eo in libro, ut eſt in Menagianis p. 61, ſed Petrum Nicolle paſſim perfricuit Autor, teſte Bælio Dict. T. II p. 664 & 934, quem ajunt poſt exaratas pulcra ac terſa oratione lineas aliquot, ſolœciſmum ſæ-

pe turpiſſimum admiſiſſe. Erat enim Vavaſſor optimus Latinæ dictionis judex ac cenſor, qui & *de vi & uſu quorundam verborum cum ſimplicium, tum conjunctorum*, commentatus eſt accurate, quod opuſculum proximum hic locum occupat, & ſcripſit ipſe *Orationes* tum *miſcellas* tum *ſacras*, ab Editore hic ſubjunctas. Succedunt libellus *de forma Chriſti: Janſenius ſuſpectus*, in quo acerrime in Janſenium invehitur: *Antonius Godellus Epiſcopus Graſſenſis an Elogii Aureliani ſcriptor idoneus? idemque utrum Poeta?* quæ duo opuſcula ſatyrico ſale referta, etſi nomen Vavaſſoris non præferebant, illum tamen utique autorem habuiſſe creduntur: *de libello ſuppoſititio ad Antonium Arnaldum* querela: *Jobus brevi commentario & metaphraſi poetica illuſtratus*, nec non *Commentarius in Oſeam Prophetam*, qui nunc primum ex ſchedis Autoris prodit, quanquam nondum omni ex parte abſolutus, tum *Poemata heroica*, *Elegiæ*, *Epigrammata*, quibus ſubjicitur libellus Gallicus, in quo Autor olim ἀνωνύμως Renatum Rapinum de Arte poetica ſecus ſentientem liberiori cenſura perſtrinxit. Et hæc prelo abſoluta magnamque partem fuerant divendita, cum ipſa Rapini Reſponſio Gallica ſatis quidem aculeata, cum Latina Vavaſſoris Epiſtola ad Delphinum, vix quatuor menſes natum, die VII Id. Mart. 1662 Lutetia data, in qua illi exemplum magni parentis, quod imitetur, proponens, optima quæque auguratur, ad Typographi manus venit; quare dignam utramque cenſuit, quam ipſi operi poſtliminio adjiceret.

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI, Archiatri & Prof. Giſeni, Praxis Medicinæ Infallibilis, cum Noſocomio Academico. Accedunt Diſpenſatorium domeſticum, Animadverſiones in Machiavellum Medicum, Declamationes Panegyricæ novæ, cum Programmatibus & Inſcriptionibus varii argumenti.

Francofurti ad Mœnum, apud Dominicum a Sande, 1711, 4.

Alph. 5 pl. 12.

In-

Digitized by Google

INfallibilis hæc *Praxis Medicina* audit Clariſſ. Valentini, cujus indefeſſa induſtria in evehenda non minus Arte ſalutari quam Hiſtoria Naturali jamdum comprobata ſatis & a nobis ſæpius commendata eſt, quod iſta illorum, qui vulgo pro infallibilibus habentur, Archiatrorum ſcilicet undique celeberrimorum, cautelis, conſiliis, & ſecretis illuſtratur: & licet hæc infallibilitas haud raro magis in opinione quam re ipſa radicetur, eventum tamen ſive feliciorem, ſive certiorem plerumque conjunctum habet, cum (ut in proverbio eſt) is plurimos curet, cui plurimi fidunt. Adde quod docendi methodus in hoc opere ſervata & ab ætatibus petita ratio Praxi huic majorem certitudinem videatur polliceri, quam ſi a vulgari antiquorum ordine juxta trium corporis humani regionum numerum a capite ad calcem procedente, ſeu a recentiorum juxta functiones in œconomia animali occurrentes methodo quis exſpectare poſſit. Scilicet in IV Partes diſtribuit hanc Praxin Autor Clariſſ. quarum I de Morbis puerorum, II de Morbis ſecundæ ætatis pubeſcentiæ tempus ſub ſe complectentis, III de Morbis tertiæ ætatis, ſeu conſiſtentis, IV de Morbis ſenum agit. Poſtquam enim ſingulis partibus ſciagraphiam præmiſit Noſter omnium morborum in iis tractandorum, in Tabula uniuscujusque affectus phænomena, ſubjectum, cauſam, tam proximam formalem & materialem, quam remotam, prognoſin, & denique curationem, non minus domeſticam, quam officinalem & chirurgicam, unico conſpectu ante oculos ponit. Cui ſubjungit Cautelas Practicas, Caſus, Obſervationes Virorum famigeratiſſimorum, Formulas & remediorum deſcriptiones ex apparatu domeſtico æque ac ex officinis pharmacevticis petendas. Speciminis loco ex Appendice, quæ de Convulſionibus agit, quædam delibabimus. Definit convulſionem Autor per motum animalem p. n. auctum, inſigniter tamen inſimul depravatum, ab irritatione partium fibroſarum & hinc introducto ſpirituum animalium orgaſmo potiſſimum provenientem. Cauſam efficientem proximam in ſpiritus animales quacunque ratione irritatos & in furorem actos rejicit, utpote ſub quo ſtatu partes motui animali deſtinatæ non abſque inſigni impetu ſpaſ-

modice potius convelluntur, quam legitime moventur. Cauſæ occaſionales & remotiores ipſi ſunt vel externæ vel internæ. Externæ tantum non innumerabiles exiſtunt, vel enim ab ictu vehementiori, a caſu ab alto, nervoſarumque partium vulnere, contuſionibus vel aliis quibuscunque violentiis convulſiones oriuntur; quo & terror, ira & alia graviora animi pathemata ſpectant. Cur autem convulſiones ab extra illatæ, remota omnino omni cauſa proxima materiali, perdurent nihilominus, & eos, qui ſemel iſtas perpeſſi ſunt, longo ſæpe tempore, quin & toto vitæ decurſu per paroxyſmos torquere ſoleant, docturus, cauſam in ideam quandam & characterem ſpaſmoidem ſeriei ſpirituum impreſſam rejicit, qui eos ad tales motus anomalias & eccentricitates invitet ſubinde & neceſſitet. Hujusque ideæ formale in propenſione ad motum, per flammiformem quandam ſpirituum animalium plicam exprimenda, conſiſtere putat. Hæc enim plica in ſerie ſpirituum eorumque textura radicata tamdiu latere ſolet, donec commoda data occaſione ſeſe explicare & in novum paroxyſmum (e potentia in actum deducta) erumpere cogat Archeum; hinc novus tragœdiæ actus. Inter internas cauſas accuſantur varia recrementa morboſa, quæ morſicando, rodendo, pungendo, ſcindendo partes nervoſas artuum in furorem agere aſſolent; ut lumbrici, calculi, &c. Frequentiſſime vero peccat acidum, plus minus acre, corroſivum, quod vel in primis viis ſtabulando, vel in reliquas machinæ microcoſmicæ partes penetrando & fibris nerveis muſculorumque ſuperficiei ſeſe inſinuando miſere eosdem arrodere, ſpirituumque ordinem in varias motuum anomalias præcipitare valet. In Therapia præſervatoria convulſionis habitualis methodum medendi morbis chronicis ſequitur Autor, & cum acidum illud morboſum fere ſemper ſua in primis viis agnoſcat incunabula, poſt digeſtiva acidum fortiter incidentia & abſorbentia emeticum vel blandum per inferiora purgans propinat, hinc ad Martialia pergit, quibus laxantia interponit; ſin hæc exſpectationem Medici fallant, ablegat ægros ad acidulas. Tandem ad appropriata antepileptica progreditur, & in convulſionibus, per aliarum partium conſenſum oriundis, vel per epi-

ge-

Digitized by Google

geneſin aliis morbis ſupervenientibus, alia appropriata admiſcet, nec inter topica thermarum ſulphurearum, inunctionum, fomentationum & balneorum artificialium obliviſcitur.

In *Noſocomio Academico* 16 leguntur caſus ſelectiores a Clariſſ. Valentini totidem Candidatis Medicinæ, ſub manuductione ejus Praxin Medicam adorientibus, ad reſolvendum & pro themate inaugurali ventilandos propoſiti; aguntque 1 de febre hæmoptoica, 2 de febre maligna phthiſi complicata, 3 de febre verminantium, 4 de febre lenta in hecticam degenerante, 5 de maniacis ab eſu olani furioſi, 6 de pleuritide maligna, 7 de phthiſi pulmonali, 8 de phthiſi renali, 9 de noſtalgia, 10 de hæmorrhoidibus cœcis, 11 de fœtore menſium, 12 de hæmorrhagia uteri, 13 de maculis volaticis convulſivis, 14 de rhachitide, 15 de ſcabie endemica & contagioſa, 16 de elephantiaſi Græcorum.

Excipit hoc *Diſpenſatorium domeſticum*, in quo iis, qui vel Praxin ſuam jam exorſi ſunt, vel animum ad τὸ τεχνωθῆναι applicant, ὑποτύπωσιν diſpenſatorii alicujus domeſtici ob oculos ponit, quod licet ex XII quaternionibus conſtet, ſufficientibus tamen & ad quoscunque fere caſus paratiſſimis remediis eſt inſtructum. Cui adnectuntur ſupplementa duo polychreſtorum exoticorum de Magneſia alba & Filtro lapide. Et quoniam Clariſſ. Valentini genuinam & plenariam Magneſiæ albæ deſcriptionem ac præparandi modum in Præfatione candide & ſincere patefacit, eundem & nos hic communicare non dubitamus. Modus præparandi hic eſt: Recipiatur olla terrea, vitreata, ac ad manubria usque lutata, capacitatis circiter Menſ. VIII, quæ imponatur furno, quousque lutata eſt, & ut baculo ferreo incumbat olla, oportet. Huic infundatur matricis nitrariorum Menſ. β. ſupponendo ignem carbonum, coquatur, donec nonnihil albeſcere incipiat, continuo, ſi ebulliendo vaſis margines ſeu limites tranſcendere conetur, baculo ligneo agitando. Tum recentis materiæ hujus Menſ. β. idque tertia, quartaque vice addas, tamdiu ſemper exſpectando, donec prior quantitas inſpiſſata fuerit. Continuetur ignis, gradu nonnihil aucto ſub indefeſſa agitatione, & ſulphureus ſpiritus acidus flamma ignea eructando evolabit, tandemque maſſa

flaveſcere incipiet, & exſiccari, quo obſervato ignem augere poteris, ut rurſus liqueſcat, & fluat, & tandem inſtar lactis candidiſſimi in fundo ollæ fluctuabit. In quo ſtatu vehementisſimo igne detineatur per horam unam, aut donec nullum vaporem amplius, ſi agitetur, eructet,& plane figatur. Sic masſam fervidam in ollam aqua tepida fontana repletam infundere poteris,aquam decanta, maſſam edulcora, exſicca ad Solem,vel poſt fornacem,pulveriſa, ſicque laudatiſſimam habebis panaceam ſolutivam.

In *Animadverſionibus in Machiavellum Medicum* de Ratione ſtatus Medicorum, cujus Autor Barnerus, Chymicus magni nominis,fuiſſe creditur, id agit Cl. Valentini,ut.quæ contra bonos mores, pietatem & chriſtianam charitatem militant, moneat,ne ſcandalum inde capiant Philiatri, atque his potius Corollaria Medico-Politica communicet.

Inter *Declamationes Panegyricas*, quas ſub ſuo tertio Rectoratu Academico A. 1708 habuit Autor, I de medicamento optimo, II de medicamentorum noxa, & officioſo Medicorum homicidio, III de incrementis Academiæ Giſenæ per cives Hasſiæ indigenas agit. Agmen denique Programmatum & ſubſcriptionum Academicarum Decuriæ V claudunt.

ELEMENTA SCIENTIÆ NATURALIS, ſive Principia Philoſophiæ theoreticæ, quibus veritatem inveſtigandi ſolida & facilis proponitur methodus,in uſum Juventutis inſtituendæ concinnata a JOHANNE REGIO, Med. & Phil. Doct.& hujus Profeſſore.

Franequeræ, apud Franciſcum Halma, 1711, 8.

Conſtat 1 Alph. $6\frac{1}{2}$. plag.

CUm Cl. Autori nec Philoſophia *Peripatetica* arrideat, nec *Carteſiana* per omnia ſatisfaciat, etſi multa in utraque approbet; meditationes proprias auditorum ſuorum inprimis gratia in calamum conjecit,ut nexus inter opiniones ipſius tanto magis perſpicuus evaderet. Conqueritur quidem de iniquis

Digitized by Google

quis Collegarum moliminibus ipſum prorſus peſſundandi & omni exiſtimatione orbandi, propterea quod in verba *Carteſii* jurare recuſet ac hinc ex juſto dolore in ejus dogmatibus refutandis affectibus ſubinde indulget; nullum tamen Doctorum publice taxat, Virorumque inſignium, quorum ſententias atro carbone notat, nominibus parcit. Orditur tractationem ab ente in genere: progreditur ad exiſtentiam Dei probandam & attributa ejus enarranda. Hinc de ſpiritu & corpore agit, ſicque ad Phyſicæ capita explicanda delabitur: ubi generali doctrina de corpore in genere atque motu abſoluta, corpora mundi totalia deſcribit & antequam ad globum noſtrum terraqueum pedem promovet, in lucem, ignem, aerem & gravitatem .. ter-quirit. In globo noſtro terraqueo conſiderat a... ..ntes ac fluram ejusque incolas: aqua ipſum ad mare, ſa... ..fluvia corporum, mina; terra ad plantas, mineralia, metall... ..tarantiſmum & metemagnetis phænomena, hydrophobia... animalia & homines: ubi ora deducit. Telluris incolæ ... ..dicæ compendium exhibet. Phyſiologiæ (quæ dicitur) ...

Entis exiſtentiam n... probat, ſed ſupponit, quia hac veritate nihil prius co... ..ri poteſt. Dividit autem ens in ſubſtantiam & modu... Iſta eſt ens per ſe exiſtens; hic vero eſt ens in alio e...tens. Subſtantiam per ſe abſolute exiſtentem vocat Deum. Unde probat, dari Deum, quod non minus repugnet, ut omnis ſubſtantia aliquam ſui cauſam habeat, quam ut aliqua ſit ſui ipſius cauſa. Paulo aliter juxta methodum Geometrarum in Præfatione probat, dari ens a ſe. Sed cum vi eorum, quæ in Actis anni ſuperioris p. 478 leguntur, nondum conſtet, dari Deum, etſi certum ſit dari ens a ſe, quod citra demonſtrationem admitti poteſt; non immerito disquirit, utrum ens a ſe ſit perfectiſſimum, nec ne. Affirmativam probat, quia omne, quod eſt, ad exiſtentiam referendum, quæ enti a ſe competit. Pro communiter recepta opinione, quod creatura nullam vim habeat exiſtentiam ſuam continuandi, ſed ſingulis momentis quaſi ex nihilo a Deo reproducatur, cum *Erhardo Weigelio* hanc rationem allegat, quod primum exiſtentiæ momentum non infert ſecundum. Decretum Dei numero unicum

cum ſtatuit, quia res decretæ finitæ ſunt, unico actu facile conficiendæ. Idem eſſe arbitratur abſolutum & indifferenter liberum, quia res decretæ ſolius Dei vi exiſtunt & ex pluribus poſſibilibus electæ. Cum *Poireto* radicem eſſentiarum in poſſibilitate per imaginem exprimendi perfectiones divinas conſtituit, & differentiam ſubſtantiarum a modis eſſentialibus derivat, propterea quod præter ſubſtantias & modum nihil datur. Contra *Spinoſam* adſtructurus ſubſtantiam infinitam poſſe producere alias ſubſtantias, illi ob omnipotentiam actiones tranſeuntes tribuit. Spiritum definit per ſubſtantiam activam, hoc eſt, principio ex ſe, absque ullius cauſæ ſecundæ ope, agendi p[illegible]am: corpus vero per ſubſtantiam mere paſſivam. *Carteſianis* [illegible]brat, quod eſſentiam ſpiritus in cogitatione, corporis in exten[illegible] conſiſtere affirment. Urget inter alia, quod ex cogitatione no[illegible]mnia deduci queant, quæ ſpiritui competunt, e. g. vis movendi [illegible]pora (idem contra Cl. Autoris definitionem corporis objici de[illegible]) extenſionis autem notio juxta ipſos Carteſianos notionem c[illegible]poris ſupponat, cum extenſio enaſcatur ex plurium corporum a[illegible]ione. Animæ in corpus influxum phyſicum concedit: cum e[illegible] ſit vere ac proprie ex ſe activa, ad objectum aliud ſe applicare idq[illegible]ficere, conſequenter actione transeunte agere poteſt, ſi ipſi credin[illegible]. Non obſtare, quod modum agendi ignoremus, quia multa a[illegible]timus, quorum modum, quo ſint aut fiant, non clare cognoſcimus. Indifferentiam non eſſe de libertatis natura, ſed accidens ejus, nec naturæ ipſius repugnare neceſſitatem, modo volens ſibi in ea placeat: voluntatem enim neceſſario ferri in bonum, ſaltem apparens. Perceptionem eſſe actum, quo ſpiritus objectum præſens intuetur, & in ea primam erroris originem fundari, quem evitaturus non nimis feſtinanter ac præcipitanter de rebus judicium ferre debet. Spiritui nullum tribuendum eſſe ubi, quod ubi & locus itemque ſpatium a parte ſui merum ſint nihil & duntaxat in noſtro conceptu exiſtant ob rerum corporearum ad ſe mutuo relationem. Spiritum corpori longe melius atque perfectius præſens eſſe poſſe, quam corpus corpori, quoniam ſit ſubſtantia activa adeoque corpus

pene-

Digitized by Google

penetret,pervadat,occupet. Vitam hominis in unione mentis cum corpore conſiſtere cum Scholaſticis defendit,quod corpus ex ſe paſſivum motus nullos producere poſſit: non tamen negat, corpus eſſe machinam ad motum ciendum aptam. Animam hujus actionis non eſſe conſciam, quoniam conſcientia tantum ſit ejus,cujus per ſenſus facta fuit percipiendi occaſio,& ex operationibus, quas dependenter a ſenſibus exercet, etiam ideam ſui formare teneatur, nullusque exiſtat ſenſus, per quem hujus actionis perceptionem acquirere poſſit. Equidem Cl. Autori hactenus recenſita usque adeo evidentia videntur,ut iis more Geometrarum decantatum illud *quod erat demonſtrandum* ſubſcribere vereatur; ſed nos valde veremur,ne cum aliis, qui Philoſophiam demonſtrare aliquoties aggreſſi ſunt, tanti nominis,quale eſt *demonſtratio*,majeſtatem violet. Demonſtratio enim inter alia requirit, ne definitiones ingrediantur voces non ſatis explicatæ & ne ex iis concludatur, antequam earum realitas evicta fuerit: ſed Cl. Autor e. g. in definitione ſpiritus utitur voce *actionis*, quam non explicat, & hinc influxum phyſicum in corpus ſtabiliturus eum ipſi tribuit ſignificatum, qui e re eſſe videtur, neque adeo ullo argumento probat, ſpiritui competere actiones tranſeuntes,eſſe enim *activum* non niſi explicat phraſi habere *actiones tranſeuntes*. Idem valet, cum ex activitate ſpiritus infert,quod corpus penetret,pervadat, occupet. Det,quæſo, Cl. Autor definitionem diſtinctam & claram activitatis & demonſtret per eam, quod penetratio corporis in ea involvatur,quæ & ipſa diſtincta explicatione eget. Eodem modo conſtabit,quod ob notionem ſummæ perfectionis non ſatis explicatam Deo non majorem perfectionem competere evicerit,quam quæ mundo competit, ſi detur (quod ſine ſummo ſcelere dari nequit) ens a ſe eſſe hoc univerſum: ut adeo argumentis ejus minor vis inſit ad Atheos convincendos.

Rectius itaque de hypotheſibus ſuis phyſicis ſentit, ubi exemplo *Hugenii* laudem ſummam in Phyſicis eſſe arbitratur,ſi veriſimilia inveneris. Videamus ergo, qualia Cl. Autor proferat. Aliquid boni ineſſe videtur ejus aſſertioni de origine extenſionis ex plurium ſubſtantiarum conjunctione. Videtur

enim cum ſagaciſſimo *Leibnitio* agnoſcere, extenſionem in numerum phænomenorum referri debere & multorum in uno perceptionem eſſe. Ex hac ipſa unione (quam ut diſtinctius explicaſſet Autor, optandum) *quantitatem* oriri ait: *qualitatem* autem pro diſpoſitione partium habet, quæ corpora diſtinguit & ad varia apta reddit. *Locus* ipſi eſt denominatio externa, ex relatione exiſtentiæ corporum juxta ſe invicem, atque adeo a parte ſui nihil reale eſt. *Spatii* conceptus, ſi tanquam extenſum ſpectetur, ex præjudiciis infantiæ ortus & contradictorius: a parte ſui non notat niſi non repugnantiam exiſtendi inter alia. *Motus* eſt corporis paſſio, ſecundum quam transferri dicitur de loco in loco. Nimirum cum ſyſtema cauſarum occaſionalium oppugnaverit, nec in natura corporea quicquam activi agnoſcat; nihil activi ad motus-productionem requirit: quæ rurſus concipi nequeunt ob notiones *activi & paſſivi* non evolutas. Etſi autem ad motum producendum nullam veram actionem admittat: ad ejus tamen conſervationem perpetuum impulſum externum requirit. Continuatur motus ex mente Autoris, dum aer expulſus in locum a mobili derelictum ſe recipiens in id impingit. Docet præterea, in doctrina de motu reflexo æqualitatem angulorum incidentiæ ac reflexionis magis in mente, quam re ipſa conſiſtere; omnem refractionem exiguam eſſe reflexionem; corpus non poſſe moveri in vacuo; quietem non indigere cauſa poſitiva, quia ceſſante motu adeſt quies; prima corporis extenſi principia per motum affici non poſſe; quæ ſit cauſa arctæ cohæſionis; omnia mundi phænomena ex ſitu & figura partium conſequi. Quæ de potentiis mechanicis & Planetis tradit, Matheſi non ſatis conveniunt. E. g. Profitetur, ſi tanta ſit differentia inter magnitudinem Solis & Lunæ, ut autumant Aſtronomi, ſe, qui unquam eclipſis totalis eſſe queat, non percipere, quandoquidem Luna plusquam millies Sole minor, totum illud corpus lucidum conſpectui noſtro eripere non valeat. Nec obſtare, quod apparens Lunæ diameter tanta ſit, quanta apparens diameter Solis: certum enim manere, Solem corpus lucidum Lunam undique multum excedere ſeſeque extra Lunæ limbum lon-

longe extendere, unde impoſſibile ſit; inprimis cum & ipſa Luna ſatis ab oculis noſtris removeatur, ut pars ſolis a Luna non tecta a nobis non conſpiciatur. Planetas Lunæ inſtar eclipſin pati aſſerit. Veneri ſatellites tribuit, dubio procul obſervatione *Fontanæ* permotus, quam *Riccíolus* in Almag. Tom. I f. 485 ſub incudem revocat: de annulo autem Saturni & uno alteroque ejus comite ſubdubitanter loquitur. Stationum & retrogradationum cauſam eſſe ait varium circulorum, per quos moventur, reſpectu noſtri ſitum. Ceterum cum *Carteſio* cœlum ex æthere in vortices acto conſtare ſtatuit & maculas Solis cum *Schyrlæo de Rheita* pro ejus ſatellitibus, Cometas vero exemplo multorum Aſtronomorum pro ſtellis perpetuis habet. In lumine ac coloribus explicandis *Carteſium* itidem ſequitur; materiam autem ignis juxta globulos æthereos per univerſum diffundi cenſet. Concipit vero ignem ſubtile corpuſculum rotundum, exiguis undique aculeis inſtructum & a materia cœleſti circa centrum celerrime rotatum. Solis naturam igneam negat: metuit enim, ne, dum circa axem movetur, partes a centro recedant. Ignis culinaris ipſi eſt impurus; multis nimirum particulis heterogeneis conſtat ex corpore conſumtibili prodeuntibus. Particulæ aeris figuram triangularem habent & a materia cœleſti circa centrum celerrime moventur. Aer præcipua gravitatis cauſa apud nos: aliquos tamen & materiæ cœleſti, & igni concedit partes, quoniam ipſius judicio in tubo evacuato aqua in infinitum aſcenderet, ſi preſſio a ſolo aere eſſet. Phænomena tubulorum capillarium ſolvit per motum aeris imminutum, dum ab internis vitri anguſti parietibus reflectitur. Accelerationem motus gravium petit ab aere ad tergum recurrente. Aqua ex ejus mente eſt corpus teres, flexile & glabrum, figuræ oblongæ, majoris molis quam aer. Frigus conſiſtit in cohibitione motus inteſtini minimarum partium noſtri corporis. Sal eſt corpuſculum oblongum, tenue, quodammodo planum, rigidum, utrinque dentatum. Fluxum & refluxum maris explicaturus ſupponit, Deum aquam in hoc & oppoſito hemiſphærio accumulaſſe aeremque in iſtos cumulos aquarum ultra maris ſuperficiem communem promi-

nentes impetum feciſſe, hinc aquam vicinam quaqua[illegible] fuiſſe propulſam, eamque iterum aerem [illegible]me, aeremque loco motum undique ad illum [illegible]ulum ſubſidentem acceſſiſſe, impetumque prementis aeris ita auxiſſe, ut ubi in principio quaſi mons aqueus erat, poſt quasdam horas eſſet vallis. Sed poſtquam locus in mari declivis aliquis eſt, eo neceſſario aquam vicinam confluere & illuc confluentem repellere aerem, qui inde repulſus ſuam vim jam exerat in aquam circumjacentem eamque verſus principium ſuum reprimat, & ita brevi mutari aeris preſſionem, ut omnis aqua ad littora progreſſa inde ad medium maris retrudatur, & cum undique aqua magna vehementia accurrat aerque eo in loco, in quo motus maris principium fuit, abigatur, iterum aquam eodem in loco ad eandem altitudinem aſcendere, donec mutato aeris æquipondio, iterum eo in loco deprimatur. Fontium originem ex fluviis potiſſimum ſubterraneis; terræ motus autem ab accenſione halituum ſulphureorum in cavernis terræ derivat. In phænomenis magnetis explicandis *Carteſium* laudat; figuram tamen particularum atmoſphæræ magneticæ ſtriatam non probat. Ipſi particulæ videntur oblongæ, in una parte acuminatæ, in altera vero latiores & pori magnetis in uno polo ampliores, quam in altero. Fulmen definit per meteorum ignitum e nube denſa repente rupta excitatum. Ceterum digna eſt, quæ ulteriori examini ſubjiciatur, ejus de effluviis inanimatorum hypotheſis. Conſtat e. g. exiguum zibethi fruſtulum intra anni ſpatium multis veſtimentis odorem impertiri, pondere ipſius ad ſenſum parum minuto. Effluvia igitur odorifera pro particulis atmoſphæricis habet Cl. Autor, quæ dum corporum poros permeant, eorum figuras facile induant variasque inde virtutes nanciſcantur. Animal definit per compoſitum ex anima & corpore. Per animam intelligit ſubſtantiam ex ſe activam; adeoque ſpiritum juxta ipſius hypotheſes. Indigere tamen eam objecto idoneo & organis corporis ad agendum ſtatuit. Brutis largitur perceptionem objectorum externorum, ſed citra abſtractionem, quod intellectus officium: neque enim animam ipſis ut homini ad veritatem contemplandam, ſed ad regimen

men corporis datam eſſe. Percepto objecto, bruta ſe ſponte ad agendum determinare: neque enim poſito tali objecto talem conſtanter ſequi actionem. Animas has in prima creatione a Deo productas eſſe; non tamen ſemper egiſſe. Nam ut agendi potentia ad actum deducatur, requirit, 1 ut ab alia ſubſtantia activa quoad modos alterius perficiatur: 2 ut iis paretur corpus organicum: 3 ut cum eo uniantur: 4 ut objecta adſint idonea. Quia anima utpote ſubſtantia activa paſſivam penetrat & afficit; axioma ipſi veriſſimum videtur: anima eſt tota in toto corpore & tota in ſingulis ejus partibus. Tribuit animæ etiam in corpore humano directionem operationum vitalium. Corpus quoad partes continentes & viſcera medii ac infimi ventris a fœmina, cerebrum & genus nervoſum a mare originem trahere ſtatuit. Rationes has allegat: quia maxima ſimilitudo inter figuram cerebri & vaſa ſpermatica; 2 maximum inter teſtes & cerebrum per nervos commercium; 3 idem fere cerebri & ſeminis color. Unionem eorum, quæ mas ſuppeditat, cum reliquis corporis rudimentis a matre additis in ovulo fieri, dum adhuc in ovario exiſtit. Somni cauſam allegat ſpirituum animalium e nervis per corpus diſtibutis atque coarctatis ſenſim ad cerebrum & ob cerebrum quodammodo contractum ad cerebellum reditus: ceſſant enim ſenſationes ſomno præſente. Omnem denique cognitionem cum *Ariſtotele* & *Lockio* a ſenſibus derivat. Laudandus eſt Autor doctiſſimus, quod, excuſſis præjudicii nebulis, principia Philoſophiæ Carteſianæ (in qua multum boni reperiri agnoſcimus) emendanda eſſe non modo agnoſcat, ſed & emendationem ipſe pro virili tentet. Quamobrem cum veritatem curæ cordique habeat; non diſpliciturum ipſi confidimus, quod monuerimus, nonnulla, quæ ipſi jam demonſtrata videntur, ulteriorem adhuc diſcuſſionem deſiderare.

C. W. OBJECTIONES CONTRA NOVAM definitionem Motus in Diario Eruditorum Pariſino exhibitam.

VIr quidam doctus Maſſiliæ degens in Diario Gallico menſe Majo anni præſentis novam propoſuit definitionem motus, cum ab aliis hactenus datæ ipſi non ſufficiant, atque Philoſophos ad ejus examen invitavit, reſponſiones ad objectiones ſpondens. Quare Viro Cl. non diſpliciturum confido, ſi quas contra eam difficultates propoſuero. Definitio hæc eſt: *Motus eſt actio corporis aut imoreſſio in corpore recepta, qua vel alteri corpori reali aut ſuppoſito propinquare, vel ab eodem elongari poteſt.* Per genus motum a quiete diſtingui arbitratur: differentiam ſpecificam talem dare intendit, ut definitio habeat locum, etiamſi unicum corpus in ſpatio prorſus vacuo motum exiſtere demus. Generis loco ponit *actionem corporis aut impreſſionem in corpore receptam.* Sed 1 nulla concipitur actio corporis ſine motu aut ſine eo, quod eſt reale in motu, conatu nempe ſeu niſu quo materia inſtruitur. Det enim Vir Cl. actionis cujuscunque corporeæ definitionem, facile animadvertet, notas ad actionem unam ab altera ejusdem præſertim corporis diſtinguendam non aliunde quam a motu & ejus requiſitis deſumi poſſe. 2 Multo magis notio impreſſionis motum involvit. Neque enim fieri concipitur niſi per impactum corporis A in corpus B. Aſt A in B impingere non concipitur, niſi quatenus movetur. 3 Nulla impreſſio concipi poteſt ſine aliquo, quod imprimitur. Quid igitur A, dum impingit in B, ipſi imprimere dicetur? Nonne motum? Patet ergo denuo, genus definitionis definitum involvere. Neque 4 tam impreſſio, quam id, quod imprimitur, recipitur, & 5 motus non niſi improprie imprimi dicitur, notioni confuſæ ab imaginatione ſuppeditatæ convenienter. Unde nolim, definitionem motus philoſophicam ingredi voces improprias. Accedit 6 quod receptio impreſſionis, quam Vir doctus generis loco ponit, controverſiam de communicatione motus implicet, quam ex definitione motus excludendam eſſe non diffitebitur. Fallitur 7 Vir Cl. dum ſibi perſuadet, genus in definitione poſitum motum a quiete diſtinguere. Non jam urgeo, id quod reale eſt in motu, niſum nempe corporis, non minus in quieſcente quam in moto deprehendi; ſed definitionem ad corpus aliquod quieſcens

Digitized by Google

eſcens applico. Ponamus e. g. globum plumbeum ex filo ſuſpenſum, quo retinetur, ne deſcendat. Dum ita quieſcit, continuo verſus centrum terræ nititur adeoque agit, cumque niſus ille ab impulſu ætheris globum perlabentis pendeat, hujus continuo impreſſiones (ut cum Viro docto loquar) recipit. Et hac actione, vel recepta ætheris impreſſione centro telluris propinquare & a manu tenentis recedere poteſt: acceſſus enim ad centrum terræ & receſſus a manu tenentis eſt effectus illa actione producendus. Unde ſi filum, quod renititur, diſſecatur; globus actu deſcendit. Filo autem diſſecto, nil globo accedit, quod non ante inerat; ſed impedimentum ſaltem removetur, quod obſtat, quo minus potentia ad actum traducatur. Denique 8 cum definitio motus deſideretur non tam ad corpora mota a quieſcentibus in vita communi diſtinguenda, quam ut inter principia Philoſophiæ naturalis referatur, ex quibus alia deducantur; id maxime deſidero, quod naturam motus non ſatis explicet, nec id, quod eſt reale in motu, a phænomeno diſtinguat: quod diſcrimen jam exponere animus non eſt.

DE BAROMETRO DISSERTATIONES duæ JACOBI PLACENTINI, D. Tarviſini.

Patavii, typis Jo. Baptiſtæ Conzatti, 1711, 12.

Conſtat plag. 11 Tab. æn. 1.

DIximus Menſe Januario p. 10 & ſeqq. de controverſia barometrica, quæ inter Viros doctiſſimos *Ramazzinum* & *Schelhammerum* in foro Dn. *Schrœckii*, Academiæ Naturæ Curioſorum Leopoldinæ Præſidis illuſtris, agitata: ubi ſimul monuimus, Cl. *Ramazzinum*, miſſa, quam defenderat, ſententia, rationem phænomeni controverſi ab illuſtri *Leibnitio* aſſignatam ambabus àmplexum eſſe. Hanc controverſiam renovat Cl. *Placentinus* & in diſſertatione prima hypotheſin celeberrimi *Schelhammeri* oppugnat; in altera *Leibnitianam* interpretatur atque proprias nonnullas circa motus barometri conjecturas adjicit. Statuit *Schelhammerus*, aerem ab humore adeo inſpiſſa-

ſpiſſari, ut corporis conſiſtentis ſpeciem referat: quod ex nubibus Solem conſpectui noſtro eripientibus colligit. Ab eo incumbentis atmoſphæræ pondus ceu quodam fornice ſuſtineri, ut in Mercurium barometri minus gravitet. Plus adeo aeris Mercurio incumbere, ſi cœlum ſudum. Quanquam autem, admiſſa licet illa cohæſione, nubes rurſus a ſubjecto aere ſuſtentari, nec adeo preſſionem totius cylindri mutare videantur, neque ideo fortaſſe cohæſionem omnem aeri denegare neceſſe fuerit, inquirit tamen Autor, an fluida ullam partium adhæſionem habeant, ita quidem ut repugnent, quo minus a diſpoſitione, ordine, configuratione ſua dimoveantur. Hanc vero adhæſionem adverſari ſtatuit notioni fluidi, vi cujus nullam per ſe figuram conſervat, ſed omnem ab ambiente ſuſcipit; nec minus adverſam eſſe motui inteſtino partium fluidi, affectioni ejus neceſſariæ; imo adverſari eandem iis, quæ ab *Archimede* in libris de inſidentibus humido demonſtrata ſunt: admiſſa enim tali adhæſione, corpora ſpecifice leviora & graviora fluido datum in eo locum tueri poſſent, illaque nunc majore, nunc minore ſui parte ſupra fluidum extare poſſent. Hinc non concedit, moleculas ſpecifice graviores ob fluidarum adhæſionem fluido ſpecifice leviori innatare. Provocat inſuper ad fluida viſcoſa, quorum licet viſcoſitas a partium adhæſione pendeat, hoc tamen non obſtante leges hydroſtaticas eodem modo obſervent ac minus viſcoſa. Motum quoque inteſtinum iſtam adhæſionem evertere arbitratur. Equidem indubitatum videtur, ſi grave perrumpat viſcoſitatem, obſervari leges hydroſtaticas; ſed nec motus inteſtinus, nec fluidi notio omni adhæſioni obſtare videtur, cum ſenſibilium fluiditas non videatur perfecta, alioqui guttæ aqueæ ſe non ſuſtinerent, ſed in planum ſubjectum defluerent, neque aqua corpori madefacto adhæreret. Et dum Cl. Autor in fluidis admittit tum repugnantiam quandam, quam habent eorum partes ad divulſionem tum a ſui maſſa, tum ab aliis corporibus, quæ madefaciunt; tum repugnantiam ad prompte facileve fluendum: aliquam etiam partium cohæſionem admittere videtur. Et licet repugnantiam illam inde derivet, quod ab ambiente fluido circumprimantur, quod cum

corum

Digitized by Google

eorum interſtitia penetrare nequeat, pro ſuæ activitatis modo easdem partes cohibet cogitque: non tamen ignotum eſt, plures jamdum cohæſionis partium in fluidis & ſolidis eandem rationem dediſſe. Quamobrem Cl. Autor non tam ipſam partium aliqualem adhæſionem, quam eos oppugnare videtur, qui hujus cauſam ſolam quietem tanquam cauſam poſitivam allegare ſolent. Ceterum dum de hoc argumento disquirit, multa alia de fluidorum natura, aſcenſu ſupra libellam in tabulis capillaribus, adhæſione aliisq; phænomenis una promit. Progreditur dein ad examinanda nova principia hydroſtatica *Schelhammeri*, eorumque falſitatem oſtendere conatur. In his perſpicuitatem maxime deſiderat & quaſi de induſtria eadem tenebris adeo involuta pronunciat, ut ad interpretationem *Sybillæ* opus ſit. Impugnat e. g. rationem, quam dedit *Schelhammerus*, cur, quæ in fluido leviore merguntur, in graviore aſcendant &, quæ in leviore conſiſtunt, ubi id gravius factum eſt, altius enituntur, & ab *Archimede* dudum demonſtratis propoſitionibus hydroſtaticis adverſam oſtendit. Improbat, quod aſſeruerit, corpus difficilius attolli, quo profundius mergitur: quam aſſertionem inde profectam ſuſpicatur, quod non probe diſtinxerit fluidorum vim, quæ immerſa corpora circumprimit, ab ea, quæ ſurſum pellit, per capſulam hydroſtaticam *Wolfianam* in Actis hujus anni p. 15 deſcriptam facile ab hac diſtinguendam. Nec magis arridet, quod affirmat, corpora immerſa in fluido craſſiore multo facilius attolli, quam in tenuiore, quod craſſius fluidum multo plus atmoſphæræ oneris ſuſtineat prohibeatque ab immerſis, quam id quod tenuius eſt; cum hæc propoſitio hydroſtaticam *Archimedis* evertat, per ſolam corporum immerſorum fluidorumque gravitatem leges hydroſtaticas demonſtrantis, & repugnet propoſitioni a Schelhammero admiſſæ, quod, quæ in fluido leviore merguntur, in graviore aſcendant. Addi poterat, easdem leges a corporibus immerſis obſervari in ſpatiis ab aere vacuis, quam eodem plenis: hinc enim manifeſtum eſt, aeris in motum ac quietem corporum aliis fluidis immerſorum nullum eſſe influxum.

In Diſſertatione ſecunda phænomena barometri primum

recenſet: quo facto *Leibnitianam* ſententiam de aere pluvio leviori, ſereno autem graviori expoſiturus, probat, 1 non minorem ſemper aquæ copiam in aere perſpicuo & ad ſenſum ſicciſſimo contineri, quam in caliginoſo & humenti: 2 ubi humoris partes unum cum aere corpus componunt, aerem ipſum tanto graviorem fieri, quanta per ipſas materiæ acceſſio facta eſt: 3 ubi vero ab aeris mixtione ſeparatæ depluunt, eum minus gravem reddi, ab aqueis enim guttulis decidentibus aerem tantundem ferme gravem fieri, quantum eſſet, ſi earundem guttularum ſpatia aer ipſe occuparet. Primi aſſerti rationes varias allegat. Metalla in menſtruis ita ſolvuntur, ut nihil præter aquam ſimplicem in eo vaſe, in quo ſolutio facta eſt, contineri videatur: inſtillata vero una alteraque gutta olei tartari liquor fit opaciſſimus & particulæ metallicæ præcipitantur. Multa ſunt in Aſia, Africa & America loca, ubi in perpetua fere ſerenitate ros copioſus decidit, non agris ſolum humectandis, ſed rivis etiam gignendis ſufficiens. Durante æſtate noſtris quoque in oris fluvii & corpora humida exſiccantur ſicque aer copioſo vapore imprægnatur. Ad ſecundum monet, non obſtare eidem motum inteſtinum fluidorum, quoniam aqua frigida & fervens, congelata & regelata idem pondus conſtanter retinet, idemque pondus aquæ ac ſalium junctim ante quam poſt commixtionem eſſe *Boylius* experimentando didicit. Tertium denique experimento *Leibnitiano* confirmat, de quo dictum eſt in his Actis loco ſupra citato. Ceterum cum per experimenta *Mariotti* & *Philippi de la Hire* conſtet, aquam unius anni curriculo depluentem 17 vel 20 ad ſummum pollicum eſſe, notumque ſit, Mercurium cœlo ſudo ac ſereno ex improviſo per pollicis altitudinem deſcendere; inde colligit, illuſtrem *Leibnitium* præcipuam cauſam, cur tempore pluvio deſcendat Mercurius, in deſcenſu vaporum non quærere. Alias igitur rationes a proprietatibus aeris hodie notiſſimis deſumtas ſuperaddit: quæ potiſſimum huc redeunt, quod aeris columnæ eandem ſemper altitudinem ob fluiditatem tuentes nunc graviores, nunc leviores fiant, prout vel a ventis frigidis denſatur, vel a calidis expanditur.

Leib-

Digitized by Google

Leibnitius autem (ut ad Amicum dudum perſcripſit) pro certo quidem habet guttarum lapſu cylindrum aeris leviorem reddi; ſed multa alia contingere putat, quæ effectum ſubinde turbent regulasque prædictionum infringant: eaq; potiſſimum a ventis naſci, nec tantum ab eorum calore ac frigore, ſed inprimis etiam a motu. Sæpius enim aerem priorem auferunt, alium afferunt, guttas daturum vel non daturum permutant, antequam eæ ad terram perveniant. Aer etiam non ſtatim cedens (alio præſertim vento obſtante) a vento ingruente denſatur, aucta cylindri maſſa. Quicquid enim cylindri totalis aerei incumbentis maſſam auget vel minuit, id ad ejus pondus augendum vel minuendum confert: & revera etiam guttæ cadentes cylindri incumbentis maſſam imminuunt, quia amplius non incumbunt. Eſt & nova ratio itidem a vento, quæ maſſam non mutat, ſed, ut ſic dicam, incumbentiam, dum ſcilicet ventus vehemens (præſertim qui aliquatenus ſurſum tendit) aerem fert ſecum & impetu ſuo ſuſtentat, quemadmodum ſagitta vel globus pondus cylindri aerei non auget, non ſolum cum in eo cadit per gravitatem, ſed etiam cum in eo aſcendit per impetum. Quod autem de ſagitta in aere, id quodammodo de ipſis aeris partibus dici poteſt. Et hinc jam a *Gerikio* primo borometricæ prædictionis inventore notatum eſt, imminentibus tempeſtatibus Mercurium cadere. Porro etiam guttarum ſeparationem ab aere promoveri cenſet, *Leibnitius* a ventis & in univerſum a cauſis aerem rarefacientibus vel laxantibus, inter quas & ventus locum habet a tellure recedere nitens & quicquid cylindrum maſſa non aucta altiorem reddit. Aer enim rarior minus bene ſuſtinet aquam: quod experimentis antliæ *Gerikianæ* confirmari poſſe ſuſpicatur, tentando an non aquam ab aere ſeparare liceat, renovato ſæpe aere qui rareſit, præſertim ſi vas magnum adhibeatur.

TABULÆ SINUUM ATQUE TANGENTIUM tam naturalium, quam artificialium, una cum logarithmis numerorum vulgarium ab 1 usque ad 10000, numeris quadratis ac cubicis ab 1 usque ad 1000. Edidit,


præfatus eſt & regulam univerſalem ſolvendi omnia triangula tam plana, quam ſphærica præmiſit CHRISTIANUS WOLFIUS, in Acad. Frideric. Mathem. P.P. & Societatum Regiarum, Britannicæ atque Boruſſicæ, Sodalis.

Halæ Magdeburgicæ, ſumptibus Joh. Godofr. Rengeri, 1711, 8.


Conſtat plag. 20½. Tab. æn. 2.

HAnc Tabularum Sinuum atq; Tangentium editionem non tantum ideo commemoramus, quod inter accuratiſſimas locum mereatur; ſed & quod in præfatione illarum hiſtoria, in introductione autem unica regula ſolvendi omnia triangula tam plana, quam ſphærica contineatur. Originem Trigonometriæ ad Aſtronomiam refert Cl. Editor. Hinc *Hipparchum Rhodium*, Aſtronomum inſignem, ſubtenſarum in circulo doctrinam duodecim libris tractaſſe, unde *Ptolomæus* deſumſerit, quæ libro primo Almageſti de hoc argumento leguntur. Veteres in Trigonometria uſos fuiſſe ſubtenſis & radium in 60 gradus, ſingulos vero gradus in ſcrupula prima & ſecunda diviſiſſe. In iſtiusmodi ſcrupulis Canonem ſubtenſarum ad ſingulos gradus dimidios ſupputaſſe *Ptolemæum*, quem ad ſingula minuta prima ſub initium ſeculi decimi ſexti extenderit *Orontius Finæus*. Antecedente tamen ſeculo jam *Johannem Regiomontanum* exemplo *Saracenorum* ſubtenſis ſinus ſubſtituiſſe & nova ratione ad tollendas fractiones ſexagenarias radium primo in 6000000, mox vero in 10000000 partes diſtribuiſſe. Eundem condidiſſe *Tabulam fœcundam*, in qua Coſinus iſtiusmodi partibus exprimatur, qualium ſinus eſt 10000000. Immo *Joachimum Rheticum* radium quoque talibus particulis expreſſiſſe quales Coſinuum alter continet 10000000. *Rheticum* canonem triangulorum ad dena ſecunda; *Pitiſcum* ad ſingula ſecunda extendiſſe. *Johannem Neperum* in Canone mirifico A. 1614 primum ſinus & tangentes artificiales introduxiſſe, ad dena ſecunda a *Benjamino Urſino* extenſum. *Neperum* radio tribuiſſe logarithmum 0; ſed ex ejus conſilio *Henricum Brigium*

gium Canonem logarithmorum novum pro numeris vulgaribus ab 1 ad 20000 & a 90000 ad 100000 conſtruxiſſe, in quo o eſt logarithmus unitatis, lacuna inter 20000 & 90000 mox ab *Adriano Vlacco* expleta. *Briggium* quoque ſinuum ac tangentium logarithmos pro ſingulis gradibus eorumque partibus centeſimis; *Vlaccum* vero ad deňa ſcrupula ſecunda eosdem computaſſe, quos ad ſingula ſecunda reduxerit *Læſerus*, Eques Miſnicus, præmatura morte impeditus, quo minus opus multi laboris ad umbilicum fere deductum ediderit. Monet tamen Autor, ſi quis editioni ſumtus neceſſarios tulerit, hæredes illud orbi erudito quam lubentiſſime exhibituros. Ceterum cum Trigonometria ſphærica caſuum multitudine obruat tyrones; jam A. 1614 *Neperum* Canoni ſuo mirifico præmiſiſſe regulam catholicam ſolvendi triangula ſphærica rectangula. Tali inveniendæ cum etiam Autor operam dediſſet, antequam regula *Neperi* ipſi perſpecta eſſet, reperit aliquam, a *Neperiano* parum abludentem & (quod incredibile antea viſum fuerat) miram analogiam inter trigonometriam planam & ſphæricam una detexit, ita ut per eandem regulam & rectilinea, & ſphærica triangula ſolvere docuerit. Immo ex datis tribus lateribus angulos eodem modo in ſphæricis, quo in rectilineis inveſtigat. Nimirum in triangulo rectangulo A B C præter angulum rectum cujus nulla hic habetur ratio, quinque ſunt partes, quarum in caſu quolibet duæ dantur, tertia quæritur. Harum trium una eſt media; duæ reliquæ vel immediate iſti adjacent, vel ab eadem parte alia interjacente ſeparantur. Illas *conjunctas* has *ſejunctas* vocat. In omni ergo triangulo rectangulo *Sinus totus cum Coſinu partis mediæ æquatur ſinibus ſejunctarum & cotangentibus conjunctarum.* In uſu regulæ notandum 1 quod loquatur de ſinibus & tangentibus artificialibus; 2 quod in ſphæricis crurum A B & B C aſſumenda ſint complementa ad quadrantem (& hinc potiſſimum enata eſt differentia inter regulam *Wolſianam* & *Neperianam*. *Neperus*



enim aſſumit angulorum A & C complementa, idque in cauſa eſſe videtur, quod analogiam inter Trigonometriam utramque non adverterit): 3 quod in planis ſinuum & tangentium loco utendum ſit ipſis lateribus. Et ut eadem regula tanto facilius ad ſolutionem obliquangulorum ACB in duo rectangula ACD



& CDB reſolutorum transferatur, notat: *Partem mediam in triangulo ACD cum extrema in altero CDB eſſe æqualem mediæ in CDB cum extrema in ACD.* Horum omnium demonſtrationes faciles ſe daturum pollicetur in Latina Elementorum ſuorum Matheſeos univerſæ editione.

CONSIDERATIO WENCESLAI JOSEPHI PELICANI ſuper ſpecimine Trigonometriæ Analyticæ ab Illuſtriſſimo Domino, Domino FERDINANDO ERNESTO, Comite ab HERBERSTEIN exhibito, ac Actis Menſis Julii inſerto.

PRoblema, quod celeberrimus Newton in Arithmetica Univerſali, in gratiam tyronum olim conſcripta, ſolvit, videl. *datis ſumma laterum, baſi & angulo verticali determinare latera* aut huic ſimile, omnino concinniorem admittit reſolutionem, ſi anguli quærantur ad baſin, prout id a præfato Illuſtriſſimo Domino Comite uberrime præſtitum eſt, dummodo ita generalis data ſumma aut differentia duorum angulorum, ac poſito ſinu unius = x mox alterius obtineretur nomenclatura. Quia vero neminem latere poteſt, quin hujuscemodi Problemata dependeant a Problemate Univerſali prius reſoluto: *data ſumma vel differentia duorum angulorum determinare analytice utrumque*, aut potius, quia hoc ſufficere non videtur in Problemate inibi ſubjuncto: *data differentia angulorum ad baſin & ipſa baſi, determinare omnes tres*; ſolutionem proinde modo dicti problematis aggrediendam non æſtimavi prius, niſi & alterum (ſine quo forte intento fruſtrarer) ſolveretur, & quidem

non

non ſine effectu paratus Tabellas cum ſua demonſtratione orbi literario exponere, & conſequenter ipſius Problematis propoſiti ſolutionem exhibere, dummodo prius Analyſtarum de hoc attentato, prout exſpecto, obtinuero judicium. Ne autem ipſe Reſolutione hujus Problematis Univerſalis deſtitutus videar, hic ſolum unicum ejus ſpecimen, miſſis ceteris caſibus ejusdem facilitatis, appono ac Tabellam exhibeo, nimirum : data differentia duorum angulorum æquali quadranti, poſitoque ſinu toto = r & ſinu alterutrius anguli = x determinare Sinus, Tangentes, &c. reliquorum angulorum.

Anguli primi.		Anguli ſecundi cum primo connexi.		Anguli tertii.	
Sin.	$= x$	Sin.	$\sqrt{r^2=x^2}$	Sin.	$\frac{r^2-2x^2}{r}$
Co-Sin.	$=\sqrt{r^2-x^2}$	Co-ſin.	x	Co-Sin.	$\frac{2x\sqrt{r^2-x^2}}{r}$
Tang.	$\frac{rx}{\sqrt{r^2-x^2}}$	Tang.	$\frac{r\sqrt{r^2-x^2}}{x}$	Tang.	$\frac{r^3-2rx^2}{2x\sqrt{r^2-x^2}}$
Co-Tang.	$\frac{r\sqrt{r^2-x^2}}{x}$	Co-Tang.	$\frac{rx}{\sqrt{r^2-x^2}}$	Co-Tang.	$\frac{2rx\sqrt{r^2-x^2}}{r^2-2x^2}$
Sec.	$\frac{r^2}{\sqrt{r^2-x^2}}$	Sec.	$\frac{r^2}{x}$	Sec.	$\frac{r^3}{2x\sqrt{r^2-x^2}}$
Co-Sec.	$\frac{r^2}{x}$	Co-Sec.	$\frac{r^2}{\sqrt{r^2-x^2}}$	Co Sec.	$\frac{r^3}{r^2-2x^2}$

LES ELEMENS DE GEOMETRIE.

h. e.

ELEMENTA GEOMETRIÆ, AUTORE R. P. BERNHARDO LAMY, Congregationis Oratorii Sacerdote. Editio quarta, reviſa & aucta.

Pariſiis, apud Florentinum de Laulne, 1710, 12.

Conſtat plag. 21.

Equi-

EQuidem Elementa Geometriæ admodum Rev. P. Lamy nemo ignorat, qui ad hæc ſtudia animum appulit, cum & ob ordinem & perſpicuitatem ſingularem omnium applauſum meruerint; novam tamen illorum editionem in ſcenam producere debuimus, tum quia varia immutata, tum quia multa ſuperaddita, ita ut novam prorſus faciem induiſſe videantur. Immutavit nonnulla in dictione; aliqua in ordine. Multa paſſim addidit, quæ jam ante tradita magis illuſtrant; plurimas propoſitiones adjecit, quæ olim omiſerat. Quæ in prioribus editionibus ex Elementis ſuis Matheſeos ſupponebat; in præſente libro tertio integro nova ratione pertractat: unde libris ſex conſtat editio nova, cum anteriores quinque abſolvantur. Inprimis autem liber ultimus, in quo Analyſeos ad Geometriam applicatio continetur, tantum ſubiit mutationis, ut plane novus videatur, quamvis ut ante in conſtruendis æquationibus non ultra quadraticas progrediatur. Reperies nunc in his Elementis univerſas *Euclidis* propoſitiones, etſi meliore ordine digeſtas & alio, quam a *Proclo* factum eſt, modo demonſtratas, una cum palmariis *Archimedis* de circulo, ſphæra, cylindro atque cono. Acceſſit etiam introductio ad ſectiones conicas. Utut autem in ea Autor ſub initium oſtendat, quomodo parabola, hyperbola & ellipſis ex varia coni ſectione prodeant; mox tamen alias earundem curvarum definitiones exhibet, in quibus ſemiordinatarum ad abſciſſas relatio exprimitur, & ex iis palmarias ipſarum proprietates demonſtrat, calculo ſæpiſſime analytico uſus.

Preußiſche und Brandenburgiſche Staats-Hiſtorie/und Staats-Geographie.

i. e.

NOVA ET ACCURATA HISTORIA GEOgraphiæ Pruſſico-Brandenburgicæ, duobus Tomis comprehenſa.

Stendaliæ, apud Ern. Henr. Campen, 1710 & 1711, 8.
Alphab. 4.

Cum

Digitized by Google

CUm Auguſta Domus Brandenburgica tanta hoc & præterito ſeculo majeſtatis atque potentiæ incrementa ceperit, totumque pene terrarum orbem nominis ſui ſplendore impleverit, non mirum eſt, multos, interque eos etiam V. Cl. Caſparem Abelum, autorem hujus operis, (qui jam ante aliquot annos Hiſtoriam Monarchiarum orbis antiqui, in hiſce quoque Actis recenſitam, Germanice edidit, eamque nunc ſuaſu Illuſtris Cuperi auctam & emendatam Latio donare parat,) non ſuo tantum ſtudio, verum etiam Bibliopolæ precibus permotum, aliquid in ejus honorem compoſuiſſe, quod nec magnitudine ſua Lectores offenderet, neque etiam ob nimiam brevitatem contemneretur. Ita vero operam ſuam in hanc exercitationem impendit, ut candidis ea rerum æſtimatoribus non poſſit non accepta eſſe; ſiquidem nihil fere eorum prætermiſit, quæ vel ad Hiſtoriam Sereniſſimæ hujus Familiæ, vel etiam ad Geographiam Provinciarum ei ſubjectarum, plenius cognoſcendam, ullo modo requiri videbantur; quamvis tamen & ipſe non inficietur, nonnullos ſibi inſcio atque invito forte obrepſiſſe errores, quos comiter monſtraturo maximas ſe acturum eſſe gratias profitetur. Ceterum hoc opus ſuum in duos Tomos partitus eſt, qui tamen ſatis commode in unum volumen compingi poſſunt; & primo quidem Tomo Hiſtoriam, altero Geographiam Pruſſico-Brandenburgicam explicat; utrumque vero denuo in duas partes ita diviſit, ut anterior primi Tomi pars Hiſtoriam totius Zollerano-Brandenburgicæ Gentis novem capitibus complectatur, poſterior autem omnium ejus provinciarum fata antiqua, resque in iis variis ſub rectoribus geſtas, antequam in hujus domus clientelam & fidem concederent, totidem capitibus perſequatur; quorum nudos hic tantum titulos ponemus, quod ex hoc, ut ajunt, ungue leonem facile agnoſci poſſe arbitramur. Igitur Part. 1 cap. 1 de prima Familiæ hujus Celſiſſimæ origine agitur, quam vulgo ab Erchinoaldo priſcisque Alſatiæ Ducibus derivare amant, quod tamen noſtro Autori non ſatis exploratum videtur; cap. 2 veteres Comites Zolleranos proponit; cap. 3 Burggravios Norimbergenſes; c. 4 decem priores Electores Branden-

 bur-

burgicos; at c. 5 FRIDERICI WILHELMI Magni, primi ſummi Ducis Pruſſiæ, & hodierni Regis glorioſiſſimi FRIDERICI, heroica facta, omni ſeculorum memoria digna, præſentemque ſimul Familiæ Regiæ ſtatum, delineat. Hinc c. 6 intermortuas Marchionum Brandenburgenſium in Franconia lineas, & c. 7 adhuc ibi florentes Culmbacenam atque Onoldinam; nec non c. 8 recentiores Zolleranos Comites & Principes in Suevia repræſentat; quibus tandem cap. 9 Italicas quoque familias, Zolleranam originem & cognationem aliquam affectantes, Columnenſem puto, Collaltinam & Landiam, paucis ſubjungit. Porro Part. II cap. 1 Hiſtoriam Pruſſiæ, c. 2 Pomeraniæ, c. 3 Marchiæ Brandenburgicæ, c. 4 majorum Diœceſium, Magdeburgi, Halberſtadii & Mindæ, c. 5 minorum quoque, Camini, Brandenburgi, Havelbergæ, Lebuſii, Sambiæ, Pomeſamiæ & Varmiæ, c. 6 Clivicarum ditionum, & c. 7 Arauſionenſium fata enarrat, c. 8 vero nonnullarum parvarum Dynaſtiarum v. g. Ruppini, Regenſteini, Hohenſteini, Tecklenburgi, Mœrſæ aliarumque varios caſus exponit, & c. 9 obſervationes quasdam, utrique parti non inutiles, addit. Sic etiam Tomi ſecundi prior pars accuratam Brandenburgicarum Provinciarum deſcriptionem in ſe continet; altera vero varia diplomata, tractatusque earum gratia initos, ſuppeditat; utraque etiam ſuis diſtincta capitibus. Etenim Part. I c. 1 generaliter omnium illarum ſtatus hodiernus, inſignia & prærogativæ, ſitus, ubertas, & commercia, incolarum mores, religio, numerus, & quæ alia huc referri poterant, magno veritatis ſtudio depinguntur; ſequentibus vero capitibus quævis earum ſingulatim conſideratur, ita ut non urbes ſolum arcesque potiores, ſed & flumina, lacus, montes, ſylvæ, cœnobia, præfecturæ, imo quoque pagi, in quibus aliquid memorabile contigit, cum familiis nobilium, virisque illuſtri dignitate conſpicuis, qui vel Regimini præſunt, vel etiam Capitulorum Cathedralium membra habentur, quoad ejus fieri potuit, oratione exprimantur. Nobis tamen fas erit, & hic quoque ſolos tantum titulos capitum atque provinciarum annotare. Nimirum Autor noſter cap. 2 Pruſſiam pertractat, c. 3 Pomeraniam cum annexis regio-

gionibus,Caſſubia,Vandalia,Camino,Lauenburgo, Butovia, ac Drahimo: c. 4 Marchiam Brandenburgicam, cum Ruppino, Crosna & parte Luſatiæ inferioris, ad eam quoque pertinente; c. 5 Magdeburgum & Halberſtadium, cum adſitis, Barbya, Mansfeldia, Reinſteino,Derenburgo,Wernigeroda, Quedlinburgo & Hohenſteino; c. 6 Mindam,cum Ravensberga, parte Lippiæ,Tecklenburgo & Linga; c. 7 Cliviam, Marcam & Mœrſam; cap. 8 Principatum Arauſionenſem & Neocomenſem, cum reliquis ad ampliſſimam hanc hereditatem ſpectantibus urbibus, arcibus & prædiis; item c. 9 alia quædam,Regi Boruſſiæ alibi ſubdita, v. g. caſtella in ora Guineæ, nec non exſpectantias quoque, quas vocant,percenſet, provinciarumque, in quas Regi Pruſſiæ jus ſucceſſionis competat, longum contexit catalogum,de quibus tamen,tempore deſtitutus, pluribus agere nequivit. Inde vero ad agnatos Regis converſus, c. 10 ditiones Marchionum in Franconia, & c. 11 Principum Zolleranorum in Suevia,ut &Columnenſium, Collaltinorum,Landiorumque, in Italia, opes & fortunas deſcribit, & illis denique corollarii quaſi loco c. 12 ob titulum communem,aliasque rationes, etiam Polonicam Pruſſiæ, &Suecicam Pomeraniæ partem,adjicit, una cum Ducatibus,Juliacenſi, & Montium, Dynaſtiaque Ravenſteinenſi,Electori alias Palatino parentibus. Quod vero ad alteram partem attinet, in quinque etiam capita diſtributam, complectitur illa 32 diplomata,recentiora tamen,paucisque incognita,unde illis recenſendis non immorabimur; ſed nonnulla potius, præ ceteris obſervatione digna, ex hoc opere excerpemus,cum inſtituti noſtri ratio nobis non permittat longius evagari. Et primo quidem non prætereundam putamus novam illam,quam Autor Tom. 1 Part. 1 c. 2 de origine gentis Brandenburgicæ propoſuit conjecturam. Non enim videtur ipſi Thaſſilo,primus ille (quantum adhuc ſcimus) Comes Zolleranus, unus ex iſtis duodecim Welphis fuiſſe,quos Irmentrudis,Iſenbardi C. Altorffenſis conjux, prodigioſo & forte fabuloſo partu in lucem edidiſſe fertur;ſed mavult illius genus ab antiquiſſimo pariter ac illuſtriſſimo priſcorum Bojoariæ Regum ſtemmate repetere; dum ſcilicet eum forte Comitis Alberti filium,Ducisq;

Bavariæ Grimoldi II nepotem fuiſſe opinatur, modo res ſe ita habeat, uti Pregizerus aliiq; tradidere, patrem ſcil. ejus in nonnullis veteribus monimentis Albertum appellari. Equidem Comitem illum Albertum in conjugio vixiſſe, liberosq; reliquiſſe, non conſtat, relatum potius legimus, eum, cœnobio Tigurino in Bavaria ſuperiori condito, primum ejus Abbatem factum eſſe: illud tamen huic opinioni forte non obſtabit, cum non a prima ſtatim juventute vitæ ſe Monaſticæ manciparit, ſed bellica virtute clarus ipſi quoque Papæ in Italia contra Longobardos militarit, adeoque non improbabile ſit, eum quoque uxorem duxiſſe, & ex ea hunc filium ſuſcepiſſe, antequam pro more iſtius ſeculi, exemplisque multorum aliorum v. g. Eberhardi & Warini Ducum Alemanniæ, Carolomanni Francorum Magiſtri, & Rachiſii Regis Longobardorum, incitatus, relicta conjuge & liberis, mundo valediceret. Boicam autem Thaſſilonis originem Autor noſter etiam ex nomine ipſius, apud alias nationes minus uſitato, ut & inſignibus Zolleranorum, quæ quaſi ex Bavaricis, nigro olim & albo colore (ſecundum Ertelium) diſtinctis, deſumta, probatum it; non unam quoque oſtendit rationem & viam, qua ille forſitan lares ſuos e Bavaria in Sueviam transferre coactus fuerit. Ceterum cum ipſe Autor huic ſuæ conjecturæ non multum tribuere videatur, nos quoque eam in medio relinquimus; & ad Fridericum III Burggravium Norimbergenſem progredimur, cui Imperatorem Rudolphum I Ducatum Franconiæ contuliſſe, aut ſaltem deſtinaſſe, c. 3 perſuaſum fere habet, eamque forte cauſam eſſe putat, cur non ſolum ipſe ejusque poſteri rem ſuam in Franconia ita conſtabilierint, ſed etiam ibi adhuc hodie aliquot Comites eorum Vaſalli ſint. Contra c. 4 dubitare videtur, utrum Elector Brandenburgicus Joachimus I in vaticinio ſuo Aſtrologico, de regia imo ſumma totius orbis dignitate, ſuæ familiæ debita, ad futura, & non ad ſua potius tempora reſpexerit, cum ſpes eſſet, vel ipſum Cæſareum, vel etiam fratrem ipſius Albertum Papalem aliquando honorem adepturum; nihil tamen definire audet, cum ignoremus, quo ſpeciatim anno, num ante, vel poſt electionem Imperatoris Caroli Quinti, prædictionem iſtam concinnarit. Reliqua

liqua, quæ Autor noſter paſſim interſerit, v. g. ſitne Pruſſorum nomen a Boruſſis, an a Breucis, priſcis Pannonicæ incolis, & Pomeranorum a Bojis, an vero a Bomareis derivandum; item an Brandenburgum a Brennis ſeu Breunis, certa quadam gente, an vero a Regibus ſuis antiquis, quorum commune nomen Brennus fuerit, (unde etiam Latinum Baro, & Beringi, Anhaltinorum Principum majores, originem ſuam habeant,) denominationem ſuam acceperit; hæc inquam, & plura talia, vel verbo notaſſe ſuffecerit. Multa enim Autor doctiſſimus de antiquis Germanorum rebus pulcra ac præclara minatur, Senones etiam primos illos Romæ domitores patriæ noſtræ vindicaturus; quorum quoque memoriam adhuc in veteri Marchia reſtare putat, & multa p. 157 & 158 Tomi II nomina fluviorum & urbium, illius regionis, quam Senones olim in Italia obtinuerint, affert, quorum conſimilia etiam ibi reperiantur; quæ tamen nos nunc omnia prætermittimus, cum Autor plus ſimplici vice promittat, ſe de illis aliquando, aliisque priſcæ Germaniæ populis, & de his præcipue, qui Marchiam incoluerint, Suevis, Herulis ſ. Harlungis, Varnis, Venedis ſ. Vandalis, Longobardis, Marcomannis, & reliquis, peculiari opere acturum eſſe.

THOMÆ ITTIGII, THEOL. D. ET DIOECESEOS Lipſ. Superintendent. Schediasma de Autoribus, qui de Scriptoribus Eccleſ. egerunt, cura L. CHRISTIANI LUDOVICI, P. P. cujus Auctarium & Annotationes accedunt.

Lipſiæ, apud heredes Tarnovianos, 1711, 8.

Plag. 13.

QUi B. Ittigii limata & omnis generis eruditione referta ſcripta, ut par eſt, magni faciunt, illi Cl. Editori gratum teſtabuntur animum, qui eximium hoc ſchediasma non ſolum in lucem ex Apparatu B. Autoris ad Hiſt. Eccleſ. MS. protulit, ſed & annotationibus luculentis, partem ex B. Ittigii libris, quos ſua manu notaverat, depromtis, partem ex proprio apparatu ſelectis, & eo pertinentibus, ut, quæ recentior ætas ad hoc ar-

Digitized by Google

gumentum ſuperiorum ſtudio adjecit, ea hic in unum conjuncta legantur. Inſtitutum ipſa inſcriptio ſatis manifeſtum facit, ex qua intelligitur, recenſionem eorum Scriptorum hic inſtitui, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis quicquam commentati ſunt. Totam tractationem ita diſtinxiſſe videtur B. Autor, ut primo loco de iis exponeret, qui data opera hoc argumentum perſecuti ſunt, deinde vero illos commemoraret, qui quocunque modo ad idem illuſtrandum aggreſſi ſunt. Primum itaque locum tuetur Hieronymi Catalogus Scriptorum Eccleſiaſticorum, quem ceteri, ſecundum temporis ſeriem conſequuntur, partem antiquioris, partem recentioris ætatis. Hinc laudantur, qui vel de certi ordinis, certæve gentis, aut diſtincti argumenti Scriptoribus ſeorſim aliquid tradiderunt, ubi laudanda eſt Cl. Editoris induſtria, qui p. 63 ſeq. commentationes de ſcriptoribus Italis exſtantes diligenter commemorat. Quod ad notas Cl. Editoris ſpectat, illæ non ſolum integras librorum inſcriptiones, quas B. Autor ſummatim tantum indicaverat, ſiſtunt, ſed & paſſim obſervationes minus obvias complectuntur. Sic p. 98 ſq. plagiarii quidam, ab aliis maximam partem neglecti, enumerantur. Index alphabeticus illorum, qui de Doctorum Eccleſiæ ſcriptis bene meriti ſunt, legitur p. 153 ſeq. ubi ſpes nobis fit, fore, ut ſingulari diſſertatione hoc argumentum aliquando tractetur. Quod ut optandum maximopere eſt, ita non minus probabitur conſilium Cl. Editoris, quod ad edendum Lexicon Arabicum, idque Alcoranicum, ad exemplum Lexici Græci Schreveliani adornatum, pertinet, cujus ſpem in Præfatione hujus Schediasmatis fecit.

AN ENGLISH-SAXON HOMILY ON THE Birth Day of St. Gregory.

h. e.

HOMILIA ANGLO-SAXONICA OLIM IN Eccleſia Anglo-Saxonica die Natali St. Gregorii adhiberi ſolita, in linguam Anglicanam converſa ab ELISABETHA ELSTOB.

Londini, apud W. Bowyers, 1709, 8 maj.

Pl. 16.

Gy-

GYnæceum eruditum novam hic accipit civem, quæ cum
aliis linguis,tum antiqua Anglorum dialecto exculta do-
ctrinæ ſuæ ſpecimen iſta concione, in lucem prolata & conver-
ſa, edere inſtituit. Exponit illa de Gregorio, quem genti An-
glicanæ ad Gentiliſmum dilapſæ primum autorem ad ample-
ctenda Chriſti ſacra extitiſſe,præter ceteros BedaHiſt.Eccleſ. II,
1 obſervavit,quemadmodum ipſe Gregorius lib. VI ep. VII ſtu-
dium,quod in hoc opere collocavit, ſignificat. Quamvis enim
jam antea ſalutaris doctrina per Petrum Apoſtolum,&c,qui eum
ſecuti ſunt,Doctores in hac Inſula expoſita fuerit,hoc tamen fe-
licitatis genus Britannis proprie ſic dictis, qui tunc temporis e-
am incolebant,contigit,quod deinde Gregorius ſpeciatim Sa-
xonibus, in eam commigrantibus, & Gentilium ſuperſtitioni
addictis,impertiit. Ad hoc negotium perficiendum inprimis
Auguſtini opera uſus eſt Gregorius, id quod in Præfatione fuſe
evincitur contra eos, qui a Britannis potius, quam a Romana
Eccleſia hanc Anglo-Saxonum converſionem repetendam ju-
dicarunt. Deinde vero monetur,hinc non conſequi, quod il- p. 31.
la Eccleſia in iſtis erroribus hæſerit,qui nunc quidem in Roma-
na reprehenduntur. Contrarium jampridem oſtendit Cl. Hi-
ckeſius in Epiſtolis,quæ inter ipſum & Sacerdotem Pontificium
interceſſerunt p. 58 ſeq. idemque in Præfatione eadem fuſius
probatur, ubi quid de fide, de precibus, de Scriptura in verna-
culum ſermonem converſa, de ſuprematu Papæ, de cultu ima-
ginum, ac de transſubſtantiatione ſenſerint, ex antiquis com-
mentariis ediſſeritur. Tandem in calce refertur, concionem
hanc exſcriptam eſſe ex exemplo D. Hopkinſii, qui id ex Cotto-
niano Codice deſcripſerat,numerari vero inter eas, quas Ælfri-
cus in uſum Eccleſiæ Anglo-Saxonicæ concinnaverat. Ipſa
concio laudem Anglorum, ad doctrinæ puritatem poſtliminio
traductorum, in Gregorium transfert, ejusque vitam ex Ælfre-
di Hiſtoria Angliæ, ex Latino ab eo Angliee translata, brevibus
delineat, deinde vero fuſius exponit conſilium Gregorii de
perducenda ad Chriſti doctrinam Anglorum gente, quod per
interpretes ac præcones,Auguſtinum, Mellitum, Laurentium,
Petrum, Johannem & Juſtum, aliosque Monachos exſecutus
eſt.

eſt. Omnia, quæ hic traduntur, in notis textui ſubſtratis vel illuſtrantur, vel confirmantur, partim ex ipſis Gregorii Operibus, partim ex æqualium ſcriptorum monimentis. Sic p. 39 in notis exſtat index librorum, quos Gregorius in Angliam miſit, qui a Wanleyo confectus & Anglice translatus exhibetur. Eadem concio in Latinam linguam a Guilielmo Elſtobio Fratre illius, cui ipſum authenticum textum debemus, converſa deinde legitur. Tandem agmen claudit Appendix, quæ aliquot Gregorii Epiſtolas, ac præter has animadverſiones nonnullas, ad prioris homiliæ illuſtrationem facientes, comprehendit.

JOHANNIS ESKUCHE, MINISTRI EVANgelii in arce Groß-Friedrichsburg *in Africa, Miſcellanea Sacra. Editio ſecunda, aucta diſſertatione de veritate reſurrectionis JEſu Chriſti propriis ſuis viribus, per GERARDUM OUTHOVIUM.*

Embdæ, apud Eddonem Tremel, 1710, 8.
Pl. 14.

SEdecim abhinc annis primum ab Autore haſce diſſertatiunculas eſſe evulgatas eundemque interea mortem obiiſſe, ex Dedicatione intelligimus. Hanc excipit Outhovii Demonſtratio veritatis reſurrectionis Chriſti, propria ſua virtute factæ, ex vocibus ἀναςῆναι & ἐγείρεσθαι, Socinianis, nominatim Melchiori Schaſſero, oppoſita. Cui concedens, ſæpius in Scriptura S. Chriſtum a Patre reſuſcitatum dici, alia ſubjicit loca, ubi dicitur ἀναςῆναι, hoc eſt, ex Autoris quidem ſententia, ſua ipſius virtute reſurrexiſſe. Ipſius Eskuchii Diſſertationes breves ſunt, & per modum orationum eccleſiaſticarum compoſitæ. Harum I agit de loco *Dan. II, 44 & 45*, eumque de regno Chriſti in gentibus ſub N. T. exponit. Diſſ. II illuſtraturus *Apoc. VII, 9-17* exiſtimat, h. l. agi de regno Chriſti in hac terra, felicioremque Chriſtianiſmi ſtatum prædici. Quanquam veroſimilius eſt, in hoc capite Joannem prædicere, ſumma ſævitia Chriſtianos poſt rempublicam Judaicam ſublatam vexatum iri, multisque Chriſto renuntiantibus, plurimos tamen ex omnibus gen-

Digitized by Google

gentibus perſeveraturos, toleratisque quantiscunque cruciatibus evaſuros ad feliciſſimum ſtatum æternitatis. Diſſ. III de loco *Rom. VIII,15* diſſerit. Ubi cum ſignificari videatur, veros Chriſtianos Sancto Spiritu præditos, ea, quæ Deus præcepit, non agere metu pœnæ & rigoris domini ſui, quemadmodum ſervi, ſed lubenti animo amore erga imperantem, amantiſſimum quippe patrem: Noſter in alia omnia abit, docens, in V. T. Spiritum S. fidelibus parce ac parva menſura datum eſſe, in N. vero T. abundanter impertitum. Quare l. c. indicari putat, fideles V. T. accepiſſe Spiritum ſervitutis, fideles autem N. T. Spiritum adoptionis: in quo Cocceji placita eum ſequi, manifeſtum eſt. Diſſert. IV ad *Apoc. XVI, 17-21* putat, portendi iſthic bellum inauditum, idque latiſſime diſſeminatum, quo gentium turba prematur; Eccleſiam quoque ingrati animi culpa terribiles paſſuram perſecutiones, Babylonem vero myſticam horribili judicio deletum iri. Diſſ. V locum *Jeſaiæ II, 3* explicat de illuminatione gentium per Chriſtum Diſſ. VI diſſerit *de religionis Chriſtianæ defenſione & propagatione.* Hic docet, veros Chriſtianos ſemper exſtitiſſe, Ethnicis & Pontificibus Romanis Eccleſiam affligentibus; Papatu olim deleto, omnes gentes ultimis N. T. temporibus ad religionem vere Chriſtianam converſum iri, nominatim Ægyptios, Turcas & Judæos: Nec tum ullam fore ſectam, ſed concordiam ſummam & perfectiſſimum Chriſtianiſmi ſtatum in hoc mundo. Quam ſententiam an rite probaverit Autor, aliorum eſto judicium. Septimam eandem poſtremum diſſertationem inſcripſit *de doctrina Chriſti & Apoſtolorum.* Cujus hæc eſt ſumma: Nullam Papæ vel Epiſcoporum autoritatem valere in præſcribendis & vel per ſupplicia aſſerendis dogmatibus, ſed ſolius Chriſti & Apoſtolorum auctoritatem ſequendam eſſe, &c.

CONTINUATIO EXCERPTORUM EX MEIBOMIANO Commentario MS. in Jobum.

Ad Cap. XXIV, 5-11.

A*Lii quaſi onagri in deſerto egrediuntur ad opus ſuum.* Sunt

enim hæretici, qui populis admiſceri refugiunt, ſed ſeceſſum vitæ ſecretioris petunt, & eo amplius peſte ſuæ perſvaſionis inficiunt, *quo* (*a*) quaſi ex vitæ meritis reverentiores videntur. Onagris autem comparantur, quod in ſuis voluntatibus dimiſſi a vinculo fidei & rationis ſunt alieni. *Egrediuntur ad opus ſuum.* Non enim Dei, ſed opus ſuum peragunt, dum non recta dogmata, ſed propria deſideria ſequuntur. *Vigilantesque ad prædam, præparant panem liberis.* Ad prædam vigilant, qui verba juſtorum ad ſenſum proprium ſemper rapere conantur, ut per hæc perverſis filiis panem erroris parent. *Agrum non ſuum demetunt.* Agri vel vineæ nomine eccleſia ſignatur, quam perverſi prædicatores demetunt, & autorem ejus in membris opprimendo vindemiant: qui creatoris gratiam perſequentes, dum quosdam de illa, qui recti videbantur, rapiunt, quid aliud, quam ſpicas, vel botros *animorum* (*b*) tollunt? *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes; quibus non eſt operimentum in frigore.* Sicut veſtimenta corpus, ſic bona opera protegunt animam. Hæretici itaque, cum quorundam bona opera deſtruunt, veſtimenta tollunt. *Quibus non eſt operimentum in frigore.* Operimentum ad juſtitiam pertinet, frigus ad culpam. Alget ergo & tegitur, qui ex alio opere ferveſcit ad juſtitiam, ex alio frigeſcit ad culpam. Sed cum hæretici talibus bona opera ſubtrahunt, agunt, ne in frigore habeant, unde veſtiantur. *Quos imbres montium rigant*: id eſt, fluenta prædicatorum ſacrant. *Et non habentes velamen, amplexantur lapides.* Dicit fortes in eccleſia viros, ut martyres. Qui itaque de nullo opere ſuo confidunt, ſed ad ſanctorum martyrum protectionem orando currunt, quid iſti faciunt, niſi *qui* (*c*) bonæ actionis velamen non *habent* (*d*), lapides amplexantur. *Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperum ſpoliaverunt.* Hæretici deprædantes vim faciunt, *qua* (*e*) contra infirmas fidelium mentes verborum & operum violentia graſſantur. Vulgum pauperem ſpoliant, quia, dum doctis non prævalent, indoctos à velamine fidei denudant. *Nudis & incedentes*

(*a*) leg. *quod.* (*b*) leg. *animarum.* (*c*) leg. *quod.* (*d*) leg. *habentes.* (*e*) leg. *quia.*

dentibus abſque veſtitu & eſurientibus tulerunt ſpicas. Qui nec bona nec mala operatur, nudus eſt & otioſus: qui mala agit, nudus incedit, quia ſine velamine boni operis per iter pravitatis *pergit, eſurientibus* (*f*) & per pœnitentiam pabulum verbi *concupiſcentibus. Hæretici* (*g*) ſpicas tollunt, quia in eorum mente patrum ſententias deſtruunt, quæ per ſpicas ſignificantur. Quia dum per figuram eloquia proferuntur, ab iis tegimen litteræ, quaſi ariſtarum paleas, ſubtrahimus, ut medulla ſpiritus reficiamur. *Inter acervos eorum meridiati ſunt, qui calcatis torcularibus ſitiunt,* Qui eccleſiam perſequuntur, torcular calcant. Nam dum injuſti juſtos deprimunt, botros ſub pedibus mittunt, qui carne exuti ad cœleſtia velut in apothecam currunt. Calcant autem & ſitiunt, qui agendo crudelia eo ipſo crudeliores fiunt, & graviora facere ambiunt: quos cum contra Catholicos hæretici agere crudelia conſpiciunt, inter acervos eorum meridiantur. *Qui calcatis torcularibus ſitiunt,* quia eorum ſe multitudini adjungunt, quos vident gravia agere & adhuc graviora ſitire: & cum per ſe non poſſunt perſecutionem ſuſcitare, potentes ſeculi ad hoc excitant, quorum fervor dum eorum deſideria ſatiat, in eorum actibus, quaſi in meridie, quieſcunt.

Ad Cap. XXVI, 2. 3. 4.

Cujus adjutor es? nunquid inbecillis? &c. Adjuvare imbecillem, caritatis eſt: adjuvare potentem velle, elationis eſt. Et eſt ſenſus. Dum eum juvare intendas, ſub cujus magnitudine ſuccumbis, quod impendis ſolatium, de oſtentatione eſt, non de pietate. *Cui dediſti conſilium?* Conſilium dare ſtulto, caritatis eſt: conſilium dare ſapienti, oſtentationis eſt: conſilium dare ipſi ſapientiæ, perverſitatis eſt. Unde ſequitur, *& prudentiam.* Omnis, cui prudentia eſt, recta eſt. *Plurima* non eſt, quia non plus appetit ſapere. *Nonne eum, qui fecit ſpiramentum?* Baldad, quia Job flagellatum pro culpa credidit, occultum Dei judicium, quod venerari debuit humiliter, ſuperba niſus eſt temeritate penetrare. Ipſi ergo ſe per prudentiam prætulit, cujus judicium non intelligendo judicavit. Sed quia Job, eccleſiæ typum gerens, pauca in ſuperborum correctione protu-

 lit,

(*f*) leg. *pergit. Eſurientibus.* (*g*) leg. *concupiſcentibus hæretici.*

lit, repente ſe ad doctrinam per ſententias expandit, dicens: (v. 5) *Ecce gigantes gemunt ſub aquis.* Gigantes, ſuperbi: aquæ ſunt populi. Elati autem, dum in hoc ſeculo aſſequi honorem celſitudinis cupiunt, ſub ponderibus populorum gemunt. Eis populis ſupponitur quis mente, quibus ſupponitur dignitate. Et his verbis indicatur, quod omnis ſuperbia eo ipſo in imo jacet, quo ſe in altum erigit.

Ad Cap. XXIX, 19, 20.

Radix mea aperta eſt juxta (b) *aquas.* Radicis nomine occulta cogitatio ſignatur. Juxta aquas radix aperitur, quoniam ad percipienda veritatis *fluentia* (i) latenter cogitatio mentis aperitur. *Et ros morabitur in meſſione mea. Subaudis*, (k) *dicebam.* Meſſio eccleſiæ accipitur, cum perfectæ animæ corporibus abſtractæ velut maturæ ſegetes a terra deciſæ, ad cœleſtia horrea demigrant. Ros morabitur in meſſione, quia gratia deſuper veniens agit, ut digni ſimus, qui de inferioribus colligamur. *Gloria mea ſemper innovabitur: Quia amiſſam* (l) gloriam deplorat: quia eos, quos ipſe novæ vitæ militare crediderat, vetuſtis deſideriis ſervire cognoſcit.

Ad Cap. XXXI, 25, 26, 27, 28,

Intellectus vel otio torpet, vel elatione vaneſcit, & ideo ait: *ſi lætatus ſum.* Cum quis, quæ intelligit, operatur, ex eo, quod foras oſtenditur, ſæpe labitur. Sed beatum Job ſicut intelligentiæ aurum non extulit, ſic nec lumen operationis. Et hoc eſt, *ſi vidi ſolem. Bene* (m) ſoli boni bona ſua non vident, quæ aliis videnda præbent, nec lunam, id eſt, famam boni operis, quæ in tenebris ambulantibus lucet. Hæc enim Job non extulit, quæ plus timenda. *Tunc* (n) enim, quaſi alta arbor, flatibus amplius agitatur, quæ per intelligentiam erat quaſi in ſemine operationum mortua. De laudibus vero non modo non eſt factus arrogans in verbis, ſed nec in tanta cogitatione. Et hoc eſt, *lætatum eſt cor meum in abſcondito.* Et quia inconſiderata mens, favoribus erecta, aliquando laudat, quæ

(b) Bene ita in MS. non *ſecus*, ut in Vulgata verſione. Nota Relandi. (i) leg. *fluenta.* (k) leg. *ſubaudi*, nempe e principio verſus 18. (l) leg. *Amiſſam.* (m) leg. *Pane.* (n) leg. *Fama.*

Digitized by Google

quæ fecit, addit: *& oſculatus ſum manum meam ore meo. Quæ iniquitas eſt maxima.* Omne peccatum, quod ex infirmitate eſt, ſpiritum non perdit, quia a Deo veniam quærit. Præſumtio vero, quanto longius eſt ab humilitate, tanto gravior in deſperatione eſt, &, dum vires ſibi tribuit, a Deo non requirit. - - Dum mali bona mirantur, lucerna ardet in nocte. Si & boni optima mirantur, ſol fulget. *In die (o)* dum bonum actione corporis lucet, lucerna eſt, id eſt, lumen in teſta: dum contemplatione mentis, ſol de cœlo.

Ad Cap. XXXVIII, 7.

Cum me laudarent ſimul aſtra matutina. Incarnationis Chriſti myſterium etiam electi angeli mirati ſunt, quia primi in tempore creati ſunt, non in initio. Aſtra matutina dicuntur, vel quia ſæpe ad exhortandos homines miſſi, dum venturum mane nuntiant, ab humanis cordibus præſentis vitæ tenebras fugant. Quæ matutina aſtra etiam cum veſpertinis Redemtoris potentiam laudant: quia cum redemtis in fine mundi hominibus largitatem ſupernæ gratiæ glorificant. *Et jubilarent omnes filii Dei.* Jubilatio dicitur, cum cordis lætitia oris efficacia non expletur. Laudant itaque angeli, qui jam tantæ claritatis latitudinem in ſublimibus vident: jubilant vero homines, qui adhuc in inferioribus, oris ſui anguſtias ſuſtinent: quæ quia futura Dominus noverat, facta narrat. Sed quia cum boni jubilant, malos invidia inflammat, quos tamen Dominus temperat, de his protinus ſubdit.

Ad principium capitis XXXIX.

Ibices (p) parva quadrupedia dicuntur, quæ *in petris morantur (p)* & pariunt: & ruentia *in ſuis ſe cornibus illæſa ſuſcipiunt. (p)* In quibus magiſtrorum ſpiritualium perſona ſignatur, qui velut ibices in petris pariunt, quia in doctrina patrum, qui petræ pro ſoliditate ſunt vocati, ad converſionem animas gignunt. Ipſi, velut ibices, caſus nullius damna ſentiunt, dum in ſuis cornibus excipiuntur: quia, quicquid ruinæ temporalis adverſitatis acceſſerit, in teſtamentis ſe Sacræ Scriptu-

(o) leg. *Inde.* (p) Sublita verba Iſidorus Originum libro XII cap. de ibicibus agens exſcripſit, obſervante Relando.

pturæ ſuſcipiunt, & quaſi cornuum exceptione ſalvantur. Ipſi côrvi vocantur, qui interemtis vitiis, quaſi extinctis ſerpentibus, vivunt, & de ipſa extinctione vitiorum ad fontem vitæ acrius inardeſcunt.

Ad Cap. XLII, 15.

Deditque eis pater ſuus hereditatem inter fratres ipſarum. Ergo ex perfectorum numero ſpecioſæ memorantur. Ipſa etiam ex imperfectorum typo velut infirmæ mentes hereditatem accipiunt. Sorores ergo cum fratribus ad hereditatem perveniunt: quia infirmi ad cœleſtia cum fortibus admittuntur. *Vixit autem Job poſt hæc. Vacuus dierum* eſt, qui & quamlibet multum vixerit, ætatis ſuæ tempora in vanitate conſumſit: at contra *plenus dierum* dicitur, cui nequaquam dies ſui pereundo tranſeunt, ſed ex cotidiana mercede boni operis apud juſtum judicem, & poſtquam transacti ſunt vel fuerint, reſervantur. In typo eccleſiæ, ſi 14 per denarium ducimus, ad centeſimum & quadrageſimum numerum pervenimus. Et recte *Eccleſia & multiplicata* (g) 10 & 4 computatur: quia utrumque teſtamentum cuſtodiens, & tam ſecundum legis decalogum, quam ſecundum Evangelii quatuor libros vivens, usque ad perfectionis culmen extenditur. Bene autem Job poſt flagella vivere dicitur, quia eccleſia prius flagello diſciplinæ percutitur, & poſtmodum vitæ perfectione roboratur. Quæ etiam filios ſuos, & filios filiorum ſuorum usque ad quartam generationem conſpicit: quia hac ætate, quæ annuis 4 temporibus volvitur usque ad finem mundi, per ora prædicantium naſcentes ſibi ſoboles contemplatur. Videt filiorum filios, cum ab eisdem ad finem gigni & alios agnoſcit. Quæ ſenex & plena dierum moritur: quia ſubſequente luce ex mercede quotidianorum operum, depoſito corruptionis pondere, ad incorruptionem ſpiritualis patriæ mutatur. Plena dierum moritur, cui labentes anni non tranſeunt, ſed ſtantium actuum retributione ſolidantur. Plena dierum moritur, quia per hæc transeuntia tempora id, quod non tranſit, operatur. - - Uſu veteris vitæ fœminæ inter mares hereditatem non habent: quia le-

(g) leg. *Eccleſia ex multiplicato.*

Digitized by Google

legis ſeveritas fortia eligens,infirma contemnens,diſtricta potius ſtuduit quam benigna ſancire. Sed pio Redemtore veniente,& infirmus cum perfectis ad regnum aſſumitur.

Miſcella excerpta ex variiE paginis Codicis MSti.

Pag.3. Sicut omnes juſti, ita Job,non modo verbis,ſed rebus,Chriſtum præſignavit: ut per paſſionem paſſurum oſtendat Chriſtum,id eſt,caput cum corpore,quod eccleſia eſt. Uxor ejus carnales ſignificat, qui intra eccleſiam, quo per fidem propius ſunt,durius in vita premuntur: Amici Job hæreticos, qui ſpecie conſulendi decipere volunt,& dum quaſi pro Domino loquuntur,veritati adverſantur. Job *dolens* dicitur, quo paſſio Chriſti vel labor eccleſiæ exprimitur. Eliphaz, *domini contemtus*: id eſt,heretici, qui,dum falſa de Deo ſentiunt, eum ſuperbiendo contemnunt. Baldad,*vetuſtas*, id eſt,ſola,quia non intentione bona,ſed appetitu gloriæ loquuntur: id eſt, non zelo novi hominis, ſed pravitate vitæ veteris. Sophar, *diſſipatio ſpecula*, vel *ſpeculatorem diſſipans*: quia hæretici mentes ſuperna contemplantes verbis pervertere appetunt. Contemnendo ergo Deum,in vetuſtate ſe retinent, in qua manentes, malis ſermonibus ſpeculantibus nocent. Sed quia & ipſi aliquando ad eccleſiam redeunt,hæc *annorum* (r) reconciliatio oſtendit,pro quibus Job orat: quia hæreticorum ſacrificia Deo non ſunt accepta, niſi manibus eccleſiæ oblata. Septem procis ſacrificia offeruntur, quia,dum ſeptiformem Spiritum accipiunt, quaſi ſeptem oblationibus expiantur. Tauri & arietes pro eis oblati ſunt. In tauro cervix ſuperbiæ ſignatur: in ariete ducatus gregis, quia per ſuperbiam ab eccleſia reſilientes,poſt ſe infirmas greges trahebant.

Pag. 147. *Sardonychus* terræ rubræ ſimilitudinem tenet: *ſapphyrus* aeriam tenet ſpeciem.

Pag.148. Et *topazion* de Æthiopia,pro eo, quod omni colore reſplendet, *topazion* quaſi *topadion* vocatur.

Pag.150. Mos veterum fuit, ut ſeniores in porta civitatis conſiſterent,& cauſas innocentium judicarent;ſi urbis populus eſſet pacificus, in quam diſcordes ingredi non liceret. Quod & fecit divinus Job.

(r) leg. *amicorum*.

Pag. 158. Adverſariorum ſemita fluctibus comparatur, quia pravorum inſolenti inquietudine moleſta, ad obruendam, ut ita dixerim, navem cordis, quaſi tempeſtas illabitur.

Pag. 169. Librum in humero portare, eſt Scripturam Sacram operando perficere.

Hactenus Specimen operis ad nos transmiſſum. Epicriſin proxime ſuppeditabimus.

CENTURIA PRIMA QUÆSTIONUM, IN quibus variæ Juridico-Politicæ nec non jocoſeriæ ad theoriam atque ad praxin accommodatæ materiæ mediæ pertractantur, & quoad uſum quotidianum Deciſionibus & Obſervationibus nonnullis non paſſim obviis decenter illuſtrantur, compoſita a D. CHR. FRID. PLATHNER.

Goslariæ, apud Joh. Chriſtoph. König / 1711, 4.
Plag. 12.

EOs, qui utile dulci miſcent, omne ferre punctum, tritum non minus quam verum eſt dicterium. Illorum claſſe Conſultiſſimus Autor cenſeri, ac prima hac Quæſtionum centuria prodeſſe pariter ac delectare voluit; Noſtrum eſt nonnulla inde depromere, & Lectoribus exhibere ſpecimina. In Quæſtione I disquiritur, utrum pactum, quo maritus imperio ſuo in uxorem renunciat, validum ſit? Sed cum talis renunciatio legi divinæ ut & publicæ, nec non ipſi honeſtati Noſtro repugnare videatur, ideo eam, licet juramento confirmatam, invalidam putat, quoad fœminam tamen imperio civili gaudentem poteſtatem maritalem velut dormire, ſi maritus autem furioſus ſit, eam in ſolidum, ſi inopia laboret, aliquam ejus particulam uxori accreſcere, ſimul exiſtimat. In Quæſtione VI quærit Conſultiſſimus Autor, an Vaſallus, qui absque laſcivia, in allen Ehren/Domini ſui directi uxorem oſculatur, noſtro ævo feudum amittat? De quo pro diverſitate conſuetudinis diverſimode pronunciandum eſſe cenſet. In urbe Neapolitana capitale eſſe, oſculari mulierem, ſed in aliis regionibus moris eſſe, ut oſculo ſe

Digitized by Google

ſe invicem convenientes excipiant, juxta hanc igitur conſuetudinem ſi oſculatio ſimplex ſit, omnem injuriandi, vel adulterandi animum abeſſe præſumi, adeoque ceſſante juris feudalis ratione, ejusdem diſpoſitionem, niſi invitæ obtrudatur oſculum, ceſſare arbitratur. An jus ſuccedendi in bona Cœlibum, das Hageſtelßen-Recht/ legale habeat fundamentum in Quæſtione XV expenditur? Et licet matrimonium contrahere regulariter non ſit juris coactivi, ſed permiſſivi, adeoque libertas illa, qua quis cœlibatum matrimonio præfert, extra pœnam conſtituta videatur, attamen Noſtri ſententia eo tendit, quod, cum coactio hæc, ut quis matrimonium magis contrahere & liberos procreare, quam in cœlibatu vivere debeat, non ſit talis quoad ſpeciem actus & abſoluta, ſed meri exercitii & reſpectu bonorum, quæ ſunt ſub poteſtate Imperantis, ſaltem diſponat ac publicæ utilitatis rationibus, juxta quas ille Reipublicæ magis inſervit, qui liberorum procreationi operam dat, quam qui improlis vivit, nitatur, liberorum defectus per bonorum a Cœlibe relictorum incorporationem merito reſarciatur. Quæſtio XVIII huic themati: an Viduo ſit magis conducibile appetere virginem, quam viduam in uxorem? deſtinata eſt: Quamvis vero dentur nonnullæ rationes, quæ virginem viduæ præferri ſuadeant, Noſter tamen hoc omne cujusve affectui & judicio relinquendum eſſe cenſet: nam omnia proſpere eſſe ſucceſſura, modo amoris fundamentum ſit genuinum & cum Deo cœptum matrimonium. In Quæſtione XXXIX diſceptat Noſter, an fœmina in habitu militari deſerens ut transfuga puniri poſſit, quod affirmandum cenſet, cum prohibitio de transfuga inter leges civitatis relata ſit, eamque nemo ignorare debeat, niſi ſtultus videri velit. In Quæſtione LVII disquiritur, cui competat protectio Encœniorum, der Kirchweih-Feſte oder Meſſe/ ſi alter Centenam, alter vero Vogteiam habeat? Licet autem Beſoldus protectionem illam tribuat Centenæ, hodie tamen eam inter fructus Jurisdictionis ſimpliciter dictæ referendam, adeoque Vogteiam quoque habenti protectionem Encœniorum cum omnibus juribus & emolumentis inde reſultantibus competere doctiſſimus Autor exiſtimat. Curioſa quæ-

ſtio eſt,quæ N. LXI habetur: an feudum ſub pacto certorum oſculorum uxori alicui conferri, & ab eadem accipi poſſit? Et quamvis tale pactum rem illicitam comprehendere,adeoque invalidum eſſe videatur, attamen cum præſumtio delicti excluſiva præſumtioni delicti incluſivæ in dubio præferenda, & oſcuatio tam diu pro re licita habenda ſit, donec turpitudo doceatur, Noſtro pactum illud non improbandum videtur.

ELOGIUM ILLUSTRISSIMI VIRI EZECHIELIS L. B. DE SPANHEIM.

QUæ ſingula magnos ac illuſtres reddere poſſe exiſtimantur, dignitatum excelſiſſimarum ſplendor,ſummorum Principum favor, graviſſimorum negotiorum feliciſſima cura,rarum in tanto faſtigio vaſtiſſimæ ſcientiæ decus, cumque his omnibus conjuncta ſumma humanitas ac modeſtia, ea univerſa in illuſtri illo, quod præfiximus, Nomine ornando veluti conſpiraviſſe compertum eſt. Cui proinde tantum debet Germania noſtra, ut ſperandum ſit, fore inter Germanos, qui tanti Viri manibus juſta peragat, vitæque in publicis negotiis pariter & ſtudiis reconditiſſimis ad raram ſenectutem transactæ ex inſtituto ſuſcepta enarratione & Rei publicæ pariter literariæque ſerviat,&, quam venerabunda mente memoriam Spanhemianam Germania inſolito ab ipſo colluſtrata jubare colat, publice teſtetur. Nos,quod unum licet ex inſtituti noſtri rationibus,donec id fiat ab alio,paucis potiſſima vitæ ejus momenta, ac virtutis monimenta notabimus ac ſtrictim perſequemur. Patrem habuit Ezechiel Spanhemius noſter Celeberrimum quondam primo Genevenſium, inde Lugdunenſium in Batavis Profeſſorem Theologum Fridricum Spanhemium, cui primogenitus ex Charlotta a Portu, Petri a Portu nobilis inter Pictavienſes Viri Filia, (qui Guil. Budæi ſummi illius Græcæ Literaturæ in Gallia Atlantis ex Filia Pronepos erat,) natus eſt Genevæ anno 1629. In iſta urbe jacta ſtudiorum fundamenta ab ipſo ſunt ea ingenii felicitate, ut, ubi cum Parente Lugdunum vocato A. 1642 eo accederet,ſtatim magnam apud Viros eru-

ditos, cumprimis Salmaſium Heinſiumque, de ſe moveret exſpectationem, ab ipſis illis Viris perpetua cum juvene adhuc Spanhemio conſuetudine fotam veluti ac nutritam. Sane jam tum is erat noſter, cui Latinam Anthologiæ Græcæ Verſionem demandare in animo habebat Salmaſius, ſuo, quem meditabatur, Commentario jungendam, quem cum nunquam ad umbilicum perduxerit hic, conſilium quoque alterum effectu caruit. Emergere vero jam tum Spanhemius noſter, quanquam juvenili fœtu, quem immaturum poſtea pronunciavit, dum in Academia Lugdunenſi A. 1645 publicis Theſibus ſine Præſide defenſis contra Ludov. Capellum pro antiquitate Literarum Hebraicarum, quas quadratas vocant, adverſus Samaritanas diſputat, motus vero ab iſta ſententia paulo poſt, ut ipſe profitetur, literis Bocharti ea de re ad ipſum juvenem humaniſſime ſcriptis. Ad majora vero paulo poſt progreſſus, pietati cumprimis in Parentem, quem in medio reſpondendi ad Amyraldi contra Librum de univerſali Gratia Objectiones apparatu fata tulerant, primitias laborum ſuorum ſacravit. Nempe, cum miris convitiis & jactatis ad populum fabulis memoriæ Parentis inſultaret Amyraldus ipſe & ſequaces, noſter eodem adhuc anno 1649 edita Critica Disquiſitione contra Amyraldum, Patrem, ut par erat, vindicavit. Redux vero inde Genevam, tituloque Profeſſoris Eloquentiæ ornatus, nihil, quod ſciamus, publicæ luci tradidit præterquam duas Orationes, de Præſepi Chriſti alteram, alteram de ejus Cruce, Latine dictas, at Gallice ab ipſo translatas editasq; Genevæ A. 1655, quarum priorem Berolini poſtea A. 1695 iterum recudi curavit. Sed paulatim magis efffulſit virtutum pariter & dignitatum ejus ſplendor, ſiquidem Geneva Heidelbergam ad Electoris Palatini Caroli Ludovici aulam provectus, iſtic tantopere Electori ſe probavit, ut unigeniti Principis Caroli, qui deinceps ultimus iſtius Familiæ fuit Elector, moribus ſtudiisque formandis præficeretur, ac ad conſilia quoque Electoris adſciſceretur. Quibus quidem muneribus quam dignum ſe præſtiterit in difficillimis temporibus, quibus Aula Electoris per ortam cum Conjuge ſimulationem graviſſimam mire dividebatur, dicere non eſt hujus loci. Id

tantùm monendum, Politicæ ſcientiæ ſuæ ſpecimen inſigne ab ipſo fuiſſe editum A. 1657 publicato Diſcurſu, quo Jus Imperii Romani res durante Interregno vicario nomine adminiſtrandi Electori Palatino adverſus Bavariæ Electoris machinationes & quæſitum ad illud titulum eximie defendit. Quanquam in iſtis politicis negotiis ne tum quidem oblitus ſit elegantiorum Muſarum, quarum amatores, edita Heidelbergæ A. 1660 Juliani Cæſarum Verſione Gallica elegantiſſima, Obſervationibus doctiſſimis illuſtrata, maximopere ſibi devinxit, ac multo magis adhuc, cum ſe ipſum veluti ſuperans, ejusdem operis, jam tum apud omnes abſolutiſſimi nomen merentis, novam Editionem multum priore exactiorem auguſtioremque Lutetiæ Pariſiorum A. 1585 adornavit. Aſt, ut in ordinem redeamus temporum, commodum noſtro accidit, & cum illo amore, quo antiquitates omnes ardebat, maximopere conveniens, quod ab Electore ipſo A. 1661 menſe Majo demandatum fuerat ipſi, iter in Italiam ſuſcipiendum. Etſi enim iſto itinere jubebatur ab Electore eo conniti, ut antiquum cum Principibus Italiæ commercium Domus Palatinæ inſtauraretur, omniumque Principum illorum, ac præcipue Curiæ Romanæ ſtatus, ratio gubernandi, ſtudiaque ipſi penitus fierent perſpecta, atque hoc omne noſter ſumma cum cura exſequebatur, fuit tamen ea Viri ſummi dexteritas ſemper, ut neque in iſto itinere, nec deinceps graviora publicaque negotia quicquam nocuerint divino illi ſtudio, quo rem omnem literariam proſequebatur. Sane eum & Romæ perpetua fere Chriſtinæ Reginæ, quæ & ipſa literas iſtas deperibat, conſuetudine, ac reliquorum, quos Roma tum habebat, Eruditorum familiaritate uſum fuiſſe conſtat, ac, poſtquam illic omnia antiquitatis monimenta curioſe luſtraſſet, ulterius progreſſum Siciliam quoque & Maltam adiiſſe, nihil, quod a venerabili antiquitate in oris iſtis erat ſuperſtes, imperveſtigatum relinquentem. Cujus rei teſtimonium habemus locupletiſſimum Opus de Præſtantia & uſu Numismatum, tum primum Romæ A. 1664 imperfecte quidem, ſi ſequentes Editiones velis ſpectare, at eo tamen cultu luci publicæ datum, qui vel tum ſummorum in iſto ſtudio Virorum ampliſſimas laudes mereretur,

Digitized by Google

tur. Redux vero ex Italia Heidelbergam menſe Aprili A. 1665 factus, (quod iter ſuſceperat cum Sereniſſima Vidua Electrice Brunſuicenſi adhuc ſuperſtite Sophia, quæ tum quidem Princeps Oſnabrugenſis erat,) ſtatim ab Electore Palatino publicis negotiis curandis adhibebatur, miſſus ab eo A. 1665 ad Lotharingiæ Ducem, ac ſequenti ad Electorem Moguntinum, quo etiam, cum adfuiſſet collationibus Oppenhemii, Spiræ & Heilbronnæ de rebus Palatinatus habitis, in Galliam adhuc mittebatur. Statimque Bredanæ Pacificationi A. 1667 aſſiſtere juſſus, mox iterum A. 1668 in Galliam revertebatur, numero Deputatorum Collegii Electoralis & reliquorum Imperii Principum ad Regem Galliæ adſcriptus. A quorum munerum graviſſimorum occupationibus deciſas veluti parciſſime horas eo tamen fructu abundare vidit eruditus Orbis, ut produxerint illæ A. 1671 Lutetiæ publicatam alteram Editionem inſignis de Præſtantia & Uſu Numiſmatum Operis, multo, quam prima, ornatiorem, auctiorem perfectioremque. Cui altero ſtatim anno ſucceſſit de Nummo Smyrnæorum inſcripto: Σμυρναίων Πρυτάνεις ſeu de Veſta & Prytanibus Græcorum Diatriba, quæ ſelectis Seguini Numiſmatibus adjecta tum prodiit, inde vero luculentior & copioſior, multisq; aliorum numorum explicationibus illuſtrior, Tomo V Theſauri Antiquitatum Romanarum Græviani inſerenda, ab ipſo Autore fuit communicata. Ille vero paulo poſt Electoris perſonam in Pacificatione Noviomagenſi A. 1672, deinceps vero apud Fœderati Belgii Ordines Principemque Arauſionenſem, mox etiam apud Britanniæ Regem Carolum II ſuſtinere juſſus, dum ea ageret, Lutetiæ A. 1678 Epiſtolam, qua de Rich. Simonii Hiſtoria Critica judicium ſuum expoſuit, publicari fecit. Non multo vero tempore interjecto, Palatino Electore conſentiente, Aulæ Sereniſſimi Electoris Brandenburgici adſcriptus noſter, ab hoc A. 1680 Ablegati Extraordinarii titulo ad Regem Galliarum ire jubebatur, apud quem eo munere ad annum 1689 usque ſumma cum laude ac ipſius aulæ Franciciæ exiſtimatione defunctus eſt. Quo tempore & Juliani Cæſarum nova, quam memoravimus, Editio documentum edidit virtutis, & pietatem imprimis ejus de-

demonſtravit benigniſſima plurimorum Proteſtantium, qui revocato Edicto Nannetenſi Francia exire cogebantur, in propria domo receptio, præſtitaque illis, usque dum commode patrium ſolum vertere poſſent, tutela. Tacemus perpetua cum Viris eruditis Galliæ in ſuo hoſpitio commercia, quæ tantum pellexere illorum animos in Spanhemii amorem, ut diſceſſum ejus ex iſtis oris non mediocriter dolerent omnes. At iſte a negotiis tam arduis paululum animum relaxans ſeceſſus, cum Berolini ab anno inde 1689 degeret, tanto uberiores fructus fœneratus eſt rei literariæ, quorum initium conſtituerunt ſcriptæ ab ipſo A. 1691 ad Laurentium Begerum Epiſtolæ, cum Obſervationibus & Conjecturis Begeri ad XXIV antiqua Numiſmata publicatæ, reconditam plane eruditionem ſpirantes. Quibus ſucceſſere poſt novam Diſſertationis de Veſta Editionem, Epiſtolæ quinque A. 1695 ad Andream Morellium ſcriptæ, quas ille Specimini ſuo Rei univerſæ Nummariæ antiquæ adjunxit. Splendorem vero haud vulgarem paulo poſt conciliavit Vir magnus Grævianæ Callimachi Editioni, in qua Obſervationes Spanhemianas inſertas eſſe, plurimumque decoris illi afferre, notum eſt. Qua felicitate quoque uſa eſt Operum Juliani Editio Lipſienſis A. 1696 publicata, inſigniſſimis Spanhemii Commentariis ad Orationem primam & Præfatione ſatis ampla colluſtrata. Cui operæ ſucceſſit apud noſtrum ampliſſima de Orbe Romano Commentatio, publicata primo A. 1697 & inſerta Volumini XI Theſauri Antiquitatum Græviani. Quibus operibus condecoratum otium veluti literarium Berolinenſe commutare juſſus eſt iterum cum ſtrepitu aulæ, publicæque rei cura, poſt Pacem nempe Ryſvicenſem A. 1697 iterum ad Regem Galliæ ablegatus, apud quem ad annum usque 1702 hæſit, medio tempore a Sereniſſimo Electore Brandenburgico, cum Regis Boruſſiæ titulos Majeſtatemque ſuæ Familiæ vindicaret, Liberi Baronis inſignibus ac honoribus ex merito ornatus. At, cum bello recens orto ceſſaret Aulæ Boruſſicæ cum Gallica commercium, Legati Extraordinarii Regii titulo ad Potentiſſimam Britanniæ Reginam miſſus eſt A. 1702, primus honores ibi Regiis Legatis tribui ſolitos ſibi vindicaturus. Quos

ſane

Digitized by Google

ſane cum Regis ipſius, quem repræſentabat, Majeſtate propria ipſi merita pepererunt ampliſſimos, quippe qui cum tota Familia Reginæ maximæ eſſet commendatisſimus, in curandis negotiis cum ſumma dexteritate felicisſimus, ac prætêrea nemini non ex ea gente, in qua vivebat, longe dilectisſimus. Neque vero ſterile ipſi ſolum fuit Anglia, ut non, vel ſenio ingraveſcente, vigor antiquus diffuſisſimæ eruditionis identidem productis fructibus ſeipſum oſtenderet. Habemus ejus rei documenta novam Diſſertationum de Orbe Romano Londini A. 1704 curatam Editionem, nec non ſuppeditatas Cl. Kuſtero ad ornandam novam Ariſtophanis Editionem Obſervationes in tres priores illius Comœdias, publicatas A. 1709. At cumprimis ſenio tam illuſtris Autoris dignum eſt Opus immortale de Præſtantia & Uſu Numismatum, cujus priores Diſſertationes tertia Editione Londini A. 1706 facta ita excultas dedit, ut nihil ad venuſtatem & perfectionem Operis deſiderari poſſe videatur. Qua facie excultas reliquas Diſſertationes, additasque tres novas publicare cum ipſe properaret Illuſtris Autor, publicatas videre anhelaret Orbis Eruditus, tanto funeſtius haud dubie eſt fatum, quod inſigne opus occupavit, ipſumque Virum ſummum noſtris rebus exemit. Obtigit hoc illi, vigenti adhuc paulo ante pro ratione ætatis, A. 1710 de improviſo, non tamen imparato, ad meliores occupationes eum avocans menſe Novembri, ætatis, raro ſenii exemplo, anno 80, menſibus 11 ſuperato. Quem virum quantum æſtimaverit Anglia, in qua fatis conceſſit, juſtis ipſi in Weſtmonaſterienſi Abbatia perſolutis, commonſtravit. Quanti ipſum fecerit Rex Borusſiæ Serenisſimus, emta ab eo publicoque loco aſſervata inſigni Bibliotheca Spanhemiana, quæ jam ſchedis Viri Illuſtris ipſius Regis juſſu Londini ſtudioſe collectis augebitur, duraturum ad omnem memoriam eſt documentum. Quo tamen longe magis durabilia ſunt monimenta inter Eruditos ab ipſo poſita, quibus ſperamus acceſſuram propediem reliquarum de Præſtantia & Uſu Numismatum Diſſertationum novam Editionem, ab Illuſtri Viro ante obitum prælo penitus paratam, præter novas, quas adjicere meditabatur, Diſſertationes

tiones tres, quas cum deſideratisſimo ad Æſchylum Commentario aliisque inter adfecta Viri ſummi Opera poſthac collocabimus. Satis vixiſſe certum eſt Spanhemium, qui ea posſit in rem publicam literariamque merita oſtendere, quæ apud omnis generis homines ſummam ipſi & viventi & poſt fata pararunt exiſtimationem, præterquam apud eos, quos ſumma ipſius modeſtia non potuit eo adducere, ut parcerent Viris ſummis vel poſt fata obtrectare, ac matura ſui Emendatione Infamiam ſuam eluere diſcerent.

NOVA LITERARIA.

PAriſiis Renatus Maſſuet, Ord. Bened. qui nuper novam Irenæi editionem procuravit, in eo eſt, ut Annalium Benedictinorum, quorum quatuor Tomos Joannes Mabillonius typis vulgavit, quosque Theodoricus Ruinart continuare, immatura morte præventus, haud potuit, Tomum V, ab ipſo Mabillonio usque ad A. 1157 productum, prelo ſubjicere parat, ſimulque reliqua ad noſtra usque tempora pertexere conſtituit. Cum vero aliorum etiam hic opera requiratur, publice Maſſuetus rogat Ordinis ſui Viros doctos, ubicunque terrarum degant, ut de Monaſteriis Benedictinorum, quæcunque perſpecta habeant, ad ſe perſcribant, atque adeo 1 ſitum eorum, 2 fundationem, ſi anno poſt C. N. 1000, quo imprimis nunc telam ordietur, poſterior ſit, tum Benefactores, eorumque familias, ipſaque fundationis & donationum inſtrumenta; 3 jura & privilegia, quibus hodie imprimis gaudent, 4 clades, inſtaurationes aliaque, quæ experta ſunt, fata, 5 viros ſanctitate & eruditione illuſtres, tum ad infulas Pontificias vocatos, 6 Abbatum aut Abbatiſſarum, Priorum, &c. ſeriem, 7 epitaphia aliaque monimenta antiqua lectu digna, denique 8 reliquias hic illic asſervatas earumque hiſtoriam, diligenter adnotent, imprimisq; annos, quorum in diplomatibus fit mentio, accurate conſignent.

Amſtelodami apud Wetſtenios Diodorus Siculus prelo proxime ſubjicietur, ex recenſione Joſephi Waſſe, Angli, dudum editis optimis ſcriptoribus clari, qui varias lectiones collegit, notasque & obſervationes addidit. Plura proximo Menſe Decembri nuntiabimus.

* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ Calendis Decembris, Anno M DCC XI.

EGINHARTUS DE VITA ET GESTIS CAROLI Magni, cum Commentario JO. FRID. BESSELII, & notis JO. BOLLANDI. Acceſſerunt Goldaſti Animadverſiones ineditæ, cum variis diſſertationibus, curante JO. HERMANNO SCHMINCKIO.

Traiecti ad Rhenum, ex officina Guil. van de Water, 1711, 4. Alph. 1 pl. 15½.

NOvam eandemque luculentiſſimam editionem vitæ Caroli M. ab Eginharto ſcriptæ Lectori hic offerimus, cujus curator doctiſſimus non id ſolum operam dedit, ut ipſe Eginharti liber prodiret emendatiſſimus: quem in finem eum & cum aliis editionibus & cum quatuor MSS. codicibus contulit: verum etiam uberrimas eruditionisque pleniſſimas annotationes adjecit. Beſſelii enim Commentarium verbis Eginharti ſubjecit integrum, & ex Bollandi notis ad vitam S. Caroli XXVIII Januarii conſcriptis potiſſimas ſelegit, ſuasque denique ipſius animadverſiones addidit. Seorſim quoque in fine adjunxit Goldaſti in Eginhartum ineditas adhuc, & cum ob copiam, tum ob doctrinam luce digniſſimas animadverſiones. Quid? quod argumenti affinitate ſuadente annexuit etiam Freheri Φιλοτόνημα de ſtatura Caroli M. a Thulemario illuſtratum: item Hermanni Comitis Nuenarii brevem narrationem de origine & ſedibus priſcorum Francorum: variantibus Eginharti lectionibus, ex variis MSS. excerptis, univerſum opus concludentibus. Ipſe Cl. Schminckius præmiſit Eginharto Diſſertationem de vita

ejus & ſcriptis, prætereaque virorum doctorum de eo judicia, nec non Indicem editionum Eginharti, cum tabula ænea, Caroli M. imaginem & nummos aliquot repræſentante. Ut ex doctiſſimis hiſce lucubrationibus non nihil delibemus, Cl. Schminkius in laudata Diſſertatione ex analogia ſimilium nominum probare conatur, verum Autori noſtro nomen fuiſſe *Eginharti.* Quemadmodum enim Eginoldus in Einoldus, Reginhartus in Reinhartus, Reginaldus in Reinaldus corruptum ſit: ita ex Eginharto fabricatum eſſe Einhartum, nullus dubitat. Contra Goldaſtus ſcripturam *Einharti* præfert, nixus autoritate
p. 156. Lupi Ferrarienſis συγχρόνου, & complurium aliorum ex veteribus, qui & noſtrum & alios Einhardos laudarunt. Nec ſane conſentiens horum ſcriptura plane damnanda videtur, præſertim cum Einhardus non minus facile in Eginhartus mutari potuerit, quam Eginhartus in Einhardus. Litem omnem diremerit, qui originem nominis in apricum produxerit. *Hard* quidem vel *Hart* quid ſignificet, Germanorum nemini ignotum eſt. Habemus enim nomina *Leonhart*, *Bernhard*, *Ehrhart*, *Reinhard*, & plura ejusdem generis. Jam vero nullum occurrit nomen, ex cujus compoſitione prodire *Eginhartus* potuerit. Aſt unde *Einartus* vel *Einardus* appellari potuerit, conjectura præſto eſt. *Ee* enim apud majores noſtros ſignificabat *legem*, cujus pluralis numerus eſt **die Een.** Sic dicebant **die alte Ee/** quod hodie dicimus *veterem legem, vetus teſtamentum.* Jam uti *Ehrhartus* vel *Erhardus* dicitur quaſi *honoris* vel *honeſtatis tenax:* ita *Einhardus*, quaſi *Eenhart*, ſignificare poteſt *legum tenacem.* Sed non eſt noſtrum, quicquam definire. Redimus ad Schminckianam Diſſertationem, in qua præter cetera etiam vulgaris illa de Eginharti cum Caroli M. filia matrimonio narratio pro fabella exploditur, expoſitisque refellitur rationibus. Quas cum doctiſſimis Viris approbantes, cenſemus, totam iſtam hiſtoriolam ex ſola Eginharti præfatione everti poſſe. Scribit enim ibi, *ſe operam impendiſſe, ut de his, quæ ad ſuam notitiam pervenerint, NIHIL omitteret.* Ergo nec ſuum cum filia regia matrimonium reticuiſſet, ſi quod fuiſſet. Nam occaſionem ejus parum honeſtam ſilentio poterat præterire. Dein-

Deinde *Caroli M. in ſe beneficia* ibidem commemorat, *ſuamque cum ipſo & liberis ejus amicitiam*. *Amicitiam* inquam, non *affinitatem*. Quæ non animadverſa, ſed vulgi fabulam propugnatam fuiſſe, infirmis quidem certe argumentis, a Cl. Baluzio in notis ad Lupum Ferr. p. 331 ſeqq. & 335, permirum nobis accidit. Ceterum quæ ſit hujus origo fabulæ, conjecturam facit Schminkius: cui tamen Beſſelii ſuſpicionem in notis ad cap. p. 100.
XIX forte præferas cum Thulemario in ſuis ad Freherianum 234.
φιλοπόνημα annotationibus. Porro & Schminckius ex libris MSS. eorum confutat opinionem, qui Comitem Nuenarium hancce Caroli M. vitam floridiore exornaſſe ſtylo tradidere: quem errorem & notavit Beſſelius. Quod attinet ad annotatio- 3, 4.
nes in ipſum Eginhartum, fateri nobis neceſſe eſt, magnam in iis lucem affundi Carolinæ hiſtoriæ, & medii ævi antiquitatibus. Unde non eſt, quod multa inde excerpamus. Demonſtrato enim fonte, quilibet inde haurire, quando fuerit opus, poteſt. Moris tamen ſervandi cauſa vel tria quatuorve ex doctiſſimis annotationibus repetemus. Beſſelius initio ſui com- 1, 2.
mentarii varios ſcriptores vitæ Caroli M. recenſet. Eginharto initio præfationis ſuæ profeſſo, ſe *vitam & converſationem* Caroli ſcripturum, Schminkius annotat, vocem *converſatio-* 5.
nis illo ævo fuiſſe uſitatiſſimam pro ſynonymo *vitæ*. Addere liceat, eam hoc ſenſu jam ab Hieronymo uſurpatam eſſe in Catalogo Script. Eccl. cap. 5 & 8: item a Cypriano Epiſt. 52. Stemma Caroli M. a Beſſelio exhibitum non plane probatur 21.
Schminkio, Carolingorum genealogiam fatente tantis immerſam eſſe tenebris, ut certa omnia tradi minime poſſint. Idem 35.
defendit eam opinionem, qua Ingelheimii natus eſſe creditur magnus ille Carolus. Hunc vero ſecretorum in Weſtphalia 44.
judiciorum autorem eſſe, negat Beſſelius: contra contendit, 49.
jam Caroli M. ætate in Saxonia urbes arceſque munitas fuiſſe. Idem ex veterum ſilentio probat, fabulam eſſe, quod vulgo de Belliſarii cœcitate narratur. Adeoque multis documentis pa- 102.
tet, Beſſelium in hiſtoria verſatum eſſe cum judicio. Si cui lu- 13 ſq.
bet copioſam tractationem de Majoribus domus luſtrare oculis, 163 ſeqq.
eundem adeat Beſſelium & Goldaſtum. Sed hæc hactenus. U-

Digitized by Google

63 ſeq. num addimus, a Cl. Schminkio p. 46 promitti Diſſertationem *de Urnis ſepulcralibus*, ante triennium ad auriferam Adranam erutis.

GENNADII, PATRIARCHÆ CONSTANtinopolitani, Homiliæ de Sacramento Euchariſtiæ: Meletii Alexandrini, Nectarii Hieroſolymitani, Meletii Syrigi, & aliorum de eodem argumento Opuſcula, Græce & Latine: ſeu Appendix ad Acta, quæ circa Græcorum de Transſubſtantiatione fidem relata ſunt in Opere de Perpetuitate Fidei: EUSEBIUS RENAUDOTIUS, Pariſinus, ex Codicibus MSS. edidit, Latine vertit, Diſſertationes & Obſervationes adjecit.

Pariſiis, apud Gabrielem Martinum, 1709, 4 maj.
Alph. 1 pl. 10.

QUanto ſtudio ex Pontificiis permulti anniſi ſint, ut Eccleſiæ Græcæ cum Latina conſenſum demonſtrarent, Proteſtantium haud paucis repugnantibus, ex ſuperioris ſeculi hiſtoria litteraria conſtat abunde. Poſtremis ejus temporibus controverſia in Galliis nata & hinc longius diſſeminata eſt de Græcorum fide circa Euchariſtiam, Pontificiis Græcos in Transſubſtantiationis patrocinium advocantibus, Reformatis contra quibusdam eosdem in ſuas trahentibus partes. Cujus rei hiſtoriam doctiſſimus Abbas, Renaudotius, in præſentis operis Præfatione, grata brevitate uſus, perſequitur: nosque ipſi his in Actis Simonii & Smithi ſcripta hujus argumenti quondam recenſuimus. Vid. A. 1688 p. 132; 1687 p. 92; 1691 p. 81; Suppl. T. I p. 75. Ceterum ex hac ipſa Præfatione Lector neutrarum ſtudioſus partium facile cognoſcet, utrum Pontificiorum, an Reformatorum cauſa ſit melior. Certe, niſi vehementer fallimur, Cl. Renaudotius hic multis argumentis liquido videtur demonſtraſſe, Græcam Eccleſiam ab antiquiſſimis inde temporibus transſubſtantiationem, ſi non vocabulo, certe re ipſa, ſtatuiſſe. Quæ enim ſive excipiunt ſive objiciunt Reformati, ea Noſter ἀκριβῶς & perſpicue diluit. Nec tamen ea re multum

Digitized by Google

tum proficere Pontificios credas, cum nullo unquam temporis intervallo nec infinito conſentientium numero error in veritatem transſubſtantiari poſſit. Sed audiamus jam Cl. Renaudotium, vel potius eos, quos ſuæ ſententiæ citat teſtes. Primo producit *Gennadii Homiliam de ſacramentali corpore D. N. Jeſu Chriſti*, ex qua nonnulla delibabimus. Pag. 4 ait, Chriſtum ſe ipſum dediſſe in S. Cœna diſcipulis ſecundum myſticum quendam modum. Id cum ambigue dictum videatur, ſententiam ſuam p. 4 & 5 planius exponit, Chriſtum ita loquentem ad diſcipulos inducens: *Verborum meorum efficacia omnem panem & omne vinum in meum ſanguinem & corpus transmutabit. - - Neque vero gravis vobis debet aut durus eſſe communionis ſermo. Non enim abſterrebimini carnem edentes humanam, & ſanguinem bibentes ſub eadem forma, qua ſubſiſtunt & in me ſunt, ſed tanquam in pane & vino manducabitis. Panis autem & vini apparens veritas veritatem non apparentem corporis & ſanguinis continebit: ſubſtantia quidem transmutata, ut in vobis ſacramentum operetur: externa vero forma eadem permanente, ne qua vos hæſitatio & horror detinens a communione abducat.* P. 8 exclamat: *O miraculum omni miraculo ſuperius! o transſubſtantiationem* (μετουσίωσιν) *plane miram!* Sic & p. 9 ſcribit, hoc myſterium μεταβολήν τινα περιέχειν οὐσίας εἰς οὐσίαν. Porro poſſibilitatem transſubſtantiationis illuſtratum it exemplo illo, quo divinæ perſonæ in Chriſto humana ſit conjuncta natura: quanquam non diffitetur, magnam eſſe duarum harum rerum diverſitatem. Quare alia profert in medium, ut ligni quibusdam aquis injecti transmutationem in lapidem, panis in corpore humano in carnem, uxoris Loti in ſtatuam ſalis, virgæ Moſis in ſerpentem, aquæ in vinum in nuptiis Cananæis. Nec dubitat defendere, quod idem numero corpus ſecundum unum & idem eſſe diverſis poſſit in locis exiſtere. P. 29 -- 35 exhibetur alia ejusdem Gennadii homilia, relata a Meletio Syrigo, Hieromonacho Cretenſi, in *Refutatione Confeſſionis Cyrilli Lucaris*. Hæc tantummodo compendium eſt præcedentis, nec in ea quicquam habetur, quod non ſit jam copioſius expoſitum in ſuperiore: niſi quod obſcuriora illa ver-

p. 11.

14.

19.

 ba,

ba, quibus in priore homilia dixerat, corpus Chriſti in S. Cœna
p. 16. non adeſſe φυσικῶς, ſed tantum μυστηριωδῶς, *ſacramentaliter*,
34. hic ita explicat: *Neque ſacramentale Chriſti corpus typus eſt*
35. *veri corporis, ſed veritas ipſa eſt illius corporis.* Ubi & deinceps meminit, transſubſtantiationem ſæpe confirmatam fuiſſe miraculis, & incredulos aliquos, poſtquam in ſacro vaſe vidiſſent integrum & viventem Dominum noſtrum, attonitos credidiſſe.
37. Subjecit Cl. Renaudotius diſſertationem, qua docet, homiliam illam hic edi ex codice monaſterii Brundiſſini, ante annos 150 ſcripto: in quo legantur & alia complura ejusdem auctoris opuſcula. Illam autem homiliam Gennadium Patriarcham auctorem habere, patere ait ex ejusdem *Expoſitione reli-*
39. *gionis Chriſtianæ* coram Turcarum Imperatore facta. Smithus quidem, cum Simonius ex hac homilia excerpta publicaſſet, ea
60 ſeqq. dixit a Meletio Syrigo fuiſſe Gennadio ſuppoſita: ſed Noſter multis probat, Gennadium verum eſſe illius homiliæ auctorem.
40 ſqq. Cujus dum hiſtoriam copioſe percenſet, ſimul contra Allatium,
58. Spanhemium, aliosque probat, unum duntaxat fuiſſe Gennadium, ejusque auctoritatem in doctrina de transſubſtantiatione eo majorem eſſe, quod Latinis fuerit infenſiſſimus. Subjicit p. 69 ſeqq. fragmenta ex codice quodam Bibliothecæ Regiæ, quibus hiſtoriam Gennadii magnopere illuſtrari, ac quæſtionem de
80-90. uno vel pluribus Gennadiis explicari arbitratur. Addit Catalogum operum a Gennadio ſive Georgio Scholario ſcriptorum, ex quibus librum *de prædeſtinatione*, cum verſione & notis Caroli Libertini editum, recenſuimus A. 1682 p. 184. Ceterum
81. dubitare videtur, *an Apologia pro quinque capitibus Concilii Florentini* Gennadium auctorem habeat, Hinc de Meletio Piga, Patriarcha Alexandrino, qui ſub finem ſeculi XVI floruit,
91. agit, eundemque docet & Latinorum maximum adverſarium
100 ſeq. & ſtrenuum transſubſtantiationis aſſertorem fuiſſe. Ex hujus enim Epiſtolis manifeſta exhibet teſtimonia de ipſius cum Latina eccleſia conſenſu in doctrina de transſubſtantiatione, & adoratione panis conſecrati, quodque hoc ſacramentum ſit in-
106 ſeq. cruentum ſacrificium. Quanquam idem Meletius Latinos, S.
120 ſeq. Cœnam ſub una ſpecie adminiſtrantes, & in eadem azyma adhiben-

Digitized by Google

bentes, refellit. Hinc Cl. Renaudotius p. 151 de Meletio Syrigo docet, eum *Refutationem Confeſſionis fidei a Cyrillo Lucari editæ* ſcripſiſſe juſſu ſynodi Conſtantinopolitanæ anno 1638 habitæ: ſimulque Smithum confutat, qui Meletium hunc tradiderat in Italia educatum & Latinis addictiſſimum fuiſſe: quod utrumque falſiſſimum eſſe oſtendit. Ex illo igitur Meletii opere Excerptum exhibet de transſubſtantiatione, ubi is & vocabulum *transſubſtantiationis* (μετουσιώσεως) & rem ipſam acriter propugnat, allatis veterum eccleſiæ Doctorum de re ipſa teſtimoniis. Hinc vehementer falli docet Claudium & Smithum, pro certa Latiniſmi nota in Scriptoribus Græcis habentes, ſi quis utatur voce *transſubſtantiationis*. Nam acerbiſſimos Latinorum hoſtes ea uſos eſſe contendit; e quibus jam & Nectarium, Patriarcham Hieroſolymitanum, producit, qui A. 1672 ſubſcripſit ſynodo Conſtantinopoli habitæ, qua Lucaris Confeſſio damnata, & transſubſtantiationis fides ſtabilita eſt. Nectarii hujus vitam exponit pluribus, ex qua hæc annotaſſe ſufficiat, quod natus in Creta inſula, juvenis in monte Sinai monaſticam vitam profeſſus, mortuo Paiſio, Patriarcha Hieroſolymitano, in ejus locum fit electus, ac tandem ob ſenectutem & morbos hoc munere ſe abdicarit, ſuccedente Doſitheo. Cum Galli Pontificii controverſiam cum Claudio agitantes de Græcorum fide circa transſubſtantiationem teſtimonia peterent a Græcis, hos inter Nectarius reſponſionem edidit, quæ hic exhibetur ſub hoc titulo: *Nectarii, quondam Hieroſolymorum Patriarchæ, adverſus Galli Claudii contra Græcos injurias & calumnias brevis reſponſio.* Hic Nectarius profitetur, primum ex Græcis contra Lutheranos de ſacramentis ſcripſiſſe Gabrielem, Metropolitam Philadelphienſem, ejusque librum ab univerſa Eccleſia Orientali approbatum eſſe: cum vero Cyrillus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, hæreſeos morbo laborare deprehenſus eſſet, contra Calvinianam de Sacra Cœna doctrinam ſcripſiſſe Georgium Coreſſium: poſt illum Gregorium Protoſyncellum: inde Meletium Syrigum. Quare queſtus, eſſe in Gallia, qui Græcis tribuant Calvinianam de S. Cœna doctrinam, affirmat, Græcos jam olim ſtatuiſſe μετουσίωσιν. Finito hoc

[Margin notes: 126 ſeqq. (beside line 1); 156 ſeqq. (line 7); 163 ſeqq. (line 15); 169. (line 21); 171. (line 25); 172. (line 27); 173. (line 32); 174. (line 33); 175. (line 34); 178. (line 35)]

Ne-

p. 183. Nectarii opuſculo exhibetur ex ejuſdem Tractatu *adverſus primatum Romani Pontificis* Excerptum, ubi eandem doctrinam
189 ſeqq. de transſubſtantiatione proponit pariter ac tuetur. Hinc Cl. Renaudotius ob oculos ponit *Synodicam ſententiam Callinici, Patriarchæ Conſtantinopolitani*, *adverſus errores Calviniſtarum de Eucharistia*, A. 1691 pronuntiatam & transſubſtantiationis
187. dogma firmantem. Præmittitur diſſertatiuncula de ea, qua docetur, occaſionem huic Synodo dediſſe Joannem Caryophyllem, Logothetam magnæ eccleſiæ, qui Cyrillum Lucarim imitatus doctrinam de transſubſtantiatione oppugnaret. Edita eſt Synodica illa ſententia Jaſii in Moldavia A. 1697. Cum autem liber hic ſit rariſſimus, Cl. Renaudotius eam Latine edidit ex verſione Nicolai Comneni Papadopoli, qui eam inſeruit Reſponſioni ſuæ adverſus Hockſtonum Anglum, Venetiis anno 1703 editæ. Sed poſtea ipſam Græcam editionem Venetiis Noſter accepit: unde & hæc ſubnectitur. Excipit eam Excerptum ex *Confeſſione orthodoxa Græcorum*, a Meletio Syrigo ſcripta, & a Patriarchis Conſtantinopolitano atque Hieroſolymitano approbata, tertiumque edita hic Lipſiæ A. 1695 cum verſione Normanni: quam editionem eodem nos anno p. 319 recenſuimus. Hic igitur pariter docetur transſubſtantiatio.
199 ſqq. Totum opus concluditur duabus obſervationibus in Cl. Petri Allixii notas ad Nectarii opus adverſus Papæ primatum, ab eo cum Latina verſione in Anglia editum. Hic noſter Renaudotius Allixii objectionibus & exceptionibus ſatisfacere conatur, quibus is ad Græcorum de Transſubſtantiatione doctrinam,
210 quam infitiari auſus non erat, reſponderat. Denique ſi fata permittent, propediem videbimus Renaudotii *Diſſertationes de Eucharistia ſecundum Orientales* publicæ luci expoſitas.

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ ANTIquorum Patrum. Tomus ſecundus.

Romæ, ex typographia Congreg. de propag. fide, 1710, 8.
Alph. 1 pl. 21½.

PRimum hujus operis Tomum anni ſuperioris Menſe Auguſto p. 336 recenſuimus, ejusque editorem indicavimus eodem

Anno

Anno p. 535, & hoc ipſo Anno, p. 87, *Joſephum Mariam Tommaſi.* Is jam ſecundo hoc Tomo exhibet *Cypriani Teſtimoniorum ad Quirinum librum tertium, Baſili M. Aſcetica, ejusdemque librum de judicio Dei, item de vera ac pia fide, ac tandem ejus Moralia*, una cum verſione Latina. Uti prior, ſic & hic Tomus nullis ornatus eſt annotationibus, niſi quod duæ occurrunt, ad Cyprianum altera, altera ad Baſilium. Non eſt, quod ex hoc opere quicquam excerpamus, cum novi nihil hic edatur, ſed ἀπίσπασμάτια quædam Theologorum veterum. Nec tamen alienum erit, ex Baſilii Moralium cap. 67 p. 414 repetere, quod doceat, non convenire iis, quibus de mortuorum reſurrectione perſuaſum ſit, eorum cauſa mœrore affici. Idem graviter & copioſe docere meminimus Cyprianum libro de Mortalitate capp. 15, 16 & 18, ex quibus paucula producemus. Dicit, *ſe conteſtari aſſidue & publice prædicare, fratres noſtros non eſſe lugendos, cum ſciamus, non eos amitti, ſed præmitti. - - Hoc nos oſtendamus eſſe, quod credimus, ut neque carorum lugeamus exceſſum, & cum accerſitionis propria dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum ipſo vocante veniamus.* Extat etiam Gregorii Nyſſeni Oratio, qua idem præceptum de non dolenda Chriſtianorum morte pluribus exponit. Hieronymus quoque in Epitaphio Nepotiani p. 22, cum magno numero adduxiſſet eos ex ethnicis, qui ſuorum mortem fortiter tulerunt, judicat, ea exempla exſtare in ſugillationem noſtri, *ſi non præſtet fides, quod exhibuit infidelitas.* Occurrit hoc loco Plinii illud lib. II epiſt. 1, quo, ſi recte explicetur, nihil eſt Chriſtianius. *Quibus ex cauſis*, inquit, *neceſſe eſt, tanquam immaturam mortem ejus in ſinu tuo defleam: ſi tamen fas eſt aut flere, aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita, quam vita eſt.* Quanquam vero hæc ſatis docte diſputentur, imbecillitati tamen eorum, qui lacrymis proſequuntur ſuorum mortem, merito ignoſcendum judicant viri ſapientiſſimi. Ipſe Hieronymus loc. cit. p. 21 eleganter ſcribit hunc in modum: *Quid igitur faciam? Jungam tecum lacrymas? Sed Apoſtolus prohibet, Chriſtianorum mortuos dormientes vocans. - - Lætor & gaudeam, quia raptus eſt, ne*

malitia mentem ejus mutaret, quia placuerat Deo anima illius? Sed invito & repugnanti per genas lacrymæ fluunt, & inter præcepta virtutum reſurrectionisque ſpem, credulam mentem deſiderii frangit affectus. Recte proinde & temperamento quodam uſus ſcribit Joannes Valentinus Andreæ in *Theophilo* p. 32: *Non prohibet piorum exemplum: ſed applaudere beatis præſtat.* Nec reprehendenda videtur Molinæi ſententia, lib. II de Tranquillitate animæ cap. 15, *ſtolidum, eſſe* judicantis, *flere mortem ſuorum, ſed tamen humanum.* Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Ceterum nos non pœnitet conjecturæ, quam Anno ſuperiore p. 337 fecimus de delectu ſcriptorum in his Tomis editorum, & de Editoris conſilio. Certe in Baſilii libro de *judicio Dei*, qui ſecundo huic Tomo inſertus eſt, propugnatur illa Pontificiis gratiſſima ſententia, unum etiam in ſacris Regem eſſe debere, a cujus nutu ceteri pendeant. Ejusdemque libri p. 144 Baſilius Petrum ceteris Apoſtolis dignitate præfert, quod adeo dignum notatu viſum fuit Editori, ut in margine id repetendum Lectoriſque oculis ſtudioſe ingerendum duxerit. Id quod eo magis mirum, quod alioquin in toto libro nulla in margine deprehenditur annotatio. Nec denique illud prætereundum nobis eſt, præmitti huic Tomo Catalogum librorum ſecuturis Tomis inſerendorum.

JANI BROUKHUSII POEMATUM LIBRI ſedecim, Editore DAVIDE HOOGSTRATANO.

Amſtelædami, apud Franciſcum Halmam, 1711, 4 maj. Alph. 3.

EXhibemus hic, quæ Janus Broukhuſius, ingeniorum ſui temporis (quod alio loco indicavimus,) Princeps, reliquit Poemata omnia, libris ſedecim diſtincta, operaque celeberrimi Hoogſtratani, cui in manum data, cujusq; fidei, cum Autor moreretur, commiſſa fuere, edita, tam luculento charactere tamque ſplendidis ornamentis, ut eorum magnificentia non omnium modo Φιλοκάλων oculos animosque alliciat, ſed ipſos etiam Autoris Manes, ſi quis iisdem ſenſus eſt, ſuaviſſima voluptate

ptate afficiat. Dedicata ſunt Joanni de Witt, urbi Amſtelædamenſi a ſecretis & optimarum literarum Mæcenati graviſſimo: cunctis autem eo gratiora iſta fore confidimus, quo impatientius moras illorum editioni injectas adhuc tulerunt eruditi: quoque cumulatius ſpem de illorum elegantia conceptam adimplent. Sane quidem ſi tenerrima ac delicatisſima eruditionis pars poeticum ſtudium cenſetur, quo mortales non modo ad humanitatem ſed & ad quandam inter ſuos æquales excellentiam conformantur, tanta in hoc fuit Broukhuſii præſtantia, ut jure mireris, hominem a prima juventute caſtris innutritum inter armorum ſtrepitum & irati maris fremitus tam polita tam terſa carmina ſcribere potuiſſe. Cum qua tamen carminis ſcribendi felicitate, quam Minerva belli artiumque præſes ipſi conceſſerat, iſtam animi moderationem ac modeſtiam conjunxit, ut cothurnos, tumorem, grandiloquam vanitatem procul a ſe usque removerit & manſuetiores Muſas proprio ſibi cultu proſecutus ſit. Quare etiam ab heroico carmine, licet nec ſpiritum ipſi nec ſententiarum gravitatem aut majeſtatem verborum defuiſſe credamus, iſta tamen animi temperantia actus abſtinuit. Quod ex ipſius verbis colligere licet, ubi El. Lib. III El. VI p. 53 ait:

Auſus eram (memini) nuper, Buſeroe, viroſque
    Armaque magnanima condere noſtra tuba.
Jam mea Phœbeis albebant tempora vittis,
    Ibat in heroos jam calor ille modos.
Riſit amor faſtus ac verba minacia magni
    Carminis, & creſcens attenuavit opus.

Et quanquam militem arma potius quam amores canere oportere exiſtimes, ipſe tamen Broukhuſius loco citato reſpondet:

Indomitumque meus Martem moderatur Apollo,
    Nec nihil ingenii, nec nihil artis adeſt;
Nec nihil oris adeſt. Sed reprimit ora Cupido,
    Frangit & alternos improbus ille pedes.

Et Lyricor. I od. 2 p. 121:

Sed me Latini pectinis arbiter
Parvo retentum fune coercuit;

Brevique circumſcripta gyro
Vis animi melioris hæſit.

In quo quidem Ovidii, Propertii ac Tibulli ſui fata, uti ſpiritum ac ſtylum in ſcriptis refert Noſter: quorum ſi quem ex aſſe hæredem ſcripſit Romana Venus, Broukhuſium certe ſcripſiſſe credenda eſt. Equidem in Ecloga II Libri I p. 195 heroica quædam ſub conditione pacis reſtituendæ promittere videtur.

Quod ſi infelices poſito certamine Belgas
Sidere contingit dextro Deus, otia nobis
Si qua facit, majore olim cantabimus auſu,
Quicquid apud Rhenum patriis bellator in armis
Geſſerit Auriacus. Nec tantum ſilva canentem
Audiet,aut vacuo deſertus rure colonus.

Sed pacis tempora Noſtrum attingere haud ſiverunt fata, iſtumque adeo laborem nobis interceperunt. Cujus tamen jacturam ſuaviſſimæ Broukhuſii reliquiæ cumulate penſant,totumque iſtum puriori Veneri Gratiisque vindicant. *Elegiarum* enim Libri quatuor Tibulli ac Propertii genium undique ſpirant: quantumque Poetis iſtis veteribus Broukhuſii induſtria contulit, qua,ut alibi retulimus, nitori ſuo reſtituti vivunt; tantum noſtra ætas debet Broukhuſii, cujus opera non monimenta modo illorum immaculata extant, ſed & ſpiritus quaſi revivixit. Adeo quidem Propertii doctrina, Tibulli ſuavitas in illo relucent,ut virtutes has ſuas Noſtro pro impenſa in Manes ſuos opera hoſtimentum legaſſe videantur: quas crebris ad antiquitatem Græcam & Latinam alluſionibus ſumma ſtyli ſimilitudine, ipſo etiam verborum ordine, circuitu & complexione, metri etiam gyrique paritate usque ad hiatus & pentametrorum exitus polyſyllabis vocibus ſæpiſſime *factos* exprimit, perſpicuitate autem ac dulcedine plane exæquat, ne dicam ſuperat. Prorſus ut vere de ſuis nec immodeſte Broukhuſius judicaverit Eleg. IV Libri IV p. 76 dicens:

Qualia Callimacho ſua Cynthia debuit Umbro:
Quale melos Nemeſis, culte Tibulle, Tibi.

Quale

Quale canit teneri blandiſſima Muſa Secundi,
Cum docet e gelidis baſia nata roſis.
Qualia (*ſeu potius* Talia) ſi magnis fas eſt committere parva,
Purpureus nobis carmina dictat Amor.

Porro cum Poeſis Lyrica ad Elegiacam ſuavitatem majeſtat[illegible] quandam Heroicam adjungat, ſcribentibusque ob ſtyli rationem plurimum difficultatis afferat, in hoc quidem genere nulli temere poſtponendum fuiſſe Broukhuſium, duo Lyricorum libri ab eodem relicti oſtendunt. Ad quod pulcherrimum literarium decus cum poſt unum apud Latinos Horatium raro admodum Sarbievii Baldeique admittantur, poſt Francium, cui intima amicitia junctus erat, Noſter potiſſimum in lucem ſeſe extulit, virtutesque Horatianas, illuſtria verborum ac ſententiarum lumina, ad vivum expreſſit. Nec tamen, dum majeſtatem tuetur, ſuavitatem ac primam maximeque neceſſariam poeſeos virtutem perſpicuitatem negligit, ſed jucundiſſimo utramque temperamento conjungit: cujus rei, quibus hæ deliciæ ad palatum ſunt, guſtum vel ex unica in Pacem oda, quæ Libri ſecundi quinta eſt, capere licebit. Succedit Hendecaſyllaborum liber: in quo carminis genere, quod omnium maxime laſcivum antiquis eſt, jucunditatem venuſto pudore ita temperavit, ut cum delicias hic ſuas referat, bonos viros optimasque literas canat, Muſarum caſtiſſimos amores, omnibus ſibi baſiis, niſi forte Secundi, (quæ ipſiſſimarum Muſarum ſunt) excipias, ſuaviores perhibeat: nullus hic laſcivæ Catulli Veneri, ſpurcisve Martialis Charitibus locus eſt, neque tamen omni pipere carent, vel non mordaces ſunt Phalecii Broukhuſiani, imprimis ubi in calumniatores Gallos incidunt, quod ſatis Lectorem docebit carmen IX p. 168 ſeqq.

Hendecaſyllabos excipiunt Eclogæ VIII, quæ Virgilii flores, narciſſum, lilia, thymum crocumque halant, nativamque ejus elegantiam ac ſimplicitatem cum ſuaviſſima venuſtate referunt. In quo carmine, quo difficilius hic eſt ſimplicitatis ac ſuavitatis connubium, eo pauciores inter ætatis recentioris Poetas excelluiſſe videmus. In Broukhuſii Eclogis in affectatam

Virgilii eruditionem,prudentiam,varietatem,ἐνέργειαν ac ſuavitatem jucundisſimis amplexibus nexas quaſi totidem Veneres Charitesque videmus.

Pone ſequuntur Epigrammata quatuor Libris comprehenſa. Omnium generum hic Epigrammata occurrunt, prout variæ cauſæ ſcribere Poetam juſſerunt. Virtutes epigrammatis in ſingulis expreſſas invenies brevitatem & argutiam. Quas ut,judice Scaligero,Catullus non ſemper eſt aſſecutus,Martialis nusquam amiſit,ita Noſter eo moderamine conjunxit,ut nec argutias frigidas male,quod multi recentiorum ſolent, affectarit, nec certo verſuum generi aut linearum numero ſe alligari paſſus fuerit, imprimis cum definita brevitas epigrammati non præſcripta nec ad monoſtichon alligata, vel aliquot multis verſibus, ut Martialis exempla docent, prohibita ſit.

Liber primus decem omnino Epigrammatibus, plerisque generis Elegiaci,ad amicos amicasque ſtylo perſpicuo deliciis puris nativoque lepore ornatiſſimis conſtat.

Secundus Epigrammata XXXV,eruditorum varios fœtus, veras laudes & merita in rem literariam prædicantia, multisque ſapientiæ ac pietatis luminibus diſtincta, complectitur. In quo ſi cui forte deſcriptio myſterii Eccleſiæ noſtræ phraſi mythologica facta l. 2 Epig. II p. 236 facta:

Supremi latices, frangendi corporis arrha
Fracta Ceres, domini tot monumenta mei &c. &c.

durior videatur; aliis locis Poetam noſtrum iſtud, quicquid eſt labeculæ, ſummo ſtudio emaculare, multis ornamentis contegere ſciat, prorſus ut de Broukhuſio dicere queamus, quod is Epigr. XV hujus libri de alio quodam p. 240 perhibet:

Sic Chriſto Muſas ſic Muſis jungere Chriſtum
Diſcat ab exemplo poſtera turba tuo.

Tertius Epigrammatibus XXXVIII, ſummis Principibus res proſpere geſtas & victorias, Viris doctis præmia, dignitates ac delicias ſuas gratulantibus & fauſta quæque ominantibus, indoctorum autem nugas dedignantibus, doctis ſalibus & ingenioſo ubique acumine conditos,nonnullis etiam piperato aceto tinctis abſolvitur.

Libri

Digitized by Google

Libri Quarti XXXIII illuſtrium virorum ac matronarum effigies vivo quaſi ſpiritu animant, memoriasque eorum, quos Muſa mori vetat, argutis ſed veris elogiis æternitati conſervant.

Sylvarum liber primus meditationes aliquot ſacro excuſſas calore multasque gratulationes de rebus publice privatimque bene geſtis, Epithalamia, Genethliaca, Soteria προσευτικὰ &c. complectitur, in quibus eloquentia poetica vires ſuas explicat, Muſæque, Venus ac Charites Dryadum Hamadryadumque in his ſylvis munere funguntur, decusque ſuum ac delicias oſtendunt.

Carminibus libro II Sylvarum contentis occaſionem Gallorum jactantia, fraudes, crudelitas, Divi Guilielmi Britanniæ Regis virtus & facta & tandem quædam literariæ rei dedecora ſemipoetaſtri barbari dedere: quorum omnium indolem ut vivis coloribus depingit, ita Muſas Latinas mordaciſſimis Jambis ultus, parum abeſt quin vacerram ὄνον αὐτολυρίζοντα miſere depexum ad inſaniam, imo ad reſtim, quam icone exſculptam ut præmium laudibus ipſius debitum ultro ſuppeditat, agat.

Brandenburgicorum liber gratulationes plurimas de rebus domi forisque pacis ac belli artibus feliciſſime geſtis & vota pro Sereniſſimæ domus Braudenburgicæ incolumitate ſuſcepta continet, in quibus omnibus pietas Poetæ cum rerum majeſtate, quam dictionis flore luculenter æquat, digna ornat, certare conſpirareque videtur.

Ultimus liber Carminum juvenilium eſt, in quo tamen præter titulum nil juvenile occurrit: maſcula omnia & autore ſuo digna, perfectumque Belgio Poetam ominata ſunt; prorſus ut de libro hoc juvenilium, eventu comprobante, Belgio dicere queamus, quod Broukhuſius primo hujus libri carmine de Derramontio ominatus fuit.

Hæc tuus, ecce, vovet primis Broukhuſius annis
Ominat & patriæ nil puerile puer.

Merito igitur de illo in Præfatione Hoogſtratanus: Non fefellit eruditos de Broukhuſio exſpectatio. Siquidem omnia artis poeticæ arcana exhauſiſſe, intimosque ejus receſſus penetraſſe, poſtquam corroboratus eſſet, certiſſimis indiciis cognoſce-

ſcebant, verumque de Broukhuſio intelligebant, quod de Martiale olim teſtatus erat Plinius Cœcilius, *fuiſſe nempe hominem ingenioſum, acutum, acrem & qui plurimum in ſcribendo & ſalis haberet & fellis, nec candoris minus.*

MEMOIRES DE MADAME DU N.

i. e.

HISTORIA ILLUSTRIS CUJUSDAM FEMINÆ, gente Gallæ, cognomine Noyeriæ, ab ipſa in lucem emiſſa.

Tomus I & II.

Coloniæ Ubiorum, apud P. Marteau, 1710, 12.

Alph. 1 plag. 12.

FEmina hæc, nobili inter Gallos loco nata, ac Nemauſo, non incelebri Occitaniæ Inferioris urbe, & Romanæ Antiquitatis reliquiis, Amphitheatro aliisque imprimis clara, oriunda, vitam atque acerbiora, quæ non in patria ſolum, ſed peregrinis etiam terris, in quas religionis cauſa ſe recepit, Batavia Angliaque, experta eſt fata, ſua manu conſcribere, & publicæ luci exponere, animum induxit, propterea quod variorum criminationibus atque calumniis præter meritum ſe obnoxiam eſſe perſpiceret pariter ac graviter ferret. Itaque in principio libri, quem Illuſtriſſimo S. R. I. *Comiti Donenſi*, Batavorum ductori agminum, ſacrum eſſe voluit, non vanitatis ſtudio, ſed ſolius veritatis, cujus exactam ubique habuerit rationem, amore ductam, animum ad ſcribendum ſeſe appuliſſe, perſancte obteſtatur. Quum autem vix operæ pretium ſit futurum, ſingula perſequi, memoratu tantum digniora, & pauciſſimis quidem, hic delibanda putamus. Noſtra ergo, Reformatis ſacris innutrita, propter hæc multa perpeſſa eſt, & ſemel iterumque ex patria profugiens, propoſiti conſtantiam confirmavit. Quum enim levis armaturæ milites, cum Diabolo, in Jobum, ſanctiſſimum virum, ſæviente, ab ea comparati, atrociſſimis ſubinde vexationibus

nibus, majore ex parte enumeratis, affligerent Nemauſenſes, Noſtra, adhuc virgo, capeſſendæ fugæ rationes iniit, atque in virilem figuram habitumque formata, Coloniam Allobrogum pervenit. Ibi a Gallorum vicinorum inſidiis ſe non ſatis tutam fore rata, per Helvetiam Germaniamque in Belgium Fœderatum profecta eſt, atque ex hoc denique in Angliam trajecit. In quo itinere, quæ ſingularia deprehendit, ſtudioſe annotavit, ac nominatim eximiam Helvetiorum in exules Gallos liberalitatem maximaque beneficia ſilentio minime prætermiſit. Londini vero omnia, quæ peregrinis oſtendi ſolent, curioſe obſervavit, ac ſpeciatim Regum Angliæ monimenta, Gallicorum Regum tumulos, in Fano Dionyſii conſpicuos, ſplendore ac pompa, ipſius judicio, longe multumque ſuperantia, utriusque Senatus Palatium, lapidem Jacobi Patriarchæ Bethelicum, cervicalis vice fungentem, vulgo creditum, Eduardi *Confeſſoris* gladium ejusdemque ſellam, locum mercatorum conventibus deſtinatum & Regum Reginarumque Angliæ ſtatuis exornatum, Coronam Angliæ, & ſecurim, qua Anna Bolena, Regina & Eliſabethæ mater, capite mulctata eſt, in munitiſſima Turri ſervatas, aliaque complura oculis uſurpavit. Præterea lectu jucunda ſunt, quæ de Anglorum moribus, vivendi comedendive ratione, cœna a Cromwelli Regicidæ temporibus non amplius parari ſolita, ſexu elegantiori, ob infelicis amoris impatientiam mortem ſibimet ipſi ſæpiſſime inferente, ſuppliciis ſumma cum alacritate in eo Regno perferri conſuetis, eloquentiæ, cujus in his præcipuus apud Anglos uſus eſt, ſtudio non vulgari, ſpectaculis gladiatoriis frequentiſſimis, memorabili Londinenſis Conſulis electione, promptiſſima denique Anglorum vitam amittendi voluntate, crudelitate, ac vehementiſſimo in Gallos, quos canes, *French Dogs*, appellent, odio literis conſignavit. Elapſis autem VI ſeptimanis, quibus Londini commorata eſt, cognatorum votis precibusque enixiſſimis gratificatura, in patriam rediit, ac præter ſpem novis majoribusque diſcriminibus ſacrorum cauſa ſe expoſitam eſſe animadvertit. Ac initio quidem adverſariis fortiter reſtitit, & cum Galliæ Proceribus pariter, ac ſacri ordinis viris, Romano Præſuli addictis, in certa-

T. I p. 138 ſqq.

p. 228 ſeqq.

p. 311 ſeqq.

p. 318 ſeqq.

370, ſeqq.

men deſcendit, atque pro Religione ſua ſtrenue propugnavit, ac celeberrimorum gentis ſuæ Virorum, religionis vinculo ſecum conjunctorum, Claudii & Jurieu, in Batavis degentium, opem
Tom. II per literas imploravit. Tandem vero in clauſtra detruſam &
p. 117 ſeqq. multis magnisque vexationibus æque ac pollicitationibus victam de conſtantia remiſiſſe, atque invitam maxime Romano
127 ſeqq. cœtui ſe junxiſſe, fatetur. Ipſe enim Rex de permutandis ſacris cum illa colloquutus eſt, & paterna bona, in fiſcum relata, ei non modo reſtituit, ſed & annua nongentarum librarum Francicarum, ſive CCC numorum uncialium, donatione auxit, atque, ut Noyerius, nobilis Gallus, aquarum nemorumque præfectus, eam in uxorem duceret, curavit. Verum enim vero poſtea admiſſorum conſcientia cruciata, de maturando ad Reformatorum caſtra reditu, atque iteranda fuga conſilium cepit. Itaque, inſcio marito, cum duabus filiabus Pariſiis profugit, ac rurſus Genevam ſe contulit, hincque per Helvetiorum terras iter fecit, & nave apud Huningam conſcenſa,
307. Rheno in Bataviam contendit. Roterodami Jurieum conve-
323, 340. nit, Hagamque Comitis delata, in fidem & clientelam præpotentium Belgii Ordinum ſeſe dedit, atque ab his certam pecuniæ
354, 404, ſeqq. ſummam pro ſuſtentanda vita accepit. Quum vero invidiæ & calumniis popularium ſuorum, in eodem exilio viventium, ſe expoſitam eſſe cerneret, in Angliam proficiſci, ibique afflictis rebus ſuis medicinam quærere, conſultum putavit. Quo cum
433. venit, Guilielmum III, glorioſiſſimæ memoriæ Regem & Anglicanæ libertatis vindicem invictiſſimum, fatis conceſſiſſe cognovit, ac magna de ſpe, quam in munificentia ejus collocaverat, ſe dejectam eſſe ſenſit. In hujus igitur morte acquievit, ac Tomo II Hiſtoriæ ſuæ finem impoſuit; nuper vero tres Tomos novos edidit, de quibus dicemus alio tempore.

MEMOIRES DE JEAN DE WIT, &c.
h. e.
COMMENTARII JO. WITTII DE HOLlandia ex lingua originali in Gallicam tranſlati.

Ratisbonæ, apud Eraſmum Kinkium, 1709, 12.
Conſt. plag. 16.

Li-

LIbrum hunc, jam olim A. 1662 ſub titulo *Intereſſe Hollandiæ* editum, Autor deinde multis locis auxit, correxit & non multo ante funeſtum obitum abſolvit. Poſtea ſub Guilielmo Auriaco, ultimo Belgii Fœderati Præſide, cujus rationibus inprimis adverſabatur, ſuppreſſum Anonymus noſter, a Filia illius acceptum, ex Belgico in Gallicum ſermonem transtulit, & annotatiunculis quibusdam illuſtravit. Propoſitum Autori eſt ea tradere ac edocere, quibus ſalus ac utilitas Reipublicæ Batavæ continetur, & cives ſuos a conſilio novi Præſidis eligendi revocare: quo ipſo tantum ſibi odium conflavit, ut ea non poſtrema miſerrimæ cædis ejus paulo poſt inſecutæ cauſa fuiſſe exiſtimetur. Parte I regionis Batavæ ſitum & incolarum conditionem ob oculos ponit, cumque his alendis terra patria non ſufficiat, inopiam hanc piſcatura, opificiis, navigatione & commerciis abunde ſublevari, eaque de cauſa horum incolumitati per pacem publicam, immunitatem & ſacrorum libertatem ſummo ſtudio conſulendum eſſe, oſtendit. Parte II monet, quomodo cives ſui erga exteros Reges ſe gerere debeant, cumque maximum commerciorum firmamentum in pace & tranquillitate conſiſtat, ullam cum aliis ſocietatem mutuæ defenſionis cauſa ineundam eſſe, negat, partim quia per hanc facile alienis bellis implicari poſſint, partim quia eorum auxilio non indigeant, neque commode eo uti poſſint. Monſtrat enim cap. 13 modum, quo Batavi cum ſolis Ultrajectinis conjuncti ſe contra potentiſſimum quemque Regem foſſarum & inundationum ope tueri poſſint. Parte III de forma interna Reipubl. patriæ ſollicitus eſt, & monarchicæ tanquam iniquiſſimæ & civibus perniocioſiſſimæ, quacunque etiam ratione temperetur, popularem omnibus modis præferendam eſſe, contendit. Unde cum de omnium, qui inde ab excuſſo jugo Hiſpaniæ Bataviæ præfuerunt, regimine ſatis libere judicaſſet, novi Præſidis electionem ſummopere diſſuadet, quæ tamen nihilominus proxime poſt mortem ejus facta eſt.

JOHANNIS HENRICI BOECLERI DISSERtationum Academicarum Tomus poſterior, exhibens eas, quæ nunquam antehac junctim ſunt editæ.

Argentorati, ſumptibus Jo. Reinoldi Dulſſeckeri, 1710, 4. Alph. 7.

CUm primum harum Diſſertationum Tomum recenſeremus, in Actis A. 1702 p. 125, alterius etiam ſpem facere Typographum, monuimus, quam nuper demum, cum alia interim prelum occuparent, implevit. Neque tamen hunc priori materiarum præſtantia cedere facile patebit, ſi vel titulorum tantum heic rationem habeamus. Prima Diſſertatio inſcribitur *Sacrum Romanum Imperium*, ubi appellationem illam pluribus tuetur adverſus Blondellum. In ſecunda ſub tit. *Conductor Carolinus*, ad A. B. Caput I usque ad §. 18. de Conductu & Conductoribus commentatur. In tertia *de Witekindo Magno*, in IV *de Theodorico Oſtragotho Italiæ Rege*, fuſiusque in V *de Carolo Magno* & in VI *de Rudolpho I Germaniæ Inſtauratore* agit. In ſeptima, quæ *Legislator Germanicus* inſcribitur, de poteſtate ferendi leges, legibus ipſis, earumque diſcrimine, tum & modo ferendarum legum, & prudentia legislatoria, habita ubique Germaniæ ratione, diſſerit. Porro in VIII *de lingua Celtica* & in IX *de lingua Novi Teſtamenti originali* non vulgaria tradit. Sequuntur X *in Muſas Herodoti Proœmium, ſive Hercules Muſagetes*, XI *in Bucolicon Virgilii quartum Diſſertatio*, XII *Philonis Joſephus*, XIII *Ageſilaus*, XIV *Epaminondas*, XV *Roma ſub ſeptem Regibus*, e Livio potiſſimum & Dionyſio Halicarnaſſeo repetita, XVI *Diſſertatio de Annona ſub Imperatoribus Romanis*, XVII *de Legione Romana*, XVIII *de factionum in Republ. Rom. cauſis*, XIX *Scipio Polybii* ex fragmento Peireſciano, XX *Ulpii Criniti, Nervæ Trajani, & Flavii Claudii vitæ comparatæ*; tum aliæ, in quibus eminent XXIII *Leges Ægyptiorum*, XXIV *Mæcenas ſive Conſiliator Regius*, XXV ΣΥΝΕΔΡΙΟΝ ΑΜΦΙΚΤΥΟΝΙΚΟΝ, XXVI *Cliens*, XXVII *Comitia Imperii, ſive Electio ſucceſſoris ad Tac. I Hiſt. 12 ſeqq.* XXVIII *de Principalium familiarum perpetuitate*, XXIX *Libertas Senatoria*, XXX ΔΟΚΙΜΑΣΙΑ ΑΤΤΙΚΗ, XXXI *Præſidia pacis*, XXXII *Clypeus Regius*, XXXIII *Conſideratio Mercaturæ politica*, XXXIV *Civitas Maritima*, XXXV *Argo nova*, in qua de navibus agit circumluſtrato orbe celebribus, XXXVI *Minos Maris dominus*, ubi de

de Imperio Maris ſingularia, XXXVII *ſacra Legationis*, XXXIIX *de orationibus Principum*, XXXIX *Themiſtocles* ſive idea magni civis, XL *comparatio inter Hippolytum Euripidis & Senecæ*, XLI *de Clarigatione & manifeſtis* ad T. Livii Hiſt. L. I Cap. 32, XLII *Hannonis Periplus*, XLIII *de fatis literariis noſtri temporis*, denique XLIV *Comparatio militiæ veteris & novæ*.

JOANNIS CHRISTOPHORI WOLFII, PROF. Witteberg. Hiſtoria Bogomilorum, qua potiſſimum ex Panoplia Dogmatica EUTHYMII ZIGABENI, ejusque Codice, Græce non edito, illorum hæreſis exponitur.

Vitembergæ, apud Chriſt. Theoph. Ludovicum, 1711, 4.
Plag. 18.

QUod deſideratum hucdum ab eruditis fuit, ut plenior exſtaret de Bogomilorum hereſi commentatio, id præſtare nunc conatus eſt doctiſſimus Autor, Collega noſter in primis aſſiduus atque indefeſſus, in tribus Diſſertationibus Academicis, quæ in unum corpus coaluerunt. Tractatio tribus continetur capitibus, quorum primum hiſtoriam h. e. originem, incrementa, fata item & interitum hereſeos tradit, alterum doctrinas, ſecundum ſeriem Locorum Theologicorum diſpoſitas, recenſet, tertium denique mores, qui vel ad Deum, vel ad proximum, vel ad ipſos Bogomilos referuntur, explicat. Præſidia potiora præter Scriptores Byzantinos, nominatimque Annam Comnenam & Zonaram ſuppeditavit Euthymii Zigabeni Panoplia Dogmatica, quæ ut in univerſum ipſius Imperatoris Alexii Comneni conſilio & nutu ſcripta fuit, ita ſingulare caput complectitur, quod res Bogomilorum non tralatitia opera proſequitur. Hic autem non ſola verſione Latina Zini, quæ ſeorſim exſtat, & in Patrum Bibliotheca Maxima legitur, uſus eſt Autor, ſed Codicem Græcum, auſpiciis Jo. Felli, Præſulis quondam Oxonienſis, ex antiquioribus membranis deſcriptum, & in bibliotheca Bodlejana aſſervatum, adhibuit, atque adeo totam illam operis Euthymiani partem Græce dedit, ejusque beneficio quibusdam

locis interpretationis Latinæ & lucem affudit, & integritatem
priſtinam reſtituit. Interdum enim Interpres non optimam
lectionem ſecutus videtur, interdum etiam quædam, ad ſenſus
integritatem pertinentia, omiſit. In ipſo opere id inprimis
egit Autor, ut Bogomilorum doctrinas & mores cum aliis he-
reticis ac Fanaticis potiſſimum, qui vel antiquiori vel recentio-
ri memoria Eccleſiam turbarunt, ſedulo compararet, oſtenſurus,
cauſam non eſſe, cur Gothofredus Arnoldus aliique opiniones,
Bogomilis tribui ſolitas, non tam ex vero, quam ex impotenti
abreptoque affectibus Græculorum animo illis imputari exiſti-
marent, cum alias non defuerint, qui eorundem errorum & in-
ſtitutorum patrocinium in ſe ſuſciperent. Atque hæc qui-
dem ad inſtitutum Autoris plenius cognoſcendum ſuffecerint.
Ut autem appareat, quomodo deſtinata exſequatur idem, pau-
ca quædam in rem præſentem ſunt afferenda. Diſſ. I de Bogo-
milorum nomine, origine & fatis eruendis laborat, & nomen
quidem ex Bulgarorum lingua, autore Euthymio, ceterisque in
univerſum omnibus conſentientibus, repetendum eſſe evincit,
ut Bogomili illi dicantur, qui *miſericordiam Dei implorent*. Ea-
p. 3. dem occaſione Gothofr. Arnoldus, ex parte diſſentiens, confu-
tatur, & diverſæ nomen hoc ſcribendi rationes examinantur.
4. Poſtea demonſtratur, nomen hoc non ab ipſis Bogomilis inven-
tum, ſed a puriori Eccleſia illis impoſitum fuiſſe, quæ aliis etiam
nominibus v. c. *Euchitarum*, *Enthuſiaſtarum*, *Encratitarum*,
Marcioniſtarum, *Mundaitarum* & *Maſſalianorum* hunc homi-
9. num cœtum inſignire conſueverit. Origo eorum duplex ſta-
tuitur, remotior altera, altera propinquior: reſpectu prioris a
Manichæis & Maſſalianis, reſpectu poſterioris a Baſilii cujus-
dam inventis & fraudibus derivatur. Conſenſio cum Maſſalia-
nis apparet, ſi doctrinæ Bogomilorum cum capitibus doctrinæ
Maſſalianorum, quæ in Damaſceni libro de Hereſibus, Tom. I
Monimentorum Eccl. Gr. Cotelerii exſtant, comparentur. Quod
12. ut eo rectius ab harum rerum ſtudioſo fieri poſſit, afferuntur
obiter varietates quædam lectionum ex Codice Barocciano col-
lectæ, & ad emendandum hoc antiquitatis monimentum non
11. parum facientes. Eadem opera monetur, commentationem
hanc

Digitized by Google

hanc de Maſſalianis Damaſceni non videri diverſam ab illa, quæ
in his Actis 1696 p. 299 luce digna judicatur. In ſequentibus
tota Bogomilorum hiſtoria inde a primis originibus usque ad
interitum deducitur ex Annæ Comnenæ libris Alexiados, in qui- p. 19.
bus cum p. 487 editionis Poſſinianæ locus quidam minus emen-
date legatur, integritati ille ſuæ vindicatur, adhibita in ſubſidium
Leonis Allatii lectione, quæ in lib. de Orient. & Occid. Eccl.
Conſenſ. p. 639 occurrit. Pro eo enim quod Poſſinus legit:
Βασίλεως γάρ τις Μοναχὸς ὠδύνων, Allatius autem *Βασίλεως
γάρ τις Μοναχὸς ἀσέβειαν*, Autor utraque lectione conjuncta
arbitratur legendum eſſe: *Βασίλεως γάρ τις Μοναχὸς ὠδί-
νων ἀσέβειαν*. Sic alibi quoque lux affunditur Annæ locis, 28
quando oſtenditur, quid per *Ναζιραίους* itemque per *μελῳδὸν* in-
telligendum veniat. Diſſert. II ad doctrinas Bogomilorum 41.
conſiderandas accedit, ac primo quidem loco occurrit objectio-
ni Arnoldi ac Fr. Spanhemii, qui Euthymii fidem ſuſpectam
reddere allaborarunt. In reſponſione affertur locus Euthymii 42.
Græcus ex præfatione ad Panopliam, quo teſtatur, ſe ipſius Im-
peratoris juſſu permotum eſſe ad opus hoc conſcribendum. His
confectis, ipſæ Bogomilorum doctrinæ ordine exponuntur, fa-
cto initio a Scriptura Sacra librisque V. T. ex quibus libros Mo-
ſis, inprimis ob Decalogum, quem Malo Principio adſcribe-
bant, eos rejeciſſe & averſatos fuiſſe conſtat, ut proinde memo-
riæ vitio Spanhemius p. 1601 Hiſt. Eccleſ. Decalogum eos ad- 49.
miſiſſe pronunciarit, qui procul dubio Pſalterii facere mentio-
nem voluit. Inſtituitur in hoc momento comparatio cum
Manichæis idem aſſeverantibus, ut ex libris Photii MSS. contra
Manichæos, qui in Bibliothecam Joanneam Hamburgenſem
ex Lucæ Holſteinii legato tranſierunt, affertur hanc in rem te-
ſtimonium, quod ſubinde in hac tractatione fieri meminimus.
Specimina quædam allegoricarum interpretationum Scripturæ,
quibus multum indulſerunt poſt alios Bogomili, afferuntur p.
52 ſeq. Quomodo iidem Deum *ἀνθρωποειδῆ* & ſimul *ἀσώματον* 55.
animo conceperint, & quam prope a Gentilibus quibusdam ac
antiquioris Eccleſiæ hereticis abſint, oſtenditur §. VI ſeq. Quid
de Trinitate SS. de Incarnatione Chriſti Servatoris, cui veram
car-

Digitized by Google

carnem abjudicarunt, de Spiritu S. de creatione, de natura hominis, de lapſu, de malis Angelis, de regeneratione, Sacramentis, ac ſpeciatim Baptiſmo & S. Cœna, juſtificatione item, Lege & Evangelio, renovatione, matrimonio, reſurrectione & miniſterio Eccleſiaſt. ſenſerint, ordine ex ſequentibus ſectionibus conſtare poteſt. Sic diſſertatio III tandem ſubjicitur de *Moribus* Bogomilorum, ibique in cultu Dei interno hypocryſis, in externo *Templorum* averſatio, contemtio *crucis*, *jejunii precumque* ſtudium ſingulare, cultus *Imaginum* reprehenſus, *Codicis Evangeliorum* veneratio, ritus in *Baptiſmo* novi, abſtinentia a carnibus commemorantur. Adverſus alios arrogantiam probarunt, ſpeciem pietatis affectarunt, contemtionem literarum præ ſe tulerunt, inprimis autem calliditatis ſpecimen arcani diſciplina cum cura obſervata, feminisque in errorum ſocietatem pertractis, ediderunt. Denique cum externus tum internus voluntatis habitus diſceſſionem eorum a genuinis Chriſtianorum moribus probat. Ceterum monemus, Noſtrum eodem fere tempore Libanii Epiſtolarum ineditarum Centuriam cum verſione & notis edidiſſe, de qua proxime dicemus.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII SCHEdiaſma de ſale volatili oleoſo.

Jenæ, ſumptibus Joh. Felicis Bielkii, 1711, 4.

Conſtat plag. 8.

EX quo Clariſſimus Wedelius in Illuſtrem Societatem Regiam Pruſſicam Scientiarum ſuaſu Illuſtris Godofredi Guilielmi Leibnitii cooptatus fuit, Schediaſma hoc ſpeciminis loco exarare, & Illuſtri illius Nomini dedicare & inſcribere conſultum duxit. Quemadmodum autem primarias & ſummas Medicas ſectas duas eſſe, empiricam & dogmaticam, in propatulo eſt; ita ejuſdem commatis eſſe ſtatuendam Chimiam, eandemque ſub empiriæ & rationis ſpecialis dogmate militare, & vel ſic optime quoque concipi poſſe exiſtimat Wedelius. Prior enim & hic fuit experientia, empiriæ rudiori innixa; huic Chimia rationalis, ſeu ratio experimentorum ſubjuncta fuit, gemi-

na

na face luculenter accenſa. Cujus in exempli vicem ſummatim impræſentiarum luſtrat Autor Sal volatile oleoſum, magni nominis terminum, & non minoris medicamentum. Ante omnia itaque in fundamenta & naturam ejus inquirit, & poſtquam probata illius exiſtentia, ſal hoc ſolubile, idque alcalinum continere, & æthereum, deſtillabile, ſapidum, atque odoratum eſſe, pluribus demonſtraverat, per medicamentum e principiis activis, ſpecifice ſelectum, aromaticum, ſubtile, penetrans, ad juvandum & ad motum citandum Archeum definit. Atque hæc definitio cum omni ſali volatili oleoſo competat, etiam nativo, & in concreto ſpectato, artefactum ſpiritum vinoſum, urinoſum, aromaticum, volatilem, artificioſe prolectum, mixtum & varie combinatum, pro uſu ingredientium conformi multiplici nuncupat. Quemadmodum autem ſal volatile oleoſum aliud ſimplex ſeu incompletum eſt, ut ſpiritus vini, olea deſtillata ætherea, & ſpiritus urinoſi, aliud compoſitum, ſeu completum; ità hujus primus Inventor ac Autor merito Franciſcus dele Boe Sylvius, Germanus, in Academia Lugdunenſi quondam Profeſſor & Medicus famigeratiſſimus, celebratur, qui quidem ſibi ſuisque hæredibus hoc velut arcanum reſervavit; ex quo curioſe inveſtigari cœptum eſt id ipſum, ut, ſi non idem, ſimile tamen ſatis ſuperque hodie pateat. Cum enim ratum hoc ſit, tria eſſe eſſentialia & præcipua ejus ingredientia, 1) ſpiritum ſalis ammoniaci urinoſum, 2) oleum, vel oleoſum aromaticum, & 3) ſpiritum vini, utraque illa ſibi concorparata & unita habentem; facile patet, eſſe hunc ſpiritum compoſitum, & optimo jure hoc nomen ſibi vendicare poſſe plures diverſiſſimas quoad variationem compoſitiones, & proceſſus, his ingredientibus gaudentes, ceteroquin in radice & viribus generalibus convenientes. Et hinc quoque nomen non unum, ſed ſynonyma plura exorta ſunt: ſic audit ſpiritus ſalis ammoniaci aromaticus; vel denominari etiam cœpit partim a diverſis ingredientibus, ſal volatile oleoſum maceris, caryophyllorum, cinamomi, cardamomi &c. partim a viribus, ſal volatile cephalicum, cordiale, ſtomachale, uterinum, &c. Vario autem illud modo paratur. Primum enim fit per de-

Cap. I.

II.

ſtillationem ſimultaneam ſeu conjunctam; imprimis ſi confieri placeat ex ipſis aromatibus ſelectioribus. Ubi monet Cl. Wedelius, ſpiritum vini rectificatum ad hoc opus recipi debere, ne ex vulgaris & ſpiritus ſalis ammoniaci miſtione coagulatio vel concretio in offam albam ſequatur, vel ſal ammoniacum volatile in forma ſicca evehatur, & lateribus alembici & recipientis adhæreat. Dein alius modus eſt, isque facillimus, optimus atque extemporaneus, quo olea aromatum, unum vel plura, miſcentur & ſolvuntur cum ſpiritu ſalis ammoniaci dulci ſeu vinoſo. Quæ enchireſis inſimul patefacit fraudes fallacium Operatorum, qui oleum aniſi e. g. alieno oleo, ut amygdalarum dulcium, been, aliive admiſtum pro vero vendunt; peregrina enim hæc olea in hac miſtione ſtatim ad fundum deturbantur. Hic tertius modus adjungi poteſt, isque mixtus, quando ſcilicet loco ſpiritus vini ſimplicis recipimus vel compoſitum, vel cum eo paratas eſſentias aromaticas, vel elixiria, & mixturas alias, jungendo hinc eidem olea itidem aromatum, & ſpiritum ſalis ammoniaci urinoſum, etiam non-vinoſum, vel

Cap. III. utrumque quoque. Quod vires concernit ſalis *volatilis* oleoſi, inter calefacientia remedia non infimum illud obtinet locum; motum enim ſpirituum, humorum & fibrarum motricium egregie promovet. Hinc vires ejus ſunt cephalicæ, cordiales, ſtomachicæ, hyſtericæ, & omnibus affectibus frigidis medetur. Fermentationes ſiſtit, adeoque ipſis febribus vel per ſe vel cum aliis febrifugis commode opponitur; quemadmodum Autor in quartana ſal volatile oleoſum ex olei caryophyllorum aromaticorum & piperis ana gutt. IV. ſpiritus ſalis Ammoniaci dulcis gutt. XX. & camphoræ gr. iij. paratum, & ante paroxyſmum propinatum, utile deprehendit. Uſus ejus non ſolum internus, ſed & externus eſt, odoratu excepti, vel in os infuſi, vel bregmati, temporibus, pone aures, carpis manuum, plantis pedum illiniti. Sic Syncope hyſterica correptam, aliis fruſtra jam adhibitis, mediante Cornu Cervi, ſale volatili plurimo fœto, cum ſpiritu ſalis Ammoniaci & Eſſentia aſæ fœtidæ remixto, loco peſſi adhibito excitaſſe ſe reminiſcitur Wedelius. Inter Cautelas monet porro, propter nimiam volatilitatem *probe*

illud

illud in vaſis maxime vitreis, minus poroſis ſervandum eſſe, ne abripiatur tam prompte ab æthere deprædante & ſuffurante quaſi ac diſſipante. Non tamen Autor eſt, ut ſub ipſo paſtu doſis ejus aſſumatur, ne chylificationis opus præcipitetur, quod placide fieri debebat. Abſtinendum etiam ab ejus uſu monet, ubi ſpiritus coerceri amant, & refrænari, ut in hæmorrhagiis nimiis, ſudoribus hecticis, &c. quod etiam in febribus continuis & hecticis ipſis tenendum, niſi oleoſitate valde acciſa & retuſa, ſaltem non aromatica. Coronidis loco opium examinat, quod eminens ſal volatile & oleoſum volatile continere negat; tribuit vero ipſi inſtar reliquorum amarorum ſal fixum, conjunctum cum volatili; vim vero, quam exerit, ſulphuri, eique viſcido, indigeſto, impuro, reſpectu noſtri corporis, ſpirituum, humorumque vitalium deberi adſtruit. Cap. IV.

G. C. S. AD VIRUM PLURIMUM REVERENdum Eruditiſſimumque, Dn. J. L. H. SS. Th. D. Epiſtola de Congreſſu Theologico-Academico, Fuldæ inſtituto.

Suinfurti, 1711, 4.

Plag. $2\frac{1}{2}$.

PErtinet omnino ad ſæculi præſentis felicitatem, quod Hiſtoriæ omnis ævi ſtudium ſingulari induſtria cœpit excoli. Nam quantum ea res attulerit hactenus commodi, dici ſane non poteſt. Quippe dum illa dexter velut eſt oculus omnis eruditionis, intellexere tandem prudentes, id eſſe operæ dandum, ut oſtenderetur rerum & in Republica civili, & in domo Dei, quam Eccleſiam appellamus, geſtarum veritas, ejectis fallaciarum & fabularum ineptientium nugamentis. Neque parum in hanc rem contulit noſtra Germania, quanquam & aliis extra eam regionibus Europæ ſua laus debeatur ex merito. Sic tamen ut miſereri queas eorum calamitati, qui Hiſtoriæ ſtudium vel adhuc vili habent in pretio, vel onerant ſuſpicione, vel hoc & iſto nomine diſſuadent. Tanto magis gratulandum eſſe arbitramur urbi *Fuldæ*, quæ veterem ornat Buchoniam, ſedes cele-

berrima Reverendiſſimi ac Celſiſſimi Principis Abbatis, nunc quidem Dn. ADALBERTI, in qua, cum initiis hujus anni, inſtituti ſunt Congreſſus Eruditorum aliquot Virorum, quos ipſi, ex conſvetudine gentis Italæ Gallicæque, *Academiam Hiſtorico-Theologico-Eccleſiaſticam* appellarunt. Nolumus diſſimulare, rarioris hanc rem in Germania eſſe exempli, & tanto majoris quidem æſtimandi, quod pro ſcopo habet, non tricas obſcurarum opinionum, ſed alia, præter inveſtigationem quoque veritatis hiſtoricæ, & ejus culturam. Neque dubitamus fore, ut alii etiam patiantur ſe excitari ad æmulationem honeſtam, multum certe utilitatis olim allaturam, ſi quidem velint rem iſtam, ut difficilem quidem, ita pulcerrimam tamen *ſerio* aggredi & *ſine præjudiciis*. Ut autem ratio conſtare poſſet hujus Academiæ ſeu Societatis Fuldenſis eruditæ, eam perſcripſit Nobiliſſimus doctiſſimusque Epiſtolæ hujus Autor, *Georgius Conradus Sieglerus*, PRINCIPIS-ABBATIS Secretarius Status & Archivi Cuſtos, ad Plurimum Reverendum *Joh. Ludovicum Helbigium*, Decanum & Parochum Eccleſiæ Kiſſingenſis in Franconia. In hac igitur Epiſtola continetur Diſſertatio Viri Maxime Reverendi, *Joachimi Hahnii*, SS. Theol. Doct. & Celſiſſimi ABBATIS Conſiliarii intimi, Vicariique in ſpiritualibus, qua ipſe, tanquam *Præſes* & autor ſuaſorque totius inſtituti, pro ingenti ſuo in bonas utilesque litteras ſtudio, *Academiam* inauguravit, verba faciens admodum erudite, de variis in ſcientia proficiendi modis, quos inter ſapientiſſime refert illos potiſſimum, qui in Congreſſibus eruditorum ſponte ſemet offerunt, facto ſic ad præſens propoſitum tranſitu. Altera, quæ ſubjungitur huic Diſſertatio, exponit tum argumentum tractationum futurarum, tum finem, quem ſibi hæc Societas Fuldenſis ſtatuit ante oculos. Quippe cum illa, ex addita *definitione*, debeat eſſe Virorum Eccleſiaſticorum conſeſſus ad tempus, in exquirendis per annales Eccleſiaſticos rerum cum laude geſtarum exemplis, in examinandis & contra adverſarios muniendis religionis fundamentis, in ſtatuendis veris ac ſanis morum regulis, in perdiſcendis, quæ nos Deo conjungit, ſecretioris Theologiæ præceptis, utiliter collocandum deſtinatus; hinc nomen

tra-

Digitized by Google

traxit *Academiæ Hiſtorico-Theologico-Eccleſiaſticæ*; in qua omnium Sociorum velut Symbolum eſt, *docere ac diſcere*. Utque ordo eſſet certus iſtorum conventuum, has obſervari Leges commemorat Auctor; ut I Solemnia Patronorum hujus Societatis,qui ex more recepto electi fuerunt, SS. *Bonifacii*, *Philippi Nerii*, & *Caroli Borromai*, carminibus & oratione celebrentur. II ut præſcriptæ orationes ſeu precationes principium ſint & finis ſingulorum conventuum. III ut quatuor Academici ſingulis ſeptimanis diſſerant; primus quidem ex *Hiſtoria Eccleſiaſtica*; ſecundus ex *Theologia dogmatica*; tertius ex *Theologia morali*; & quartus,Germanico idiomate,ex *myſtica Theologia*. IV Hiſtoria Eccleſiaſtica ita tractetur,ut *primo*, totius alicujus ſeculi conſpectus in ſuccincto ſchemate objiciatur oculis, enarrando Pontifices,Viros Apoſtolicos,Concilia,monimenta ſcripta,Hereſiarchas; *ſucceſſu* autem *temporis*, quæ circa ſingula Critici obſervarunt, exponantur. V in dogmatibus explicandis Seculorum ordo obſervetur. VI Theologiæ moralis partes ac materiæ ſingulares,quantum fieri poteſt, ad ſua principia cauſasque revocentur. Ac VII ex aſceticis ea peculiariter ſeligantur,quæ verum Eccleſiaſticum informent. Tandem vero, ut omnia hæc peragantur modeſte,cum decore, ac mente non obliqua,prudens ſit admonitio.

NOVA LITERARIA.

IN Eccleſia Anglicana Viri docti Guil. Whiſtoni, Mathematum in Academia Cantabrigienſi olim Profeſſoris,Neo-Arianas controverſias dudum non parum turbarum dediſſe, notius eſt, quam ut id monere oporteat. In illis vero poſt editos Sermones,de quibus in Actis Suppl.T.IV.p.369 dictum eſt,publiceq; ad calcem illorum exploſam Patris & Filii & Spiritus S. tanquam unius Dei Doxologiam, quomodo verſatus ſit, paucis enarrabimus. Nempe ut viam muniret Conſtitutionum Apoſtolicarum in Canonem Sacrum receptioni, ſub initia anni 1710 Ignatii Epiſtolas,quas hactenus pro interpolatis habuere Eruditi,genuinas eſſe contendit,edito exiguo Tractatu ſub titulo: *Eſſay upon the Epiſtles of Ignatius*. Cui Tractatui ſubjuncto, quod vocant,Poſtſcripto notam Hereſeos abſtergere conatus eſt, inu-

ſtam ipſi a D. Sacheverello publice in notiſſima illa Defenſione ſua coram ſummo Regni Senatu, defendens allegatam ibi odioſe Cenſuram Doxologiæ Spiritus S. totumque eruditum Orbem cum D. Sacheverello ad probandam vel unico teſtimonio Scripturæ vel primitivi III Seculorum Patris phraſin, qua Pater, Filius & Spiritus S. conjunctim unus Deus vel unus ille ſupremus Deus dicuntur, publice provocans. Cum nihil hæc provocatio totusve Tractatus in Anglia ferret reſponſi, ipſe menſe Junio natum ſibi infantem, ut doceret, quam venerabunda mente agnoſceret autoritatem Conſtitutionum Apoſtolicarum, nova Liturgia ex illarum verbis compoſita, *immerſum aquæ* baptizat, & paulo poſt menſe Auguſto novæ Pſalmorum verſibus Anglicis expreſſorum Editioni, in Scholarum Cantabrigienſium uſum factæ, compoſitas a ſe novas Doxologiæ Patri per Filium in Spiritu S. præſtandæ formulas, rejectis alteris, quæ receptæ hactenus fuere, inſerere laborat. Quod cum per Collegarum ſtudia redderetur irritum, non deterritus ille publice Ideam totius Operis ſui, quod inſcribet: *Primitive Chriſtianity revived,* i. e. *Primitivus Chriſtianismus reſuſcitatus*, ſcheda impreſſa, ut ſolenne eſt, *Propoſals* vocant, cum Orbe erudito communicat, ac ubique diſpergit. Spondet vero in Opere iſto IV Voluminibus conſtituto I *Epiſtolas Ignatii*, Græce Angliceque, ex utraque cum breviori tum ampliori Editione, addito ampliori de iis Tractatu (*Eſſay*) quo breviores & epitomen a Marcello Heretico ex amplioribus factam eſſe monſtrabit. II *Conſtitutiones Apoſtolicas*, textu Græco cum MSS. Vindobonenſibus collato, additaque verſione Anglica, & appendicis loco alterius Libri Canonici N. T. hactenus ignorati, διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων, ex Arabico Codice Bodlejanæ Bibliothecæ verſione Anglica. III *Tractatum de Conſtitutionibus ipſis*, probaturum clariſſime, hos Libros (verba ipſius ſchedæ ſunt,) eſſe ipſam ſacratiſſimam partem (*the moſt ſacred Part*) Scripturarum Canonicarum N. T. addita corollarii vice verſione Anglica exemplaris Arabici MSC. Libri II Esdræ Apocryphi. IV *Hypotypoſin Fidei primitivæ* de Trinitate & Incarnatione (*Account of the primitive Faith*) conceptam ipſis verbis ſacrorum & antiquiſſimorum

ſcri-

ſcriptorum. V *Præfationem Hiſtoricam* ad ſui excuſationem, Orbis Chriſtiani informationem ſpectantem. Hæc publice in Academia Cantabrigienſi ab initiis inde Octobris diſperſa, cum aliis, quæ partim antea Sermonibus Sacris, partim recentiſſime privatis colloquiis ſparſerat, eo rem perduxere, ut citatus coramque Senatu Academico aliquoties de objectis criminibus rogatus, cum revocare, quæ exprobrabantur, detrectaret, d. 30 Octobris Academia expelleretur. Ipſe proinde Londinum concedens, Hiſtoricam Præfationem, quam modo memoravimus, paulo poſt publicare, appendicemque, qua expulſionem ſuam ex Academia Cantabrigienſi enarrat, adjungere. Quo ſcripto ſæpius provocati Eruditi cum nihil tamen reſponderent, tandem Michael Maittaire ſcripto ſatis acerbo ſed & valde tumultuario contra ipſum prorupit, & Dedicatione facta ad Synodum Eccleſiæ Anglicanæ, *Convocationem* appellant, ſimul cum Parliamento congregatam, rem detulit. Quæ Synodus etiam, cum juſſa eſſet a Regina ſynopſin cauſarum gliſcentis in Anglia Atheiſmi & Socinianiſmi ſcripto Reginæ exhibere, Whiſtonianarum innovationum mentionem diſertis verbis fecit. Interea dum ambigitur in Synodo, qua potiſſimum ratione iſtud ſcandalum Eccleſiæ debeat compeſci, dumque Mich. Maittaire publice Libello ſupplici (*Addreſs*) apud inferius, quod vocant, Parliamenti Concilium eandem rem defert, Petrus Allix exiguo Tractatu ſub titulo: *Remarks on ſome places of Mr. Whiſton's Books*, Whiſtonum impugnat. Cui tamen Whiſtonus paulo poſt altero Libello: *A Reply to Dr. Allix's Remarks*, reſpondit, additis Appendicis loco Præfatione τῆς διδαχῆς τῶν Ἀποςόλων, Propoſitionibus antiquam Fidem de Trinitate & Incarnatione continentibus, & Epiſtola ad Archi-Epiſcopum Cantuarienſem a ſe conſcripta. Atque in eo quidem ſubſtitit controverſia, nec decretum, quantum ſciamus, adhuc quicquam eſt a Synodo, niſi forte, ut denominaretur, qui publico eoque elaborato ſcripto errores Whiſtoni confutaret. Rem vero iſtam a Reverend. Archi-Epiſcopo Eboracenſi Cl. D. Grabio demandatam, cumque jam ab eo inde tempore in recte conſtituenda & adverſus Whiſtonum probanda Conſtitutionum Apoſtoli-

licarum & prolixiorum Ignatii Epiſtolarum νοθείᾳ occupatum eſſe, compertum habemus: imo dum hæc ſcribimus, per recentiſſimas Literas docemur, cum jam ſpecimen edidiſſe iſtorum laborum ſub titulo: *An Eſſay upon two Arabick MSS.* h. e. *Tentamen de duobus MSS. Arabicis, & antiquo illo libro, qui dicitur* Διδαχὴ τῶν Αποςόλων, *qui creditur in illis exhiberi: in quo V. Cl. Guil. Whiſtoni Errores circa utrumque clariſſime probantur, per Joh. Ern. Grabium.* Librum hunc, ad nos nondum delatum, eo applauſu fuiſſe in Anglia acceptum ferunt, ut jam de ſecunda Editione Typographus cogitare dicatur.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

ANonymi (*M. D. L. R.*) *Reſponſio ad Admonitionem ad Exules de propinquo ipſorum reditu in Galliam.* 44

Commentationes in Declarationem Academiæ Helmſtadienſi tributam de mutata religione Reginæ Hiſpaniæ. 156

Acta cauſæ rituum Chinenſium. 234

Obſervationes circa expoſitionem rituum Chinenſium factam S. Congregationi. 235

Abichtii (*Jo. Georgii*) *ars diſtincte legendi & interpretandi Scripturam V. T.* 169

Adami (*Cornelii*) *Obſervationes Theologico-Philologicæ.* 196

Andalæ (*Ruardi*) *Syntagma Theologico-Phyſico-Metaphyſicum.* 121

Baltus, *e Soc. Jeſu, Defenſio Patrum Eccleſiæ ab accuſatione Platoniſmi.* 250

Blumbergii (*Chriſtiani Gotthülf*) *Veritas myſterii tiaræ Rom. Pontificis vindicata.* 279

Blu-

Blumii (*Jo. Chriſtiani*) *Animadverſionum Sacrarum ad commata quædam Fœderis antiqui ſelecta Pentas prima.* 331
Bohlii (*Sam.*) *Analyſis & Exegeſis Prophetæ Zachariæ a Cap. I ad VIII.* 412
Borlandus *vide* Della Lega.
Boſſueti (*Jac. Benigni*) *Doctrina Politica ex S. Scriptura ducta.* 99
Buddei (*Jo. Franc.*) *Inſtitutiones Theologiæ Moralis.* 358
De Bukentop (*Henrici*) *Lux de Luce. Libri tres.* 191
Burgos (*Fr. Alexandri*) *de uſu & neceſſitate eloquentiæ in rebus ſacris tractandis Diſſertatio.* 83
Cæcili (*Lucii*) *Liber ad Donatum de Mortibus Perſecutorum.* 469
Deylingii (*Salomonis*) *Obſervationum Sacrarum Pars II.* 405
Dinant (*Petri*) *Dignitas Verbi Divini.* 69
Dupin (*Lud. Ellies*) *Scriptorum Eccleſiaſticorum Tomus XV.* 126
Eleutherii (*Theodori*) *ad F. Norbertum d' Elbecque Epiſtola reſponſoria curioſa.* 333
Elſtob (*Eliſabethæ*) *Homilia Anglo-Saxonica Anglice converſa.* 510
Ens (*Johannis*) *Bibliotheca Sacra.* 350
Eskuche (*Joannis*) *Miſcellanea Sacra.* 512
Diſſertatio de veritate reſurrectionis Jeſu Chriſti propriis ſuis viribus. 512
Gennadii *Homiliæ de Sacramento Euchariſtiæ.* 532
Grapii (*Zachariæ*) *Analyſis & Exegeſis Prophetæ Zachariæ a Cap. VIII ad finem.* 412
Gurtleri (*Nicolai*) *Diſſertationes de Jeſu Chriſto in gloriam evecto &c.* 445
Hamer (*Petri*) *Status Eccleſiaſticus & politicus e vaticinio Jeſaiæ de Duma oſtenſus.* 158
S. Hieronymi *in Jobum Commentarii inediti ſpecimen.* 269, 270, 513
Van Hœke (*Petri*) *Lucubrationes in Catechiſmum Palatinum.* 441
Ittigii (*Thomæ*) *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Secundi a C. N. ſæculi ſelecta capita.* 302
Schediaſma de Autoribus, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis egerunt. 509

Lactantius *vide* Cœcilius.
Della Lega (*Matthæi Borlandi*) *Novum Fœdus ex Græco Italice fideliter converſum.* 348
Leibnitii (*God. Guilielmi*) *Tentamen Theodiceæ circa bonitatem Dei, libertatem hominis & originem mali.* 110, 159
Ludovici (*Chriſtiani*) *Auctarium & Annotationes ad Th. Ittigii Schediaſma de Autoribus, qui de Scriptoribus Eccl. egerunt.* 509
Lupi (*Servati*) *Opera.* 205
Marckii (*Johannis*) *Scripturariæ Exercitationes ad XXV ſelecta loca Novi Teſtamenti.* 61
Oratio in obitum Hermanni Witſii. 68
Martianæl (*Joannis*) *Tentamen Verſionis, ſive Animadverſiones in verſiones Gallicas N. T.* 449
Mauritii (*Johannis*) *Idololatria Jeſuitarum in Regno Chinæ.* 281
Olearii (*Jo. Gottfridi*) *Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum. Tomi II.* 419
Perizonii (*Gerhardi*) *plenaria fidejuſſio Filii Dei defenſa.* 198
Ravizza (*Jac. Phil.*) *Novum Fœdus ex Græco fideliter Italice converſum.* 348
Renaudot (*Euſebii*) *Opuſcula Græcorum varia de Sacramento Euchariſtiæ.* 532
De Sainjore *Bibliotheca Critica. Tomus III & IV.* 355
Schvvarz (*Jo. Conradi*) *de Mohammedi furto ſententiarum Scripturæ S. Liber unus.* 329
Seligmanni (*Gottlob Friderici*) *Exercitationes Academicæ Hiſtorico-Philoſophico-Theologicæ.* 73
Siberi (*Urbani Godofredi*) *Diſſertatio de Collaribus Clericorum tubulatis & planis.* 185
Siegleri (*Georgii Conradi*) *Epiſtola de congreſſu Theologico-Academico, Fuldæ inſtituto.* 555
Simon (*Richardus*) *vide De* Sainjore.
Stredovvsky (*Jo. Georgii*) *Sacra Moraviæ Hiſtoria.* 199
Tommaſi (*Joſ. Mariæ*) *Inſtitutiones Theologicæ antiquorum Patrum. Tomus II.* 536

Vavaſſo-

Vavaſſoris (*Franciſci*) *Opera omnia, Theologica & Philologica.* 481
Ubink (*Theodori*) *Nativitas & educatio Jeſu explicata.* 451
Uhſei (*Erdmanni*) *Hiſtoria Eccleſiaſtica Seculi a N.C. XVI & XVII.* 44
Whitby (*Danielis*) *Examen variantium Lectionum Jo. Millii in Novum Teſtamentum.* 95
Wolfii (*Jo. Chriſtophori*) *Hiſtoria Bogomilorum.* 549

II. Libri Juridici.

ANonymi *Dominium temporale Sedis Apoſtolicæ in civitatem Comaclenſem.* 224
D'Antoine (*J. B.*) *Regula Juris Civilis cum explicatione & Commentario.* 260
Bœhmeri (*Juſti Henningi*) *Diſſertationes Juris Eccleſiaſtici antiqui ad Plinium Secundum & Tertullianum.* 174
Delineatio Doctrinarum de Actionibus, gradibus matrimonialibus & ſucceſſione ab inteſtato. 456
Hugonis (*Ludolphi*) *Jurisprudentia particularis Germanica.* 415
Conſultatio de abuſu Appellationum tollendo. 415
Lauterbachs (*W. A.*) *Collegii Theoretico-Practici Pars tertia.* 309
Plathner (*Chr. Frid.*) *Centuria prima Quæſtionum Juridico-Politicarum.* 520
Strykii (*Samuelis*) *Elogium.* 139
E Wæchtleri (*Chriſtfridi*) *Literis excerpta de Henrici Brenkmanni Alfeno Varo.* 21
de Hombergiana Novellarum editione. 264

III. Libri Medici & Phyſici.

ANonymi *Pharmacopœia Auguſtana renovata.* 314
Defenſio virium in corporibus exiſtentium contra nuperas objectiones. 400
Andalæ (*Ruardi*) *Syntagma Theologico-Phyſico-Metaphyſicum.* 121

Behrens (*Conradi Bartholdi*) *Selecta Diatetica.* 76
Bœrhave (*Hermanni*) *Index Plantarum Horti Academici Lugduno-Batavi.* 467
Buttneri (*Dav. Sig.*) *Rudera diluvii teſtes.* 222
Dionis *Diſſertatio de Morte ſubitanea.* 426
Guilielmini (*Dominici*) *Elogium.* 47
Hamilton (*Davidis*) *Tract. de Praxeos regulis.* 78
de Febre miliari. 78
Hartſœker (*Nicolai*) *Evolutio Conjecturarum Phyſicarum.* 320
Jacobæi (*Oligeri*) *Muſæum Regium Danicum.* 287
Kunſtel (*Jo. Wolffgangi*) *Diſſertatio de Salibus Metallorum.* 214
Lauerentzen (*Johannis*) *Muſæum Regium Danicum Oligeri Jacobæi, Commentariis illuſtratum.* 287
Liebknecht (*Jo. Georgii*) *Lucula borealis d. 26 Nov. 1710 Gieſſæ obſervatæ Deſignatio.* 325
Liſter (*Martini*) *Diſſertatio de Humoribus.* 216
Miſcellanea Berolinenſia &c. 1
Muys (*Wyeri Guilielmi*) *Elementa Phyſices methodo Mathematica demonſtrata.* 390
Diſſertatio de cauſa ſoliditatis corporum. 390
de reſiſtentia fluidorum. 390
Noel (*Franciſci*) *Obſervationes Mathematicæ & Phyſicæ in India & China factæ.* 383
Placentini (*Jacobi*) *de Barometro Diſſertationes duæ.* 495
Poleni (*Johannis*) *Miſcellanea.* 79
Raji (*Johannis*) *Hiſtoria inſectorum.* 212
Ramazzini (*Bernhardi*) *Ephemerides Barometricæ.* 10
Controverſia cum G. Schelhammero. ib.
Commentatio de Principum Valetudine tuenda. 462
Regii (*Joannis*) *Elementa Scientiæ Naturalis.* 486
De la Roche *Phænomenon Diabetes antea non obſervatum.* 12
Schelhammeri (*Guntheri*) *Controverſia cum Bernhardo Ramazzini.* 10
Valentini (*Mich. Bernhardi*) *Praxis Medicinæ infallibilis.* 482

Valentini

Valentini (*Mich. Bernhardi*) *Noſocomium Academicum.* 482
Diſpenſatorium domeſticum. ib.
Animadverſiones in Machiavellum Medicum. ib.
Declamationes, Programmata & Inſcriptiones. ib.
Verheyen (*Philippi*) *Elogium.* 94
Corporis humani Anatomiæ Liber primus. 130
Wedelii (*Georgii Wolffgangi*) *Schediaſma de Sale volatili oleoſo.* 552
Wolfii (*Chriſtiani*) *Solutio dubiorum aerometricorum.* 14
Novum lampadis genus inventum. (79) 81
Objectiones contra novam definitionem motus in Diario Erud. Pariſ. exhibitam. 493

IV. Libri Mathematici.

ANonymi *Reſolutio problematis de conſtructione novorum Thermometrorum & Barometrorum.* 319
Bordelonii *de Aſtrologia judiciaria Dialogus curioſus.* 133
Conradi (*Jo. Michaelis*) *Radius viſivus triplex.* 316
Graveſandi (*G. J.*) *Tentamen Perſpectivæ.* 318
Comitis ab Herberſtein (*Ferdinandi Erneſti*) *Specimen Trigonometriæ Analyticæ.* 324
Lamy (*Bernhardi*) *Elementa Geometriæ.* 503
Ludolphi *Anatome Quadraturæ Circuli.* 81
Miſcellanea Berolinenſia &c. 1
Noei (*Franciſci*) *Obſervationes Mathematicæ & Phyſicæ in India & China factæ.* 383
Pelicani (*Joſ. Wenceslai*) *Conſideratio ſuper Specimine Trigonometriæ Analyticæ ab Illuſtriſſ. Ferd. Ern. Comite ab Herberſtein propoſito.* 522
Placentini (*Jacobi*) *de Barometro Diſſertationes duæ.* 495
Poleni (*Johannis*) *Miſcellanea.* 79
De la Roche *Phænomenon Diabetes antea non obſervatum.* 12
Seſtri (*Joannis*) *Methodus occulte ſcribendi.* 380
Wolfii (*Chriſtiani*) *Tabulæ Sinuum atque Tangentium.* 499

V. Libri Hiſtorici, Geographici &c.

ANonymi Vita Petri Balii. 103
Dominium temporale Sedis Apoſtolicæ in Comaclum. 224
Diſſertatio hiſtorica de ſummo Apoſtolicæ Sedis Imperio in Comaclum. 225
Rainaldi Eſtenſis, D. Mut. ad Joſephum Imp. libellus ſupplex. 225
Principia Artis Heraldicæ. 433
Abeli (Caſparis) Hiſtoria & Geographia Pruſſico-Brandenburgica. 504
Acker (Jo. Henrici) Notæ ad Vitam & teſtamentum Petrarchæ. 91
Adlzreiter (Johannis) Annalium Boicæ gentis Partes III. 56
Becmanni (Jo. Chriſtophori) Hiſtoria Anhaltina. Tomus I. 335
Brunneri (Andreæ) Annalium Boicorum Partes III. 57
Creſcimbeni (Jo. Marii) Vitæ illuſtrium Arcadum. Pars I. 434
Czvittingeri (Davidis) Specimen Hungariæ Literatæ. 149
Dithmari (Juſti Chriſtophori) vita Gregorii VII Pont. 138
Eginhartus de vita & geſtis Caroli M. ex recens. Jo. Herm. Schminkii. 529
Flacchii (Engelberti) Genealogia familiæ Principum de Turre. 51
Guilielmi (Dominici) Elogium. 47
Gundlingii (Nic. Hieron.) de Henrico Aucupe Liber ſingularis. 424
Heumanni (Chriſtophori Auguſti) de libris anonymis & pſeudonymis Schediaſma. 181
Jani (Jo. Guilielmi) Judicia Eruditorum de origine Electorum. 186
T. Livii Hiſtoriarum quod exſtat, ex editione Joannis Clerici. 17
E Muratorii (Ludov. Ant.) Literis ad J. B. M. excerpta. 442
Noyeriæ Commentariorum hiſtoricorum Tomus I & II. 544

Ab Overbeke (*Bonaventuræ*) *Reliquiæ antiquæ urbis Romæ.* 143
Petrarchæ (*Franciſci*) *Vita & teſtamentum.* 91
Rymer (*Thomæ*) *Fœdera, Conventiones, Literæ & cujuscunque generis Acta publica Anglicana. Tomus VII & IIX.* 239
C. Criſpi Salluſtii *quæ exſtant, ex recenſione Joſephi Waſſe.* 19
Scherer (*Henrici*) *Atlas novus.* 53
Schwartz (*Jo. Conradi*) *Epiſtola de finibus veteris Helvetiæ.* 26
Siberi (*Urbani Godofredi*) *Commentatio de illuſtribus Alemannis.* 184
Siegleri (*Georgii Conradi*) *Epiſtola de Congreſſu Theologico-Academico Fuldæ inſtituto.* 555
B. de Spanheim (*Ezechielis*) *Elogium.* 522
Strykii (*Samuelis*) *Elogium.* 139
Trommsdorf (*J. Sam.*) *Geographia antiqua & nova Germaniæ.* 382
Verheyen (*Philippi*) *Elogium.* 94
Wildii (*Marquardi*) *Apologia pro veteri Antico, urbe Helvetiæ.* 27
Wittii (*Joannis*) *Commentarii de Hollandia.* 546

VI. Libri Miſcellanei.

ANonymi *Infamia Emendationum in Menandri reliquias.* 38
Principia Artis Heraldicæ. 433
Abichtii (*J. Georgii*) *Ars diſtincte legendi & interpretandi Scripturam V. T.* 169
Acker (*Jo. Henrici*) *Selecta Poetica.* 90
Commentatio de ambitione in malis. 430
Andalæ (*Ruardi*) *Syntagma Theologico-Phyſico-Metaphyſicum.* 121
Bælii (*Petri*) *Obſervationes Miſcellaneæ occaſione Cometæ, &c.* 103
Bierling (*Fried. Wilhelmi*) *Lineamenta methodi Studiorum.* 278
Bœcleri (*Jo. Henr.*) *Diſſertationum Academicarum Tomus poſterior.* 547
Boſſueti (*Jac. Benigni*) *Doctrina politica e Scriptura S. verbis ducta.* 99

Brouk-

INDEX AUTORUM.

Broukhuſii (*Jani*) *Poematum Libri ſedecim.* 538
Burgos (*Fr. Alexandri*) *de uſu & neceſſitate eloquentiæ in rebus ſacris tractandis diſſertatio.* 83
Buttneri (*Dav. Sigism.*) *Rudera diluvii teſtes.* 222
C. Val. Catullus *ex recenſione J. Ant. Vulpii.* 434
Cebetis *Tabula ex recenſione Adriani Relandi.* 373
Clerici (*Johannis*) *Opera Philoſophica ex ed. Amſtelod.* 275
ex ed. Lipſienſi. 276
Epicteti *Manuale & ſententiæ ex recenſ. Adr. Relandi.* 373
Eſpencæi (*Claudii*) *Elegiæ ſelectiores.* 90
Ferrarii (*Octavii*) *Opera varia. Tomi duo.* 153
Hakmanni (*Joannis*) *Practica Philoſophia, Ethica & Politica.* 418
Harſcheri (*Nicolai*) *de Divinatione Ciceronis Diatribe.* 136
Herei (*Car. Guſtavi*) *Apparatus funebris Joſephi I Imp.* 378
Hilleri (*Matthæi*) *Inſtitutiones Linguæ Sanctæ.* 453
Ab Hutten (*Ulrici*) *Ars verſificatoria.* 90
Jacobæi (*Oligeri*) *Muſæum Regium Danicum.* 287
Lockii (*Johannis*) & *Amicorum Epiſtolæ familiares.* 474
Longini (*Dionyſii*) *de Sublimitate libellus.* 208
Laurentzen (*Joannis*) *Muſæum Regium Danicum* Ol. *Jacobæi Commentariis illuſtratum.* 287
Lupi (*Servati*) *Opera.* 205
Miſcellanea Berolinenſia ad incrementum ſcientiarum ex ſcriptis Societati Regiæ Scientiarum exhibitis edita. 1
Muſig (*Martini*) *Luminis Sapientiæ Tomus II.* 362
Ab Overbeke (*Bonaventuræ*) *Reliquiæ antiquæ Urbis Romæ.* 143
Pariſini (*Thomæ*) *Nova Methodus diſcendi elementa Linguæ Græcæ vulgaris.* 347
Vide De Somavera.
Pater (*Pauli*) *Diſſertatio de Typis literarum earumque differentiis.* 42
Philargyrii Cantabrigienſis *Emendationes in Menandri & Philemonis Reliquias.* 295, 365
Phileleutheri Lipſienſis *Emendationes in Menandri & Philemonis Reliquias.* 30
S. Aur. Propertius *ex recenſione Jo. Ant. Vulpii.* 434

Rachelii

Rachelii (*Samuelis*) *Claſſes Imperatorum metricæ.* 90
Sabini (*Georgii*) *Præcepta poetica.* 90
Schott (*Jo. Caroli*) *Explicatio numi D. Auguſti ænigmatici.* 327
Schrœderi (*Jo. Caſpari*) *Verum regimen rationis humanæ.* 283
(*Jo. Joachimi*) *Theſaurus Linguæ Armenicæ.* 290
Schurzfleiſchii (*Conr. Sam.*) *Dionyſius Longinus ad fidem Codd. recenſitus.* 210
Seligmanni (*Gottlob Friderici*) *Exercitationes Academicæ.* 73
L. Annæi Senecæ *aureolus libellus de Providentia, ex recenſ. Jo. Henr. Ackeri.* 430
Seſtri (*Joannis*) *Methodus occulte ſcribendi.* 380
De Somavera (*Alexii*) *Theſaurus ſive Dictionarium Linguæ Græcæ vulgaris & Italicæ.* 345
Themiſtoclis *Epiſtolæ ex recenſione Chriſtiani Schœttgenii.* 92
Albius Tibullus *ex recenſione Jo. Ant. Vulpii.* 434
Vavaſſoris (*Franciſci*) *Opera omnia.* 481
Wolfii (*Jo. Chriſtophori*) *Diſſertatio epiſtolica, qua Hieroclis in Aurea Pythagoræ Carmina Commentarius illuſtratur & emendatur.* 24

INDEX RERUM NOTABILIORUM
in hoc Volumine obviarum.

ABbreviatorum *ſocietas fabuloſa.* 183
Abrahami *lætitia ad videndum Dominum qualis?* 64
Abſalonis *Archiepiſcopi Lundenſis habitus.* 288
Abſinthii *ſyrupi præparatio.*
Academia *Apatiſtarum.* 238
Arcadum. 434
Budeci A. 876 fundata. 205
Hiſtorico-Theol. Eccleſiaſtica Fuldæ inſtituta. 556
Academia *Chriſtinæ Reginæ Sueciæ.* 442
Furfuratorum. 238
Gelatinorum. 438
Miſnica, Thuringica, Brunſvicenſis & Mansfeldenſis ex erroribus Pinii orta. 129
Tyrnavienſis. 150, 151
Academiæ *Florentinæ Faſti conſulares.* 238

Academiæ *Gieſſenſis incrementa.* 486

Accentuationis *Ebraicæ leges.* 169 *ſ.*

Acidularum *ortus.* 77

Actio *creaturæ quid ſit?* 167

Actiones *corporum ſine motu definiri nequeunt.* 494

Actiones *per ſe honeſtæ dantur.* 160

Actionum *liberarum indifferentia eſt figmentum.* 119

Actionum *forenſium doctrina explicata.* 457

Adhæſio *partium in fluidis impugnata?* 496

Ægri *ut examinandi?* 79

Aer *quomodo educatur ope antliæ?* 14

eſt cauſa gravitatis. 491

rarior minus bene ſuſtinet aquam. 499

ſerenus cur pluvio gravior? 10, 498

poteſt eſſe denſior. 498

ſurſum tantum premit quantum deorſum. 15

ab aqua fœtida infectus mortis ſubitaneæ cauſa eſt. 428

Aeris *examen.* 218

figura. 491

Æternitas *decretorum & praſcientiæ divinæ.* 65

Aetius *an Autor τῶν Φιλοσοφυμένων?* 182

S Albanus. 151

Alemannus (*Joh. Ægidius*) *laudatus.* 185

Alemannorum *familia.* 184

Alfenus *Varus num fuerit ſutor?* 22 *ſ.*

Alphonſus *Rex defenſus.* 161

Altitudinis *definitio.* 393

Anaſtomoſis *vaſorum datur.* 220

Andreæ (*Franciſci*) *vita.* 435

Angliæ *Regi tanquam Regi Franciæ homagium præſtat Comes Flandriæ.* 241

Reges multa jura eccleſiaſtica jam olim uſurparunt. 246

De Anguillis *Tr. ineditus Fr. Redi.* 438

Anhaltinæ *ditiones an Saxoniæ pars?* 337

Anima *brutorum.* 492, 493

hominis cogitat ſemper. 476

dirigit operationes vitales. 493

influit phyſice in corpus. 488

Animæ *agendi modum cur ignoremus?* 167

Animarum *ortus mundo coævus.* 493

Anni *Sinici forma.* 386, 387

Annulus *ſalutis publicæ apud Deſſavienſes pignus.* 540

Anonymi *detecti.* 182

Anti-

Antiquaria *ſupellex Viennenſis deſcribenda.* 380
Apocalypſis *an ſit divina, a nonnullis dubitatum.* 353
Apoplexia *mortem ſubitaneam infert.* 427
venæ ſectione uno die ſæpe curatur. 428
Aquæ *natura explicatur.* 491
elevatio ultra libellam in tubis capillaribus. 322
Aquitanici *in Anglia civitate donati.* 249
Aquitanica *lingua qualis Sec. XV fuerit?* ib.
De Thomæ Aquinatis *monachatu Diſſ. inedita.* 437
Architecturæ *Veteris delineationes promiſſæ.* 379
Arimanus *quisnam fuerit?* 167
Ariſii (*Franc.*) *Cremona literata T. III promiſſus.* 49
Arithmeticæ *dyadicæ ſpecimen.* 9
Arithmeticæ *machina.* 9, 79
Armeniæ *Rex inter Gallos & Anglos inducias promovere ſtudet.* 242
Armenica *lingua dicitur etiam Haicana.* 292
bibliotheca aliquando edenda. 294
Arnaldi *Bibliotheca Janſeniſtica promiſſa.* 359
Arnoldus (*Godofredus*) *notatus.* 425, 550
Aſtralium *imaginum vanitas.* 134
Aſtrologia *impugnatur.* 133, 134
Aſtrologiæ *abſurda.* 135, 136
definitio & hiſtoria. 133
Scriptores. 237
Aſtrologicis *prædictionibus cur ſubinde reſpondeat eventus?* 134, 135
Aſtronomia *Sinenſium antiquiſſima.* 387
Aſtronomicæ *obſervationes.* 7, 383
Aſtroſcopia *compendiaria.* 7, 8
Athenagoræ *apologia & liber de reſurrectione vindicantur.* 307
Atramenti *boni præparatio.* 40 ſ.
Attractio *an detur?* 221, 222
Attributi *definitio.* 391
Attributorum *corporis cum ejus eſſentia nexus.* 398
divinorum recenſio. 116, 123
Aventia *Dea tutelaris Helvetiorum.* 28
Aventici *urbis ſitus.* 27
Aventinus (*Joh.*) *laudatus.* 57
Auguſtinus *minime Platonicus fuit.* 258
Auguſtini *editio Benedictinorum reprehenſa.* 355

Bælii (*Petri*) *vita.* 103
Balde (*Jacobo*) *hiſtoriæ Bavaricæ cura demandata.* 58
Ballenſtadium. 358
Baluzius (*Steph.*) *notatus.* 207

Baptizandi *jus.*
Domini de Barboy *cum Comitibus Barbyenſibus male confunduntur.* 339
Barometrum *novum.* 320
Barometra *luminoſa.* 80
quomodo implenda? ib.
Barometri *phænomenorum rationes.* 499
Baſſe (*Henricus*) 331
Bayerus (*Johannes*) *quis fuerit?* 157
Beda *verus Autor eſt Commentarii in Epiſt. Pauli.* 207
Beyerus (*Laurent.*) *notatus.* 288
Belgii *quid vere interſit?* 547
forma interna. ib.
Bellini (*Laurentii*) *vita.* 435
Bentlejus (*Rich.*) *refutatus.* 92
Berneggeri *furta literaria.* 183
Bethlenius *male Gabriel Bethlen Gabor appellatur.* 152
Beza (*Theodorus*) *a Pinio laudatus.* 128
Biblia *Erneſtina a quibus illuſtrata?* 184
Bibliorum *verſio vulgata mendoſa.* 192
editiones. 192
Bignonius *Abbas laudatus.* 346
Bogomilorum *hiſtoria.* 550 ſ.
Boiorum *nomen unde?* 59
ſedes antiqua. 59, 60
Bonum *ſummum quodnam ſit?* 124
malis prædominatur. 162
Boni *publici ſtudium unde enaſcatur?* 112
Brandenburgicus *Marchio quis primus fuerit?* 426
Brandenburgicæ *domus origo.* 505
A Bresler (*Ferdinandus Ludovicus*) *laudatus.* 57
Brocardus (*Jacobus*) *male cum Burchardo Wormatienſi confunditur.* 280
Brouckhuſius (*Janus*) *laudatus.* 435, 539
notatus. 542
Martiali comparatus. 544
Brutus (*Stephanus Junius*) *quis?* 183
Bucerus *ſub nomine Aretii Felini latet.* 356
Buceri *Commentarius in Pſalmos laudatus.* ib.
Bucovica *literatura illuſtrata.* 201
Bulgariæ *Evangelium illatum.* 202
Bullarum *formatio.* 4
Burgundus (*Nicolaus*) *Brumeri laboribus uſus.* 58

CÆſar (*Julius*) *emendatus.* 26
Cadavera *condendi modus ſingularis.* 5
Calaucones *ubi olim habitaverint?* 336

Capillos

Capillos *in faſciculos colligendi antiquus mos.* 289
Caraccii (*Antonii*) *vita.* 435
Carionis *Chronicon immerito ita vocatur.* 183
Carnes *ad ſtateram leves, quid?* 465
Carolus *M. ubi natus?* 531
num ſecretorum in Weſtphalia judiciorum Autor? ib.
De Caroli *M. effigie Tr. ineditus.* 437
Carteſii *doctrina de corpore impugnata & defenſa.* 104
Coſmogonia probata. 123
Catalepticæ *hiſtoria.* 429
Catechiſmi *Heidelbergenſis hiſtoria.* 443
Celſus (*Minius*) *eſt Lælius Socinus.* 183
Cerebri *cortex an glanduloſus?* 131
uſus. 221
Ceremoniæ *quales eſſe debeant?* 111
Cheruſcorum *antiquæ ſedes.* 336
Chiliaſmo *num faveat Irenæus?* 306
Chinæ *loca in mappis Geographicis non accurate collocantur.* 383
Chreſtus *Svetonii.* 411
Chriſti *Status glorioſus.* 445
Chriſtianorum *ſtatus dies.* 175
Chriſtianorum *cœtus antelucani.* ib.
diſciplina confœderata. 178
coitiones ad cibum. 177
cœtus in vicis & agris. 178
Chriſtophorſonus (*Johannes*) *Euſebium male paſſim aſſecutus eſt.* 303
Chronologici *Cycli Sinenſium.* 386
Chryſoſtomi *liber de Sacerdotio editus.* 188
Chylificatio *fit per putredinem.* 217
Chylificationis *modus.* 210
Chymica *ænigmata ſoluta.* 2
Cibi *attritio in ſtomacho.* 465
Circumciſio *an ab Ægyptiis ad Judæos translata?* 406
Clemens (*Alexandrinus*) *minime Platonicus.* 257, 258
illuſtratus. 278
Clementis *I Pontificis reliquiæ inventa.* 204
Cleri *nomen prioribus duobus ſeculis incognitum.* 178
veſtitus. 362
In Clerum *jus Principum.* 206
Clericus (*Johannes*) *laudatus.* 478
in Hyberniam evocandus. ib.

Clericus (*Johannes*) *ſub nomine C. Veratii Philellenis latet.* 39
— *an tranſtulerit Lockii librum, quod religio Chriſtiana &c?* 182
— *defenditur adv. Phileleutherum.* 295
— *adverſus Phylargyrium.* 366
— *Vita & ſcripta.* 276 *ſ.*
Clerici (*Johannis*) *ſententia de mente humana oppugnatur.* 121
— *de Clemente Alexandrino, Juſtino Martyre ac Auguſtino.* 257. *ſq.*
— *explicationes Scripturæ notantur.* 173 405, 409
Coccejus (*Johannes*) *an jure Socinianis annumeretur?* 198
Cœnæ *in Anglia a Cromwelli tempore uſus rarior.* 545
Cognitio *diſtincta libertati non repugnat.* 164
— *omnis a ſenſibus.* 493
Cohæſionis *particularum minimarum cauſa.* 497
Collaria *clericorum.* 185
In Comacli *comitatum Pontificis jus.* 225 *ſ*
Comburendi *mos apud antiquos Septentrionales.* 288
Cometæ *ſunt ſtellæ perpetuæ.* 491
— *ſine capite obſervati.* 389
Cometarum *revolutio periodica.* 7
Concilii *Tridentini quædam notabilia.* 126
Concurſus *divinus libertati non repugnat.* 166
Conjectandi *ars nondum tradita.* 115
Conſervatio *num continua creatio?* 487
Conſtantini *Chlori, & Magni hiſtoria.* 474
Contingentium *natura.* 119, 166
Contiguitatis *definitio.* 396
Converſationis *vox quid olim notaverit?* 531
Convulſionis *theoria.* 483
— *cura.* 484
Copernicana *hypotheſis defenſa.* 357
Cor *uno ventriculo præditum majorem habet vim quam duobus inſtructum.* 217
Cordis *fermentum datur.* 131
— *auriculæ an habeant venas?* 131
Cornu *aureum hieroglyphicis figuris exornatum.* 288
Coronæ *liligeræ in Anglia quando cœperint?* 259
Corpus *in continua actione.* 476
— *in vacuo moveri nequit.* 490
— *organicum eſt machina.* 489
Corporis *definitio.* 488

Corporis

Corporis *humani formatio.* 493
natura in extenſione conſiſtit. 392
Corporum *differentia unde?* 403, 404
Coſmogonia *Carteſii probata.* 123
Craigius *notatus.* 6
Creaturæ *actionum ſuarum cauſa.* 163
quomodo agant? 124
Creaturarum *ſtatus præſens ex antecedente naſcitur.* 120
Crepuſculum *ſecundum.* 390
Croatiæ *Evangelium illatum.* 202
Cruciata *adv. Schiſmaticos.* 241
Crucis *ſignum Conſtantino M. viſum.* 474
Della Cruſca *Academia.* 438
in ejus dictionarium notæ ineditæ. ib.
Cryptographiæ *requiſita.* 380
Curioſitas *eruditorum.* 182
Cyrillus *Slavoniæ Apoſtolus.* 202
Cyrilli Alexandrini libros in Slavonicam linguam tranſtulit, & ab eo nomen accepit. 203

DAcerii *in Platonem affectus notatus.* 254, 255
Dalmatiæ *Evangelium illatum.* 202
Dania *quando monetam habere inceperit?* 289
Daniæ *Regum tituli & inſignia.* 288, 289
numi. ib.
Decretum *Dei numero unicum.* 120, 123
Dedicationes *maxime averſatus eſt Balius.* 110
Dei *attributa.* 116, 123
exiſtentia aſſerta. 116, 122, 125, 186, 487, 399
notitia innata. 122
unitas. 479, 480
Demonſtrationis *requiſita.* 489
Diabetes *phænomena.* 13
Diætetica *ſelecta.* 76
Diætetici *Scriptores qui?* 467
Didymus (*Alexandrinus*) *Autor* τῶν φιλοσοφȣμένων. 182
Diei *Sinici partes.* 387
Dii *Veteres Moraviæ.* 201
Diluvii *Noachici exiſtentia aſſerta.* 212, 213
Diſpenſatorium *domeſticum.* 485
Diſtantiæ *definitio.* 396
Divinatio *civilis.* 135
De Divinatione *Scriptorum catalogus promiſſus.* 137
Dodwellus (*Henr.*) *refutatus.* 179, 180, 352, 411
Dominica *dies an Legis Naturalis?* 362
Dominicæ *diei origo.* 175
Donatus *Confeſſor quis?* 471
Ducenarii *munus.* 328
Dudithii (*Andreæ*) *vita.* 128

Eclipſes

Eclipſes *Lunares.* 384
Eginhartus *an Caroli M. gener?* 530 *ſ.*
Eginharti *matrimonium cum Emma aſſertum.* 207
De Elbecque (*Norbertus*) *Janſeniſmi poſtulatus.* 329
Electorum *origo.* 186 *ſ.*
Elephantiaſis *Græcorum.* 485
Eleutherius (*Theodorus*) *quis?* 333
S. Eliſabetha. 151
Eloquentiæ *ſacra adminicula.* 87 *ſeq.*
S. Emericus. 151
Encœnia *protegendi jus cui competat?* 521
Entis *exiſtentia non probanda.* 487
Epiglottidis *muſculi duo in bobus.* 131
Epiſcopi *de la Cava, & de Chiron manus conſerunt.* 128
Epiſcoporum *origo.* 179
De Epiſcoporum *origine ſententia refutata.* ib.
Epiſcopii *encomium.* 478
Erroris *origo prima.* 488
Eſſentiæ *definitio.* 391
Eſſentiarum *origo.* 488
Eſſentia *Spiritus num in cogitatione?* 488
Ethicum *vinum.* 465
Euclidis *methodus commendata.* 475
De Euchariſtia *ſecundum Græcos diſſertationes Renaudotii promiſſa.* 535
De Euſebii *verſionibus judicium.* 303
Excommunicatio *unde orta?* 176
Executionis *modus in Camera Imperiali.* 311
Exiſtentiæ *notio irreſolubilis.* 397
Extenſio *num ſit ſubſtantia?* 393
corporis defenſa. 398
Extenſionis *definitio.* 393
origo. 489

Fabretti (*Raphaelis*) *vita.* 435
editio Novellarum illuſtrata. 265
Fati *indoles.* 121
Febris *lenta in hecticam degenerans.* 485
hæmoptoica. ib.
maligna phthiſi complicata. ib.
verminantium. ib.
militaris. 79
Felinus (*Aretius*) *eſt Martinus Bucerus.* 356
Feri (*Johannis*) *Commentarius in Evangelium Matthæi damnatus.* 129
Ferrarii (*Octavii*) *vita.* 155
Ferveaux (*Johannes*). 58
Feuda *quædam Magdeburgenſia habent Anhaltini.* 337

Feuda

Feuda *an amittat vaſallus, ſi Domini directi uxorem ſine laſcivia oſculetur?* 520
Fides *Hæreticis ſervanda.* 74
Fidei *objectum.* 113
formulæ quales eſſe debeant? 111
Figuræ *honorabiles.* 434
Figuræ *definitio.* 395
notio non irreſolubilis. 396
Figurarum *per motum reptorium dimenſio.* 6
Filtrum *lapis.* 485
Fiſci *jura.* 312
Flammæ *cur noctu majores appareant?* 317
Flacio *moribundo eucharistia negata.* 151
Fluxus & *refluxus marini cauſa.* 491, 492
Fontium *origo.* 77, 322, 492
Fortalitii fidei *quis Autor?* 356
Forum *Tiberii ubi ſitum?* 27
Foſſilia *ſingularia.* 224
Frigus *quid ſit?* 491
Fuldenſis *congreſſus Theologico-Academicus novus deſcriptus.* 555 *ſ.*
Fulmen *quid ſit?* 492
Futurorum *præſcientia in homine datur.* 476

GAlliæ *Regem quomodo appellaverint olim Angli?* 242, 248
Gallorum *nomen Germanis quondam commune.* 59
exulum in Patriam reditus an ſperandus? 106
Garofalus (*Blaſius*) *ſub Octavii Marantæ nomine latet.* 238
Gentium *origines ex indicio linguarum ductæ.* 1, 2
Genuenſe *ſigillum.* 244
Geographicarum *mapparum defectus.* 383
Geometria *Bernhardi Lamy commendata.* 504
S. Gerhardus. 151
Gothofredus (*Jacobus*) *immerito notatus.* 261, 262
Gravia *in fluido deſcendentia cum eo non ponderant.* 11, 12
Gravium *deſcenſus cur accelere-tur?* 491
Gravitas *eodem in loco ſemper eadem.* 397
non eſt vis primitiva. 393
Grotius (*Hugo*) *notatus.* 31
Gulielmini (*Dominici*) *elogium.* 47
Guſtavi Adolphi *calcaria.* 288

HÆmorrhoides cœcæ. 485
Hageſtelʒen-Recht. 521
Harduinus *notatus.* 406, 409, 410
Harmoniæ *præſtabilitæ ſyſtema.* 121, 163
Hartſœkerus *notatus.* 323, 324

Hebræa *lingua non eſt Cananæa.* 485
Hebræarum *literarum defenſio.* 523
Hecklingenſe *Monaſterium.* 338
Heideggerus *an merito Socinianis annumeretur?* 198
Helmſtadienſis *Academiæ declaratio innocentiæ ſuæ.* 157
Helvetiæ *longitudo.* 26
Henochi *liber ſubdititius.* 355
Henrici *Aucupis hiſtoria.* 424
Herodiadum *familia.* 409
Herodotus *notatus.* 406
Heſychii *nova editio promiſſa.* 189
Hieroclis *nova editio promiſſa.* 26
Hiſtoria *Eccleſiaſtica Sec. XVI & XVII.* 44
Hungariæ promiſſa. 153
Hobbeſius *notatus.* 160, 167
Hohlfeldius *Poireti œconomiam divinam tranſtulit.* 184
Horatius *Sat. IX L. I an Propertium irrideat?* 435
Hornius *refutatus.* 442
Hughes (*Joh.*) *Chryſoſtomi librum de Sacerdotio edidit.* 188
Humilitatem *etiam ratio imperat.* 253
Hydroſtatica *capſula Wolfii.* 15
Schelhammeri impugnata. 497

JAcobi *II exauctoratio defenſa.* 46
Janningius (*Conradus*) *an ſub Theodoro Eleutherio lateat?* 333
Janſeniſtica *Bibliotheca promiſſa.* 359
Ideæ *adæquatæ quænam?* 477
primitivæ. 476
veræ. ib.
innatæ dantur. ib.
ſenſibilium cur ſæpe confuſæ? 465
non ſunt arbitrariæ. 164 165
Idearum *origo explicatu difficilis.* 284
divinarum origo. 123
Ignatii *epiſtolæ adv. Kochium vindicantur.* 305
Ignis *quid ſit?* 491
ſubterraneus non datur. 77
Illuminatio *an impiis tribui poſſit?* 360
extraordinaria in fidelibus. 71, 72
Impreſſio *concipi nequit ſine motu.* 494
Indifferentia *non eſt in libertate.* 119, 488
Indulgentiarum *origo & abuſus.* 357
Infinite *parvum non eſt verum ens.* 394, 395
Infinitum *reale non datur.* 477
Inſignia *Barbyenſia.* 339

Inſignia *Zollerana.* 509
Inſignium *Danicorum origines.* 288, 289
Intellectus *cum voluntate nexus.* 164
Interim *libri hiſtoria.* 126
De LXX Interpretum *vitiis Diſſertationes.* 189
Johanna *Papiſſa exploſa.* 57
Ioniſmi *num e comœdia exulent?* 31
Joſephus *ab Andilio mendoſe verſus.* 355
Irenæus *Chiliaſmo favet.* 306
martyribus non annumerandus. ib.
Iris *Lunaris.* 326
Irides *verticales obſervatæ.* 390
Judas *an Cœnæ Dominicæ particeps?* 64
Judæorum *origo.* 406
Jupiter *ovalis obſervatus.* 390
Jurieu (*Petrus*) *notatus.* 407, 410
Jurieu (*Petri*) *controverſia.* 106 *ſeq.*
Jus *Hungaricum & Tranſylvanum.* 152
Ob Juſtificationem *ex fide Epiſcopi duo manus conferunt.* 128
Juſtinus *Martyr minime Platonicus.* 253, 257
Juſtino *Martyri dialogus cum Tryphone, & Paraneſis ad Græcos vindicata.* 305, 306
Juvenalis *illuſtratus.* 148

K

Keilius *notatus.* 394
Kingius *notatus.* 167, 168
Kraſopanis *Moravorum Venus.* 201

L

Lactantius *an Autor lib. de mortibus perſecutorum?* 471
Laicorum *jus ſacerdotale adv. Dodwellum aſſertum.* 180
Lana *refutatus.* 4
Languetus *Autor vindiciarum adverſus Tyrannos.* 183
Larium *figura.* 29
Larroquius *an Autor admonitionis ad exules?* 107
Laryngis *glandula nova.* 132
Latitudinis *definitio.* 393
Laughton (*Johannes*) *laudatus.* 20
Legatorum *jura.* 313
Leges *naturæ quales?* 113
univerſales poſitivæ non dantur. 361
Leibnitii (*God. Gul.*) *elogium.* 111
Lemene (*Franciſci*) *vita.* 435
Lexici *ſacri anecdota promiſſa a Tollio.* 209
Libella *nova.* 9
Libertas *vindicata.* 119 *ſeq.*
Libertatis *natura.* 112, 118, 119
requiſita. 163
Libri *Sinenſes in bibliotheca Berolinenſi.* 3
Limborchii *ſcripta laudata.* 478
Lithophyta, *Lithoxyla, Lithozoa.* 322 *ſ.*

Loci *definitio.* 397, 490
Lockius *in hiſtoria Eccleſiaſtica non verſatus.* 478
Lockii *ſcripta commendata.* 475
tentamen de intellectu impugnatum. ib.
Librum, quod religio Chriſtiana rationi conveniat, quis tranſtulerit? 182
Logica *Ariſtotelis commendata.* 115
Logices *officium.* 278
Londini *quæ viſu digna?* 545
Le Long *notatus.* 357
Longævitatis *cauſa ſobrietas.* 428
Longinus (*Dionyſius*) *emendatus.* 211
Longitudinis *definitio.* 393
Longitudinis *& latitudinis locorum correctio.* 383, 385
Lotharingi *Germanico Imperio addicti.* 425
Lucianus *commendatus.* 2
Lucii *Papæ caput Ræskildiæ.* 288
Ludorum *uſus ſingularis.* 2
Ludovicus *Bavarus defenſus.* 58
In Ludovicum *XIV nonnullorum adulationes.* 46, 47
Lumen *boreale obſervatum.* 4, 325, 326
Luminis *refractio in corporibus translucentibus.* 322
Lunares *eclipſes.* 384
Lupus *Servatus emendatus.* 208

MAbillonius *notatus.* 425
Mabillonii *Annales continuandi.* 518
Machiavellus Medicus *correctus.* 486
Machina *trituratoria.* 9
Machinæ *arithmeticæ.* 9, 79
Maculæ *Solis an ejus Satellites?* 491
volatica convulſiva. 485
Maggi (*Car. Mar.*) *vita.* 435
Magliabechius (*Ant.*) *laudatus.* 154
Magneſiæ *alba deſcriptio.* 485
Magneticorum *phænomenorum rationes.* 322
effluviorum figura. 492
Magneticæ *acus declinationes ac inclinationes.* 388
Magnitudinis *definitio.* 352, 396
Mala *bonis an prædominentur?* 117
cur admittat Deus? 118, 161, 163
malorum origo. 117, 118, 161
Malebranchius *notatus.* 479
Malpighii (*Marcelli*) *vita.* 435
Mania *ab eſu Solani.* 485
Manichæorum *duo principia exploſa.* 160
Maranta (*Octavius*) *v.* Garofalus.
Marckius (*Johannes*) *notatus.* 409
S. Margaretha. 151
Mariæ *imagines miraculoſæ.* 55

Mariæ *immaculata conceptio in Synodo Tridentina definita.* 127
Marſhamus *notatus.* 406, 407
Materia *in infinitum diviſibilis & augmentabilis.* 394
Materialem *animam qui ſtatuunt, an religionem evertant?* 405
Mathematica *ſtudia commendata.* 278
Mathematicæ *obſervationes.* 383
Matheſis *Medicinæ an applicari poſſit?* 222
— *Wolfiana commendata.* 279
Maximi *Epiſcopi Trevirenſis vita.* 206
Medicamentum *ſimplex compoſito præferendum.* 79
— *optimum.* 486
Medicarum *obſervationum neceſſitas.* 78
Medicina *infallibilis.* 482
Medicinæ *ſtatus præſens.* 222
Medicorum *requiſita.* 78
— *arcana notata.* 215
— *hypotheſes notata.* 479
— *homicidium officioſum.* 486
Menagiana *notata.* 481
Menandri *loca quædam examinata.* 296
Menſium *fœtor.* 485
Menſtruum *Solem & Mercurium ſolvens.* 215
Menſtrua *acida pro reſolvendis metallis rejecta.* 214, 215
Menſuræ *Sinicæ explicatæ.* 387, 388
Mentis *cum corpore unio explicata.* 125
Menzini (*Benedicti*) *vita.* 435
Mercurii *dilatatio per calorem.* 322
Metempſychoſis *rejecta.* 255
Methodius *Slavoniæ Apoſtolus.* 202
Methodus *ſtudiorum.* 278
Micrometrum *ſimpliciſſimum.* 7
Microſcopium *eximium.* 317, 318
Microſcopicarum *lentium proportiones.* 317
Milagius *laudatus.* 336
Militaris *vitæ regimen in Principibus.* 467
Miracula *Platonicorum.* 254
— *Sanctorum ficta.* 204, 207, 356
Miraculi *natura.* 114
— *diviſio.* 161, 162
Modi *definitio.* 392
— *corporum quotuplices?* 395
Molyneſii *in Lockium affectus.* 479
Monetæ *Sinicæ.* 388
Montagne (*Michaelis*) *ſcripta ex memoria reſtituere potuiſſet Balius.* 104

Loci *definitio.* 397, 490
Lockius *in hiſtoria Eccleſiaſtica non verſatus.* 478
Lockii *ſcripta commendata.* 475
tentamen de intellectu impugnatum. ib.
Librum, quod religio Chriſtiana rationi conveniat, quis tranſtulerit? 182
Logica *Ariſtotelis commendata.* 115
Logices *officium.* 278
Londini *quæ viſu digna?* 545
Le Long *notatus.* 357
Longævitatis *cauſa ſobrietas.* 428
Longinus (*Dionyſius*) *emendatus.* 211
Longitudinis *definitio.* 393
Longitudinis *& latitudinis locorum correctio.* 383, 385
Lotharingi *Germanico Imperio addicti.* 425
Lucianus *commendatus.* 2
Lucii *Papæ caput Ræskildiæ.* 288
Ludorum *uſus ſingularis.* 2
Ludovicus *Bavarus defenſus.* 58
In Ludovicum *XIV nonnullorum adulationes.* 46, 47
Lumen *boreale obſervatum.* 4, 325, 326
Luminis *refractio in corporibus translucentibus.* 322
Lunares *eclipſes.* 384
Lupus *Servatus emendatus.* 208

MAbillonius *notatus.* 425
Mabillonii *Annales continuandi.* 528
Machiavellus Medicus *correctus.* 486
Machina *trituratoria.* 9
Machinæ *arithmetica.* 9, 79
Maculæ *Solis an ejus Satellites?* 491
volatica convulſiva. 485
Maggi (*Car. Mar.*) *vita.* 435
Magliabechius (*Ant.*) *laudatus.* 154
Magneſiæ *albæ deſcriptio.* 485
Magneticorum *phænomenorum rationes.* 322
effluviorum figura. 492
Magneticæ *acus declinationes ac inclinationes.* 388
Magnitudinis *definitio.* 352, 396
Mala *bonis an prædominentur?* 117
cur admittat Deus? 118, 161, 163
malorum origo. 117, 118, 161
Malebranchius *notatus.* 479
Malpighii (*Marcelli*) *vita.* 435
Mania *ab eſu Solani.* 485
Manichæorum *duo principia exploſa.* 160
Maranta (*Octavius*) *v.* Garofalus.
Marckius (*Johannes*) *notatus.* 409
S. Margaretha. 151
Mariæ *imagines miraculoſæ.* 55

Mariæ

d by Google

Mariæ *immaculata conceptio in Synodo Tridentina definita.* 127
Marshamus *notatus.* 406, 407
Materia *in infinitum diviſibilis & augmentabilis.* 394
Materialem *animam qui ſtatuunt, an religionem evertant?* 405
Mathematica *ſtudia commendata.* 278
Mathematicæ *obſervationes.* 383
Matheſis *Medicinæ an applicari poſſit?* 222
Wolfiana commendata. 279
Maximi *Epiſcopi Trevirenſis vita.* 206
Medicamentum *ſimplex compoſito præferendum.* 79
optimum. 486
Medicarum *obſervationum neceſſitas.* 78
Medicina *infallibilis.* 482
Medicinæ *ſtatus præſens.* 222
Medicorum *requiſita.* 78
arcana notata. 215
hypotheſes notata. 479
homicidium officioſum. 486
Menagiana *notata.* 481
Menandri *loca quadam examinata.* 296
Menſium *fœtor.* 485
Menſtruum *Solem & Mercurium ſolvens.* 215
Menſtrua *acida pro reſolvendis metallis rejecta.* 214, 215
Menſuræ *Sinicæ explicata.* 387, 388
Mentis *cum corpore unio explicata.* 125
Menzini (*Benedicti*) *vita.* 435
Mercurii *dilatatio per calorem.* 322
Metempſychoſis *rejecta.* 255
Methodius *Slavoniæ Apoſtolus.* 202
Methodus *ſtudiorum.* 278
Micrometrum *ſimpliciſſimum.* 7
Microſcopium *eximium.* 317, 318
Microſcopicarum *lentium proportiones.* 317
Milagius *laudatus.* 336
Militaris *vitæ regimen in Principibus.* 467
Miracula *Platonicorum.* 254
Sanctorum ficta. 204, 207, 356
Miraculi *natura.* 114
diviſio. 161, 162
Modi *definitio.* 392
corporum quotuplices? 395
Molyneſii *in Lockium affectus.* 479
Monetæ *Sinicæ.* 388
Montagne (*Michaelis*) *ſcripta ex memoria reſtituere potuiſſet Balius.* 104

Moralis *doctrina demonſtrabilis.* 477
optima in Evangelio. ib.
Moravicæ *hiſtoriæ ſcriptores* 200
Morhofii *affectus in cabbaliſtica notatus.* 183
furta literaria. ib.
Mortarii *jactuum æſtimatio.* 7
Mortium *ſubitanearum cauſæ.* 426
Motus *definitio.* 397, 490, 494
ortus a ſolo Deo. 399
continuatio unde? 490
Multitudinis *definitio.* 390
Mundus *non eſt ens a ſe.* 399
præſens optimus. 117, 101
quomodo ex Chao prodierit? 400
Mundi *Syſtema Newtonianum notatum.* 321, 323
phænomena unde conſequantur? 490
Munimentum *inexpugnabile abſurdum.* 279
Muſculi *coſtales.* 132
Muſeum *Regium Danicum.* 287
Muſicum *Syſtema novum.* 8
Mutinenſis *Dux non eſt vaſallus Ducis Mantuani.* 442
Myſterium *tiaræ Romani Pontificis inſcriptum.* 280

NAnnetenſe *Edictum quam diu fuerit ſervandum?* 129
Naſus *undecim habet cartilagines.* 132
Naturaliſmus *everſus.* 165
Neapolitanæ *familiæ illuſtres.* 238
Neceſſitatis *notio.* 112, 114, 165
Nectarii, *Patriarchæ Hieroſolymitani, vita.* 535
Nicolle (*Petrus*) *a Vavaſſore exagitatus.* 481
Nitri *uſus medicus.* 214
Nobiles *eruditi.* 150
Della Noce (*Angeli*) *vita.* 435
Nomina *propria aliquando fuerunt appellativa.* 2, 59
Noriſii (*Henrici*) *vita.* 435
Norvagiæ *metallifodinæ, margaritæ & marmora.* 287
Noſocomium *Academicum.* 485
Noſtalgia. 485
Novellarum *editio Fabrotti illuſtrata.* 265
Noyeriæ *fœminæ Gallæ fata acerba.* 544 ſ.
Numeri *definitio.* 396
Numeri *fracti an ſint veri?* ib.
Numerorum *potentiæ quomodo inveniantur?* 9
Numus *Phidonis argenteus vindicatus.* 2
Numi *in memoriam Tauromachiarum Hiſpanicarum olim cuſi.* 288
Regum Daniæ. 289
ex auro chymico. 345
Numorum *recentiorum collectio promiſſa.* 380

Obadiæ

OBadiæ *Prophetæ paraphraſis.* 159
Obeſitas *Principum ut corrigenda?* 466
Objectiones *contra veritatem num ſint inſolubiles?* 115
Objectionum *examen & utilitas.* 115, 321
Odorifera *effluvia qualia ſint?* 492
Olearii (*Joh. Gottfridi*) *vita.* 420 *ſeq.*
Optica *illiteratorum.* 317
Ordo *equeſtris Seraphicus.* 289
brachii armati. ib.
Ordinis *S. J. hiſtoria.* 127
Origenes *an Autor τῶν Φιλοσοφυμένων?* 182
Ormasdes *quis fuerit?* 167
Ova *Mariæ imagine inſignita.* 55
Ovi *theoria inedita.* 439

PAllavicini *hiſtoria Concilii Tridentini vitioſe verſa.* 355
Pandectæ *Florentinæ laudatæ.* 22 *ſ.*
Panes *propoſitionis.* 406
Papa *ſuperiorem Imperatore ſe gerit.* 245
fœdera cum ſchiſmaticis irrita declarat. ib.
infallibilis in rebus rationis non eſt. 357
Parallelismus *inter potentias & differentias quantitatum.* 5
Paſſioneus (*Dominicus*) *laudatus.* 269
Patres *Eccleſiæ eclectici.* 251
Patriciorum *in Germania origo.* 425
Peccata *cur admittat Deus?* 117
Peliſſonius *an Autor Admonitionis ad exules?* 106
Pendulum *ſimpliciſſimum.* 9
Perceptio *quid ſit?* 488
Perſpectiva *explicata.* 318
De Perſpicillis *Epiſtola Franc. Redi.* 436
Petrus *an ſub Nerone demum Romam venerit?* 473
cæteris Apoſtolis a Baſilio præfertur. 538
Pharmacopœa *Auguſtana reformata.* 314
Philargyrius *notatus.* 366
Philemonis *loca quædam examinata.* 297
Philoſophia *in ſcholis primorum Chriſtianorum non tradita.* 252, 254
quomodo accipiatur a Luthero? 115
non contradicit Theologiæ. 116
Carteſii explicata. 122, 124
commendata. 124
Clerici num vulgaria contineat? 478
Philoſophiæ *defectus.* 391
Phosphori *hiſtoria.* 3
Phtiſis *pulmonalis* 485
renalis. ib.

Phyſicæ

Phyſicæ *definitio.* 391
incrementorum cauſa. 390
Phyſicæ *obſervationes.* 383
Pictorum *in antiquis errores.* 143
Picturas *conſervandi mos.* 5
Pierunus *Moravorum idolum.* 201
Pietatis *indoles.* 111, 112
media. 112
Pinii *errores in rebus Germanicis.* 129
Plagiarii *quidam illuſtres.* 183
Planetarum *motus elliptici cauſa.* 223
Plantarum *horti Lugdunenſis index.* 467
methodus Turnefortii laudata. ib.
Rivini laudata. 468
Platonicam *Philoſophiam Patres num ſint ſecuti?* 250 *ſeq.*
Platonicorum *miracula.* 254
præcipui errores. 255
In Pletora *venæ ſectio neglecta mortem infert.* 427
Pleuritis *maligna.* 485
Podagræ *curatio.* 4
Pœnarum *neceſſitas & differentia.* 121
Poeticus *furor Caraccii.* 441
Poireti *œconomiam divinam tranſtulit Hoblfeldius.* 184
Poloni *Serveſtam occupant.* 339
Polymathiam *ut acquirant Principes?* 464
Polytheiſmus *Platonis.* 254
Porphyrii *de abſtinentia animalium editio promiſſa.* 189
Portenta *cæli qualia ſint?* 4, 5
Præſcientia *contingentium in Deo cur, & qualis?* 119, 120, 166
non præjudicat libertati & contingentiæ. 165, 166
Præſcriptio *juribus Principum Anhaltinorum nihil detrahit.* 343
Præſcriptionis *exceptio.* 311
actionum regula. 312
Praxis *medica.* 483
Praxeos *medicæ regula.* 78
Precum *utilitas.* 120
Presbyteros *inter & Doctores olim diſcrimen fuit.* 179
Principia *connata dantur.* 476, 477
primitiva quænam? 475
Principum *valetudo quomodo tuenda?* 468
Propertius *an ab Horatio exagitatus?* 433
Propoſitiones *identicæ utiles.* 477
Proteſtantium *Eccleſiæ an ſatis a Pontificio fermento purgatæ?* 158

Pſeu-

Pſeudonymi *detecti.* 183
Ptolemæus *notatus.* 28
Puſendorfius *notatus.* 160, 161
Puſendorfii *furta literaria.* 183
Pulmonis *uſus.* 217
incraſſatio mortis ſubitaneæ cauſa. 428
Pulſus *intermittentis cauſa.* 428
Pyrrhoniſmus *in hiſtoria antiqua promiſſus.* 236

QUadraturæ *Lunæ in agricultura fruſtra obſervantur.* 136
Qualitatis *definitio.* 392, 490
Quandoquitatis *definitio.* 397
Quantitatis *definitio.* 490
diſtinctio in continuam & diſcretam eſt vitioſa. 396
Quedlinburgenſis *cœnobii origo.* 426
Quietis *cauſa.* 490

RAdagoſtus *Moraviæ idolum.* 201
Rapinus *a Vavaſſore exagitatus.* 482
Ratio *recta quid ſit?* 114
corrupta quid? 116
Rationis *analogum in brutis quid?* ib.
Contra Rationem *quænam, & quænam ſupra eam?* 115
Ratiocinandi *principia.* 119
Redi (*Franciſci*) *vita.* 435
Religionis *præmia.* 124
vera finis. 112
naturalis actus. 124
Chriſtianæ difficultas unde? 115
indoles. 112
Reliquiæ *confictæ.* 357
Refractio *exigua reflexio.* 490
Refractionis *quantitas.* 317
Relationis *definitio.* 392
Reminiſcentia *Platonis laudata.* 476
Renaudotii (*Euſebii*) *Diſſertationes de euchariſtia ſecundum Græcos promiſſa.* 535
Renes *an ſint glanduloſi?* 131
Reſiſtentia *ex affrictu orta conſiderata.* 8
Rewardus *dignitatis civilis nomen.* 245
Rhachitis. 485
Rivini (*Aug. Quir.*) *methodus plantarum laudata.* 468
La Roche *quæ ediderit?* 188
Ruxneri Thurnier-Buch. 426

SAbinus (*Georgius*) *flevit ad eximii carminis lectionem.* 90
Sal *ex auro & mercurio elici poteſt.* 216
De Sale *volatili oleoſo Schediaſma.* 552
Salia *ex metallis eliciendi modi.* 215
Salium *uſus in cura febrium.* 214

Sanguinis *circulatio interrupta ſubitaneam mortem infert.* 426
Sanitatis *conſervandæ ratio.* 76
Satellitis *Saturni ultimi revolutio.* 323
Satisfactio *Chriſti num fidejuſſio an expromiſſio vocanda?* 198
Saxoniæ *Palatinatus.* 344
Scabies *endemica & contagioſa.* 485
Sceptra *liliorum figuram habentia.* 289
Schedelius *non eſt primus Chronici Autor.* 183
Scheidinga *Thuringorum olim regia.* 341
Schereri (*Henrici*) *obſervationes aſtronomicæ deperditæ.* 56
Scripturæ *S. autoritas.* 69 ſ. 352
lectiones variantes. 95
loca explicata:
Gen. I, 1. 405
II, 7. 406
III, 15. 195
17. 193
IV, 3. 406
7. 173
XIV. 406
11. 331
XVII. 406
XXII, 13. 173
XLVIII, 15. 406
IL, 10. 406, 451
Exod. III, 8. 406
V, 11. 194
VI, 3. 194
XXXIV, 18. 331
Levit. VI, 13. 407
IX, 24. ib.
XVI. ib.
XVIII. 362
XIX, 27. 407
XX. 362
Num. XX, 6. 195
XXI. 407
XXV, 4. 332
Deut. XIIX, 15. 407
XIX, 5. ib.
XXXII, 8. 173
Judic. V, 14--18, 20. 173
1. Sam. II, 1--10. 449
XXVIII, 7. 407
Eſtheræ Liber. 197
Job. I, 1. 272
III, 8. ib.
IV, 10, 11. 273
IX. 357
XIX, 24. 274
25, 27. ib.
XX, 17. 173
XXII, 11. 274
15, 16. 275
XXIV, 5--11. 513
XXVI, 2--4. 515
XXIX, 19, 20. 516
XXXI, 25. 516
XXXVIII, 7. 517
XLII, 15. 518
Pſalm. VII, 12. 174
VIII. 449
XVI. 448
1, 2, 3. 174
XVIII, 14. 194
XXII. 356, 448

Pſalm.

Pſalm. XXXIII.	448
XLII, 6, 7.	174
XVII.	448
L, 2, 3.	174
LI, 9.	408
LXXX, 3.	408
LXXXVII, 4.	451
LXXXVIII, 6.	333
XCVI, 10.	408
CL.	173
Cohel. III, 18.	406
Eſ. II, 3.	513
5.	405
XI.	449
23.	173
XIX, 23.	159
XI, 11, 12.	158
LXV, 20.	453
Jerem. XXXI, 25.	452
Ezech. IX, 4.	412
XXXIII, 25, 26.	400
XXXIV, 11, 12, 16.	446
Dan. II, 44, 45.	512
Amos. V, 26.	409
Mich. V, 1.	173, 451
Zach. VI, 13.	447
Malach. IV, ult.	406
Matth. I, 18.	349
II, 2.	ib.
23.	452
III, 4.	350
IV, 10.	ib.
V, 44.	450
VII, 13.	365
X, 12.	409
XX, 22.	350
Matth. XXIV, 51.	450
XXVI, 32.	446
Luc. XVI, 29.	350
Joh. III, 14.	407
V, 26.	64
VII, 37.	409
VIII, 12.	ib.
56.	64
XIII, 30.	ib.
XVI, 13.	159
XIIX, 31.	64, 409
XX, 19.	446
Act. VI.	178
9.	409
VII, 43.	ib.
XIII, 18.	410
XV, 20.	ib.
XVII, 16.	179
28.	410
XX, 7.	175
Rom. III, 25.	410
IV, 13.	65
V, 12.	66
VIII, 15.	513
IX, 3.	410
1 Cor. III, 16, 17.	410
VIII, 7.	360
XV, 29.	410
55–57.	453
Gal. II, 9.	410
Eph. II, 3.	360
1 Tim. V, 17.	179
2 Tim. IV, 6, 7.	411
Ebr. VI, 20.	447
VIII, 1.	ib.
IX, 11, 12, 24.	ib

Ebr. X, 5. 195
12. 447
1. Pet. V, 3. 68
Jac. V, 16, 17. 412
Apoc. VII, 3. 412
9--17. 512
XVI, 15. 412
17--21. 513
Seligmanni (*Gottlob Frid.*) *elogium.* 74
Semnonum *antiquæ ſedes.* 336, 509
Sepeliendi *mos apud antiquos Septentrionales.* 288
Sevarambum *hiſtoria non poteſt excuſari.* 183
Severus (*Sulpitius*) *defenſus.* 304
Sibbern (*Nic. Petri*) *de Bibliothecariis Syntagma promiſſum.* 50
Sigillum *Genuenſe.* 244
templi Rœskildenſis antiquiſſimum. 288
Conradi & Friderici III Imperatorum. 344
aliquot Daniæ Regum. 288
Simonii (*Richardi*) *Hiſtoria critica V.T. Pariſiis ſuppreſſa.* 357
verſio N.T. defenſa. 358
Sinenſes *docendi mos Jeſuitarum.* 281
Sinenſium *cultus controverſus.* 234
excuſatus. 281, 282
Sinenſium *libri aliquot præcipui tranſlati.* 284
Situs *quid?* 397
Sobrietas *longævitatis cauſa.* 428
Societas *Abbreviatorum fabuloſa.* 183
Socinus (*Lælius*) *ſub nomine Minii Celſi latet.* 183
Sol *non eſt igneus.* 491
Solis *maculæ num ſatellites?* 490
atmoſphæra defenſa. 322
magnitudo impugnata. 190
Solani *eſus maniam affert.* 485
Du Sollier (*Joh. Baptiſta*) *non latet ſub Theodori Eleutherii nomine.* 333
Somnii *cauſa.* 490
regimen in Principibus. 466
Spanhemii (*Ezechielis*) *elogium.* 522
Spatium & *materia differunt.* 476
non eſt ens reale. 488
Spatii *definitio.* 490
Speneri *opus Heraldicum laudatum.* 334
Sphæra *in aere natans impoſſibilis.* 4
De Spina (*Franciſcus*) *Autor Fortalitii fidei.* 356
Spiritus *animales non dantur.* 221
Spiritus *definitio.* 488

Spiritus

Spiritus *præſentia.* 488
Spiritus S. *teſtimonium internum num ad probandam Scripturæ autoritatem ſufficiat?* 352
Stationis & *retrogradationis Planetarum cauſa.* 49[illegible]
Stationum *puncta in orbitis elipticis quomodo determinanda?* 7
Stella *temporaria in collo cygni.* 7
Stellarum *nomina Sinica.* 387
Auſtralium catalogus novus. 385, 386
Strykii (*Samuelis*) *elogium.* 139
Stunica (*Didacus*) *favet Copernicanis.* 357
Sturmii *methodus notata.* 317
Suavis (*Petrus*) *defenſus.* 47
Subſtantiæ *definitio.* 398, 487
Suetonii *nova editio promiſſa.* 329

TAbulæ *Lunæ-Solares P. Dechales commendatæ.* 384
Tacitus *emendatus.* 27
Tectoſages. 60
Tellus *mutationes varias paſſa ante diluvium.* 4
Tempeſtates *campanarum ſonitu arcendæ.* 322
Templa *an primi Chriſtiani habuerint?* 176
Tentzelius (*W. E.*) *emendatus.* 345
Tertullianus *explicatus.* 178, 180
Theodo *Boiorum Dux commentitius.* 60
Theodoreti *hiſtoria defenſa.* 304
Theologia *aſtronomica.* 167
naturalis ad ſalutem inſufficiens. 123
Theophili *nova editio promiſſa.* 307
Thermarum *ortus.* 77
Thermometrum *novum.* 320
Tituli *Anhaltinorum Principum.* 342, 344
Daniæ Regum. 289
Tolandus *notatus.* 406, 479
Transſubſtantiationem *an ſtatuerit Eccleſia Græca?* 535
Trigonometricum *problema analytice ſolutum.* 324, 502
catholicum ſolvendi omnia triangula. 501
A Turre *Principum origo.* 50

VAcuum *oppugnatur.* 323, 394, 476
Vagliani (*Jo. Joſephi*) *ſcripta.* 49
Valeſius (*Henricus*) *in verſione Euſebii ſæpe hallucinatus.* 303
Vaporum *elevatio & geneſis.* 4
Variolarum *remedium.* 479
Vaſco (*Cono Superantius*) *eſt Languetus.* 183
Vaſorum *anaſtomoſis datur.* 220
Vavaſſor (*Franciſcus*) *laudatus.* 481
Velocitas *quid?* 398
Velſerus (*Marcus*) *Autor Scrutinii libertatis Venetæ.* 57
Venæ *ſectio neglecta in Plethora mortem*

mortem ſubitaneam infert. 427
Veneris *Satellites.* 491
Veneti *Nobiles eruditi.* 154
Ventriculi *motus quid ad chylificationem conferat.* 220
Verheyn (*Philippi*) *elogium.* 94
Veritatum *duo genera.* 113
Verminantium *febris.* 485
Vicariatus *Palatino adverſus Bavarum aſſertus.* 524
Vinum *Ethicum.* 465
Virtutes *cardinales quænam ſint?* 124
Ethnicorum defenſa. 163
Virtutis *definitio, objecta interna, præmia.* 124
Vis *definita.* 392
creata differt a divina. 401
materiæ attractrix exploſa. 221
plaſtica a Stahlio revocata. 223
Vita *Dei.* 123
hominis in quo conſiſtat? 489
Vitra *concava & convexa quomodo ſtanno obducantur?* 8
optica ſingularia. 324
Vitris *cauſticis majoribus cur collectivum jungatur?* 317
Viviani (*Vincentii*) *vita.* 435
Unitas *quid?* 396
Voluntas *Dei cur immutabilis?* 164
Voluntatis *definitio.* 117, 164
antecedentis a conſequente differentia. 117
cum intellectu nexus. 164
Voluptatis *definitio.* 118
Uteri *anatome.* 131
hæmorrhagia. 485

WEigelius *notatus.* 166
Welehradium *Moraviæ olim metropolis.* 200
Wendelini *compendium Theologiæ Ungarice verſum.* 150
Whiſtonianæ *controverſiæ hiſtoria.* 557
Wiclefus *proſcriptus.* 246
Wiclefi *liber Triologus maxime ſuſpectus.* ib.
S. Wigberti *vita.* 206
Witislaus *Moravorum idolum.* 201
Witſius (*Hermannus*) *notatus.* 407
Witſii (*Herm.*) *vita.* 68, 69
Wolfii *Matheſis commendata.* 279

ZOdiacum *majorem faciunt Sinenſes quam Europæi.* 387

LECTORI.

Vulgavimus *Tomi V Suppl. Sectiones priores tres, ſperamusque, Tomo hoc poſt aliquot menſium ſpatium abſoluto, mox deinde Indicem generalem Decennii III ac Tomi IV & V Suppl. prelo ſubjiciendum.*

* * *

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google